BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
IV
D
14
NAPOLI

III ✗ 14

A. 53. 104.

CONCORDIÆ
INTER ALEXANDRVM III.
SVMMVM PONT. ET FRIDERICVM I.
IMPERATOREM VENETIIS CONFIRMATÆ

NARRATIO

AD VERITATIS SCRIPTVM STABILITA.

CRIMINATIONES AB AVTHORE ACTORVM Alexandri Tertij, & Chronico Romualdi Archiepiſcopi Salernitani depulſa.

CÆSARIS CARDINALIS BARONII
Authoritas à calumnijs vindicata.

EX NOTIS ET ANIMADVERSIONIBVS
FELICIS CONTELORI BIBLIOTHECÆ VATICANÆ CVSTODIS
AD FORTVNATI VLMI LIBELLVM DE ALEXANDRI TERTII occulto aduentu Venetias Anno M. CLXXVII.

PARISIIS,
Apud DIONYSIVM DE LA NOÜE, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Nominis IESV.

M. DC. XXXII.

INDEX.

AD primum fortunati Vlmi teſtimonium de fictâ Obonis Presbyteri Rauennatis Hiſtoriâ, Reſponſio. fol. 4. & 13
Ad ſecundũ, de epiſtolâ Epiſcopi Capitenſis. 33
Ad tertium, de picturis Venetis in Aulamagni Conſilij. 42
Ad quartum, de Epitaphio Sebaſtiani Ziani Ducis Venetorum 50
Ad quintum, de Chronicâ Incerti in idiomate Veneto. 52
Ad ſextum, de Chronicâ Monaſterij ſanctæ Mariæ de Charitate. 55
Ad ſeptimum, de Mileto & Petro de Clugia. 59
Ad octauum, de Ioanne Bremenſi. 61
Ad nonum, de inſcriptione in Templo ſancti Ioannis Salboi. 62
Ad decimum, de XIV. verſibus in Patriarchico Lateranenſi. 64
Ad vndecimum, de Indulgentiâ Eccleſiæ ſancti Marci Venetiarum conceſſâ. 67
Ad duodecimum, de tabulâ in Aulâ Regiâ Palatij Vaticani depictâ, in qua Fridericus primus Alexandrum tertium ſupplex adorat, ſeu eius inſcriptione. 70
Ad decimum tertium, de Goteſrido Viterbienſi. 74
Ad decimum-quartum, de Petro de Vineis. 75
Ad decimum-quintum, de fragmentis Chronicarum à Hieronymo Bardo impreſſis. 76
Ad decimum-ſextum, de muneribus quæ Alexander tertius in Ducem Venetorum contulit. 77

Ad decimum-ſeptimum, de qualitate ſcriptorum à Bardo impreſſorum. 79

Ad decimum-octauum, de Epiſtola Friderici primi ad Alexandrum tertium. 80

Scriptor Actorum Alexandri tertij à calumnijs vindicatus. 82

Romualdi Archiepiſcopi Salernitani authoritas defenſa. 114

Fabuloſæ de Alexandro tertio narrationis occaſio explicatur. 163

Ex Actis Alexandri tertij de quintâ reuerſione Friderici in Lombardiam. 166

Ex Chronico Romualdi Archiepiſcopi Salernitani de aduentu Alexandri tertij Venetias. 199

Prius Obonis Rauennatis fragmentum à Hieronymo Bardo in opuſculo de Nauali Ziani pugnâ editum. pag. CLXVII. 239

Poſterius Obonis Rauennatis fragmentum editum à Hieronymo Bardo in eodem Opuſculo. pag. LXXXVI. 241

CONTROVERSIÆ

CONTROVERSIÆ STATVS.

AVCTORIS CONSILIVM.

VT Alexandri Tertij Pontificis, & Friderici Primi Imperatoris diſſenſiones totum ferè Chriſtianum Orbem perturbarunt, ita pax inter eos Venetijs inita magnam poſterioris æui ſcriptoribus altercationum materiam præbuit; Veneti enim, & qui eorum cauſæ fauent, quanquam in plurimis ſecum mirum in modum diſcordant; in eo tamen conſentiunt, Alexandrum Friderici metu, infeſto exercitu aduentantis, pontificijs depoſitis indumentis clàm Anagnia Venetias ſe recepiſſe; dúmque inibi in Monaſterio Charitatis aliena veſte occultatus deliteſceret, agnitum, ad Gradenſis Patriarchæ ædes à Duce atque vniuerſa ciuitate ſummo honore deductum, eidem auctorem paulò pòſt fuiſſe, vt aduerſus Othonem Friderici filium, ingenti claſſe Venetis imminentem prælio decertaret: eum Pontifici obſequutum, inſignem victoriam reportaſſe, ipſo Othone belli ductore capto: dehinc pace inter Pontificem atque Imperatorem per Othonem conciliata, ipſum Pontificem, dum Fridericus in ſancti Marci porticu eius veſtigia exoſculaturus humi deuolutus eſſet, pede illius humeris impreſſo, ex Pſalmo ea verba pronunciaſſe: [Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem « & draconem:] reſpondiſſéque Fridericum: [Non tibi, ſed Pe- « tro,] ſtatimque Pontificem ſubieciſſe: [Et mihi & Petro;] inde « pacem inter eos confirmatam. Alij verò, qui nullo partium ſtudio tenentur, aiunt, Fridericum à Lombardorum exercitu iuxtà Comum fuſum fugatúmque, cùm videret res ſuas peſſimo loco eſſe, Anagniam ad Pontificem Oratores pacem petitum miſiſſe;

ea conſtituta, vt ſtabilis ratáque perpetuò eſſet, Alexandrum Venetias VVilhelmi iunioris Siculi Regis triremibus aduectum: ibi Fridericum æquis acceptis conditionibus, eiuratóque ſchiſmate in ſancti Marci veſtibulo ad pedum oſcula admiſſum, pacémque tum iureiurando, tum publicis tabulis confirmatam. Scriptores Alexandri & Friderici æquales, quorum extant lucubrationes, & ſi multa minoris momenti diligenter perſequuntur quæ ſuo tempore contigerunt; tamen neque de clandeſtina Alexandri fuga, neque de Veneta eiuſdem latebra, neque de Ziani Ducis victoria, quæ & illuſtriſſima ſunt, & memoratu digniſſima, quicquam litteris prodidere. Itaque cùm in tenebris diu latuiſſent, ſanctus Antoninus Florentinus Archiepiſcopus Venetorum fidem ſequutus, antè centum & octoginta annos Ziani victoriæ narrationem primò in lucem edidit, profeſſus eam apud alios hiſtoricos minimè reperiri. Quinquaginta fermè poſt illum annis Marcus Antonius Sabellicus eamdem vnà cum Alexandri fuga veſtiſque mutatione ſuis hiſtorijs intexuit: non tamen ipſe ob eam rem anilis cuiuſdam credulitatis reprehenſione caruit, quam quidem ſuæ cônſcius leuitatis non alia ratione purgauit, niſi vt diceret ſe omnia ex Venetorum annalibus accepiſſe. Quinquaginta circiter abhinc annis, cùm aula in qua haberi Senatus conſueuerat Venetijs incendio conflagraſſet, atque, nouâ exædificatâ picturæ, quibus Alexandri Pontificis actiones exprimerentur, reficiendæ eſſent; quod Ziani de Othone victoria, atque Alexandri Pontificis latebra multis non probaretur, Iacobus Contarenus, & Hieronymus Bardus, qui picturis inſtaurandis præerant, collato ſtudio, vt opinor, multa collegerunt, quæ ad faciendam illi hiſtoriæ fidem plurimũ valere arbitrati ſunt. Ea deinde Bardus vnico libello cõplexus in lucẽ edidit anno ſal. M.D.LXXXIV. Poſt hæc cùm Cæſar Cardinalis Baronius ſcribendis annalibus ad Alexandri tempora perueniſſet, viderétque quo fuco veritas occultaretur, vt rerum ſeriem ritè pertexeret, neceſſe habuit puros adire fontes, hoc eſt, incorruptæ fidei codices, qui in Vaticana Bibliotheca aſſeruantur, conſulere. Doluit id pluribus, qui aliquoties ſummiſſis libellis, irrito ſemper conatu, ſuas confirmare fabulas, & Baronium refutare aggreſſi ſunt; ſed caducum ædificium leuibus argumentis fulciri ſatis non potuit. Noua ſubſtructione ad ſuſtinendas haſce parietinas opus fuit. Hanc prouinciam ſanè perdifficilem nuper ſuſcepit Fortunatus Vlmus, qui cùm videret in alijs ſcriptoribus minùs ſibi præſidij fore, ad Obonem Rauennatem,

natem, velut ad ſacram anchoram confugit: cum inter falſiloquos, ac mendaces veridicum: acta Alexandri, & Romualdi chronicon, vel ab impoſtoribus adulterata, vel ab ipſis auctoribus conficta: Baronium hebetem ac ſupinum, qui mera figmenta, meraſque calumnias non viderit. Dubitaui equidem aliquantiſper, an præſtaret opperiri, dum veritas proderet ſeſe, atque Vlmi conatus ſua ſponte deficerent; verùm, quia Aduerſarius ea potiſſimum ſcripta criminationibus inceſſit, quæ in Vaticanæ Bibliothecæ vmbra delireſcunt, fruſtrà expectandum erat, vt ſe ipſa tuerentur, niſi aliquis patrocinator in ſolem, ac puluerem euocaret. En fine metu dant ſe in conſpectum pura, puta, vt olim à ſuis auctoribus prodiere. Lege. Vindicata à calumnijs deprehendes, Baronium defenſum, Obonem ſuppoſitum ſcriptorem ſuis tenebris reſtitutum.

Duodeuiginti aduerſus nos allata teſtimonia confutantur.

FOrtunatus Vlmus Monachus Caſſinenſis in libro quem anno M. DCXXIX. de clandeſtino aduentu Venetias Alexandri Tertij, deque Sebaſtiani Ziani Veneti Ducis aduerſus Othonem Friderici primi Cæſaris filium, victoria in lucem edidit, multa perſequutus eſt, quæ, tum ad quærendam illi narrationi fidem, tum ad conuellendam duorum eius temporis ſcriptorum, & Baronij, qui eos ſequutus eſt, auctoritatem, plurimum facere exiſtimauit. Ea vt ordine confutentur, primò loco in duodeuiginti teſtimonia, quæ ipſe capite primo ad ruenda ſuorum fabulatorũ ſomnia, velut aciem contra noſtros direxit, impreſſionẽ faciam. Iis (quod ſpero, & voueo) profligatis, ſcriptores grauiſſimos veritatis aſſertores in quorum dignitatem, atque exiſtimationem oppidò intemperanter debacchatus eſt, extra omnem calumniatorum inuidiam poſitos eſſe oſtendam. Id quò diligentiùs maioréque præſtetur fide, non ſolùm teſtimonia ipſa, atque octauum, ac nonum Vlmiani opuſculi caput, quibus ille noſtra oppugnauit; ſed alia etiam loca, quotquot contra nos facere videbantur, latinè reddidi, & ſingulis reſponſionem, ſi minus ornatam atque elegantem, at ab omni doli atque impoſturæ ſuſpicione alienam ſubieci. Cætera eius libri, quæcunque tandem ſint, quod Vlmum vſquequaque excutere in animo non eſt, intacta, atque inexplo-

rata abire permittam. Ac neſcio quo caſu contigerit, vt antè aliquot annos alius eiuſdem diſciplinæ alumnus, cùm Mathildis Comitiſſæ falſam virginitatem obſtinatè tuendam ſuſcepiſſet, geminis planè mendacijs, ſimilibuſque figmentis vteretur; hoc eſt recentem picturam pro veteri obtruderet, & ipſiſſimas Gregorij ſeptimi litteras, ſuppoſitas atque confictas eſſe contenderet; ſed par audacia euentum non imparem ſortita eſt; cùm ambo, quas poſſunt maximas veritati pœnas perſoluant, vt illis à nemine qui confutationes viderit, habeatur fides.

PRIMVM TESTIMONIVM.

V L M V S.

OBO vetuſtiſsimus eſt Auctor. Eius vt antiquitatem oſtendam, quid de illo referat Bardus, qui in ſancti Marci tabulario exemplum inſpexit ante annos trecentos deſcriptum, exponam. Fit autem, vt cùm Bardus librum ſuum ediderit anno ſal. M.D.LXXXIV. *exemplum, de quo agimus, aut ab ipſo Obonis exemplari, aut à vetuſtiore alio exemplo deſumptum fuerit circa annum* M.CC.LXXX. *Hinc conijcere licet, quantò antè auctor ipſe ſuum opus conſcripſerit.*

RESPONSIO.

NESCIO an Vlmus, dum profeſſus eſt ſe rigidum fore cenſorem eorum qui de Alexandro Tertio ſecus ac ſcripſerit Obo aliquid memoriæ mandauerint, ſatis perpenderit non defuturum aliquem, qui ipſius dicta viciſſim ad aurificis (vt aiunt) ſtateram examinaret. Equidem quamuis is non ſim qui gloriosè de me aliquid prædicare velim; veritate tamen animos addente confidenter dicere poſſum me contra ea quæ ab Vlmo euulgata ſunt alexipharmacum reperiſſe ne noceant. Videbit Lector, & ſententiam feret.

Quæ de Obonis antiquitate, auctoritate, fide, déque eius hiſtoriæ codicibus tradidit Vlmus, omnia ſe à Bardo mutuò accepiſſe teſtatur. Itaque ſi quid ea in re difficultatis occurret, cum Bardo, non cum Vlmo agendum erit. Cæterùm ſi quis meum de Bardi libello iudicium exquirat, illud dicere poſſum, tam confertis tamque palmaribus mendacijs plenum eſſe, vt Baronius vir cæteroqui modeſtiſſimi calami, illum, & nominatione, & con-

& confutatione indignum exiſtimauerit. Tomo enim Annalium duodecimo, vbi ad marginem,ſcriptoris nomen, & librum adnotaſſet, in hiſtoriæ contextu tantùm, ait, illum multa collegiſſe, quibus & ipſe in errorem induceretur, & alijs errandi occaſionem non exiguam præberet.

VLMVS.

QVIA tamen Bardus non ſatis diſtinctè & dilucidè de Obone loquutus videtur, legatur pagina CCXLVII. *vbi priuſquam verba ſubijciat cuiuſdam commentarij ex Obone in ſummam redacti, qui tamen, vt ex eloquutione admodũ diſsimili conſtat, Obonis non eſt, de veri Obonis exemplo ſic loquitur.* [*Hoc ipſum recitatur ab Obone* " *Presbytero Rauennate eius temporis ſcriptore, cuius exemplum à Ioanne* " *Ferretto Milenſi Epiſcopo è Vaticana Bibliotheca deſumptum* " *(quod ſua ipſe manu adnotatum reliquit) hodie in Bibliotheca Iacobi* " *Contareni viſitur.*] "

RESPONSIO.

AFFIRMAT hoc loco Bardus id quod Vlmus maximè negatum vellet, Obonis hiſtoriæ duas eſſe partes, alteram, quam ipſe in ſuo libello edidit pagina CXLVII. & nos infrà primo loco exhibebimus: & alteram, quam edidit pagina LXXXVI. Nos verò ſecundo loco proponemus.

Poſteriorem Vlmus veluti germanum Obonis fœtum admittit; priorem verò tanquam adulterinum, & ſpurium partum omnino exponendũ ait. Cæterùm, vt accipiamus id quod Vlmus iure optimo dat, vnum & eumdẽ vtriuſque fragmenti parentẽm nõ eſſe; de ipſo percunctari libet, vndenam habeat illud fragmentum quod Bardus pag. LXXXVI. in lucem protulit Obonis eſſe, & non aliud quod pagina CXLVII. publici iuris fecit. Si dicat id ſe habere ex ſtyli, atque eloquutionis diuerſitate, ſubijciam ex ſtylo quidem effici, ſi alterum fragmentum Obonis ſit, alterum non eſſe, vtrum tamen ex illis Obonem parentem agnoſcat, non deduci; niſi quis fortè Vlmum Obonis eloquutionem dicendique formas clàm anteà edocuerit. Affirmat autem diſertiſſimè Bardus repugnante & maximè contradicente Vlmo, Obonis fragmentum, quod à Ioanne Petro Ferretto Milenſi Epiſcopo è Vaticano ſurreptum dicitur, illud eſſe quod nos infra primo lo-

co dedimus. Eius verba ab Vlmo conſultò prætermiſſa, hæc ſunt.
„ [Hodie in Bibliotheca Iacobi Contareni, ſæpiúſque à me hac ipſa
„ de cauſa inſpectum eſt. Hoc exemplum in membranis conſcri-
„ ptum quartæ folij partis magnitudine, paulúmque digiti craſſitu-
„ dinem excedens, breuiter, quamuis principio careat, Eccleſiæ S.
„ Marci prærogatiuas narrat. Ibi inter cætera euentus inſectationis
„ eiuſdem Pontificis legitur his verbis. Fuit namque, &c.] Iam, vt videtis, Patronus à teſte, quem vnum ad aſſerendam Oboni fidem adhibet, in ipſo diſputationis limine diſſentit. At de qua re diſſentit? nempe de illa in qua totius controuerſiæ momentum ſitum eſt; nimirum, vtrum fragmentum, quod Vlmus Obonis eſſe maximè contendit, illius ſit. Si enim alterum de quo agimus, Obonis eſt, prius ab Vlmo laudatum Obonis eſſe nequaquam poteſt. Si rectè Vlmus meminit, cùm in ijs quæ de Obone dicuntur, Bardi ſe fidem ſequi affirmauit, omnem ſibi ab illo diſcrepandi viam præcluſit. Equidem intelligo, quod & Vlmus videt, ſi Aduerſarij ſemel dent hoc prius fragmentum eſſe Obonis, eos cauſa penitus cadere; nam ſtatim efficitur, aliud fragmentum ſeptimi & octaui libri hiſtoriarum, in quo præcipuam ſuæ defenſionis vim collocatam eſſe putant, Obonis non eſſe; id enim tum vtriuſque eloquutio, tum res quæ dicuntur, ipſis vltro fatentibus, ſatis oſtendunt. Sed illud non intelligo, quare Vlmus, cuius tanti intereſt Bardi auctoritatem ſartam ac tectam conſeruare, eam tam facilè peſſum ire permittat. Verùm huiuſmodi ſunt anguſtiæ in quas ſeſe Bardus imprudens coniecit, vt ex ijs integer, atque incolumis expediri nequeat. Iactura igitur non leuis facienda fuit fidei atque auctoritatis, vt Vlmus, qualem optabat, Obonem haberet. Scio eum qui anno M.DC.XIX. hoc eſt, poſt Bardi editionem trigeſimo quinto, eidē notas addidit, verba quæ eo loco ſibi incommodare videt, ante vnam & ſexaginta paginas transferre, alterique Obonis fragmento præponere, quod errorem in collocatione imprudenti excidiſſe dicat. Sed cùm tam inueriſimile effugium, neque ipſe Vlmus probauerit, veluti confutatione indignum deſeram. Verùm ne diutiùs hîc hæreamus, nego id quod affirmat Bardus, in Vaticana Bibliotheca aliquando vllum Obonis exemplum fuiſſe. Extant complures librorum elenchi ſumma diligentia & cura iam inde à Sixti Quarti Pontificatu confecti, & per annorum interualla ſæpius reformati, in quibus cùm litterarum & rerum quæ tractantur ordine adnorati ſint omnes codices quotquot eum locum ſemel aſpexerunt,

nulla

nulla huius ſcriptoris mentio reperta eſt. Suſpicor inde datum huic fabulæ locum, quòd Ioannes Petrus Ferrettus Milenſis Epiſcopus in Opuſculo de Viris illuſtribus Rauennæ referat Marcum Antonium Sabellicum, quem habuiſſe ſe præceptorem gloriatur, cùm de Alexandro Tertio Pontifice ageret, ſequutum eſſe Obonem Rauennatem, cuius vetuſtiſſimum nactus fuerat codicem. Qualis fuerit codex à Sabellico inuentus, ipſemet docet; nimirum Venetus in publico Archiuio aſſeruatus, qui Vaticanum nunquam vidit. Quòd ſi Ferrettus vaticanum tantæ auctoritatis codicem apud ſe habuit, cur eo prætерito ad Venetum Sabellici confugit? Si licet diuinare, exiſtimo ab illo Veneti codicis exemplum confectum fuiſſe, quod poſteà ad hæredes tranſmiſſum, honeſto Vaticanæ Bibliothecæ titulo ab imperito aliquo (modò fraus abſit) inſignitum fuerit.

VLMVS.

ET infra pagina CXLIX. [*cuius hiſtoriæ vt, & alterius partis hiſtoriæ eiuſdem Obonis, quam pagina* LXXXVI. *edidimus, tria in præſentia extant exempla peruetuſta; Duodeuiginti præterea folia ipſius exemplaris.*] *Dum autem explicat quantæ ſint vetuſtatis tria hæc exempla, quæ vtramque complectuntur narrationem, ſic ait.* [*Alterum ex his exemplis aſſeruatur in publico Venetiarum Archiuio iam inde à trecentis annis in charta pergamena exaratum: Duo reliqua ſunt apud Clariſſimum virum Iacobum Contarenum, quorum alterum ipſe accepit à quibuſdam Monachis ſancti Georgij Maioris, alterum verò ab hæredibus Ioannis Ferretti Milenſis Epiſcopi penitioris litteraturæ viri.*]

RESPONSIO.

HOc loco Bardus ait tria quæ reperiuntur exempla non modò eius eſſe Oboniani fragmenti, quod Vlmus amplectitur, ſed etiam alterius, quod reijcit. Codicum ergo vetuſtas atque auctoritas Bardo teſte non vni minus fragmento quàm alteri ſuffragatur; quod cauſæ eſt cur Vlmi iniquitatem maximè admirer, qui pro arbitratu alterum ex ijs fœtibus tolli, alterum exponi imperauit. At (inquies) fragmentum quod Obonis eſſe negatur, hiſtoria non eſt; ſed peculiaris ac certæ narrationis breuiarium: aliud verò quod recipitur, accuratiſſimæ eſt hiſtoriæ pars, vt le-

geſti per ſe ſatis apparet. Crederem, ſi quam hiſtoriæ partem appellant, eam in mendacij officina nouiſſimè cuſam eſſe ignorarem; ſed hac de re poſterius. Interim percunctari ex Vlmo libet, cur de re maximè controuerſa ſcripturus, vetuſtiſſimos illos Obonis codices in quibus ſuæ cauſæ firmamentum poſitum eſſe profitetur, non viderit; quid dico, non viderit? non curioſè inſpexerit? non ſæpiùs perſcrutatus ſit? Nam eum non vidiſſe, illud perſuadet quod nullibi à ſe viſos meminerit, quodque Bardi fidem ſequi ſe affirmet. An non Vlmo ſcriptori optimè merito patere debuerant arcanę Bibliothecæ, & ſecretiora Reipublicæ tabularia, vt teſtatiùs de rebus quas ab alijs accepit, loqueretur? A Bardani libelli de nauali pugna editione vix annus agitur ſextus ſupra quadrageſimum; quo temporis interuallo nullum Venetijs contigit publicum incendium, nulla direptio. Credibile igitur eſt eadem Obonis volumina, eadem exemplaris folia extare. Cur ergo ea non perquiſiuit Vlmus, aut ſi perquiſiuit, quis illum per ſummam iniuriam prohibuit ne videret? Dicam apertè id quod eſt. Debuit Vlmus ne ſuſpicionem confirmaret fabricati à Bardo de Obonis codicibus mendacij, ipſos vidiſſe, eoſque inſpicere volentibus vltrò offerre. Certè nobis, vbi aduerſus ſcriptorem Actorum Alexandri Tertij, ac Romualdum Salernitanum Archiepiſcopum tot euulgatas criminationes perſpeximus, nihil potius fuit, quàm vt ex intimis Vaticanæ Bibliothecæ penetralibus, non modo autographos eorum codices inſpicere volentibus offerremus; ſed etiam exempla fideliſſimè exſcripta in vulgus ederemus. Verùm iſthæc prꝑſtare non poſſunt, niſi qui de cauſæ bonitate confiſi aduerſarium non reformidant.

V L M V S.

HÆC autem exempla non ſolum inter ſe omni ex parte conſentiunt; ſed etiam mirum in modum reſpondent folijs exemplaris, quæ olim in Caſinenſi erant Bibliotheca, poſtea verò inde à viro magnæ auctoritatis ſublata ad meas manus opera quorumdam Monachorum Caſinenſium peruenerunt. Hi enim fuerunt in cauſa, vt is qui ea ſuſtulerat, mihi vnà cum alijs memoratu dignis traderet. Ea folia quamuis ob vetuſtatem ac tineas alicubi manca & lacunoſa ſint, à quolibet tamen non admodum difficulter legi poſſunt. Aſſeruantur in præſentia apud Iacobum Contarenum. Ex his, quæ certò explorare dum Bardus viueret, facile quiſque potuiſſet, habemus tria tunc extitiſſe

titiſſe exempla, quæ non modò hiſtoriam ab Obone conſcriptam de aduentu Alexandri Pontificis complectebantur, ſed etiam eiuſdem epitomen ab aliquo, vt exiſtimo, qui inde deſumpſit, confectam. Illud hac in re eximium cenſeri debet, quod duodeuiginti reperta ſint folia ipſius Obonis exemplaris, & quod omnia exempla mirificè inter ſe, & cum exemplari concordent.

RESPONSIO.

DE his folijs illud primo loco quærendum occurrit, cur Bardus qui ſciret perſonarum potiſſimum expreſſione probabilem narrationem fieri, magnæ auctoritatis virum tacuerit qui folia ſuſtulit. Vidit Vlmus id obijci poſſe, atque vt Bardum tueretur, ait, eum non celaturum fuiſſe furti auctorem, ſi quis percunctatus eſſet; ſcilicet Vlmus, quando Bardus iamdiu inter mortales non eſſet, de ipſo facile pollicetur quæ præſtari nequeunt. Certè de huiuſmodi folijs Patres in Caſſinenſi Bibliotheca diuerſatos ſciſcitatus ſum, qui ſanctè teſtantur Obonis nomen apud ſe ne fando quidem auditum fuiſſe. Cùm tamen omnium quorum vel in præſentia inibi extant volumina, vel patrum aut auorum memoria extitere, in album ſuo ordine relata habeant. Itaque totum Obonianorum codicum negotium ex ſolo pendet Bardo, cuius ſi vacillat fides, omnia corruant neceſſe eſt.

VLMVS.

QVOD autem Bardus affirmat ſe deprehendiſſe, vnum de quibus agimus exemplum trecentis antè ſuam ætatem annis deſcriptum fuiſſe, inde ortum puto, quod aliquid à Librario ea de re inibi adnotatum viderit; atque ego quidem Bardi fidem ſequor, qui cùm ſuum opuſculum in lucem ediderit, dum viueret redargui facilè poterat ſi quid perperam narraſſet: immo id cauſæ fuit cur ederet; obiecta enim, ſi quæ ab ingenioſis & perſpicacibus viris proponerentur, diluere, & dubitationes diſſoluere paratus erat; idque eò facilius quòd tunc etiam viueret vir clariſſimus Iacobus Contarenus, penes quem duo exempla reperiebantur. Nec idem Bardus veritatis ſtudioſos celaſſet à quonam illud habuiſſet exemplum, quod diu in Caſſinenſi Bibliotheca aſſeruatum, poſteà tam fœliciter ad ipſum peruenit.

RESPONSIO.

DE exemplo Obonis Veneto, déque alio, quod à Monachis ſancti Georgij maioris ſuppeditatum dicitur, neque ego, neque Vlmus qui non vidit, iudicium ferre poſſumus. Fides erit penes Bardum, qui ſe vidiſſe narrat. Sed ſi Vlmo licuit abrogare Bardo fidem pro eadem cauſa ſcribenti, cur non licebit & mihi, qui ea quæ ab ipſo dicuntur, confutare ſum aggreſſus? Tritum eſt eorum inuentum qui falſos codices ſupponunt, vt exemplaria in veteri aliquo Cœnobio, aut Ciuitatis Tabulario diu latuiſſe comminiſcantur, vnde exempla paulò à noſtra memoria remotiùs, ne fraus deprændatur, deſumpta fuiſſe dicant. Quod ſi exemplaria ipſa depoſcas, mira ſunt quæ narrant, quorum causâ ea periſſe credas.

VLMVS.

ET ſanè, cùm ex veriſſima eius narratione habeatur vnum exemplum ex Vaticano à Ioanne Petro Ferretto Milenſi Epiſcopo deſumptum, alterum ex Caſſinenſi Cœnobio acceptum, tertium in Archiuio ſancti Marci repertum; ſatis conſtat, cùm alia duo exempla huic poſtremò conſentiant, ſolos Venetos non fuiſſe qui Obonem apud ſe latentem non euulgauerint; ſed & alios qui eiuſdem exempla habebant, idem feciſſe. Hoc idcircò eueniſſe puto, quod huiuſmodi opus imperfectum eſſet, & longioris narrationis pars quam aliquis à corpore totius hiſtoriæ deſumpſit, vt alijs omiſſis, rerum tantummodo ab Alexandro Papa geſtarum veritatem confirmaret.

RESPONSIO.

DVAS hoc loco Vlmus diluere conatur obiectiones quas aduerſus ea quæ dixerat, parari animaduertit. Altera eſt, cur Obonis tàm eximij hiſtorici lucubrationes alicubi præterquam apud Venetos non reperiantur: altera verò, cur nuſpiam, neque apud ipſos Venetos ex tam inſigni hiſtoria quicquam præter eas reliquias, quibus Alexandri tertij fuga & latibula atque Ziani Ducis de Othone victoria explicatur, ſuperſit. Priorem nullo negotio diluere ſe putat ex Bardo, qui Obonem earum quas nunquam vidit Bibliothecarum inquilinum fecit; quaſi

verò

verò nos Bardi dicta veluti incorrupti alicuius teſtis effata accipiamus. Neque poſterioris obiecti explicatio melior eſt; nam quis credat ante trecentos quadraginta quinque annos, cùm Venetum Obonis exemplum confectum traditur, de Othonis pugna atque Alexandri fuga controuerſiam fuiſſe, vt propterea Veneti ex integro Obone hæc tantum ſibi exſcribenda putarent? An tanti erat totum Obonem deſcribere, vt labore vel impendio auocarentur? aut Romanorum, & Caſſinatium æquè intererat ea tantùm ex Obone decerpere, quæ Veneti ſibi ſepoſuiſſent? & non potius ipſum integrum habere? Quis demum iſta perpendens etiamſi nihil præterea audierit, impetrare poterit à ſe ipſo, vt Obonis, quod appellant, fragmentum, merum non credat eſſe figmentum?

V L M V S.

CÆTERVM Bardus maxima dignus eſt commendatione, quod huiuſmodi fragmentum Obonis Typis mandauerit. Cùm enim incendij periculo qualibet ſcripta quantauis aſſeruata diligentia non careant; exemplorum numerus Typographiæ opera auctus id ſaltem præſtabit, vt difficilius pereat maximè eximium ac ſingulare veritatis teſtimonium quod ab hiſtoriarum ſtudioſis requiri poſſit. Obonis præterea antiquitas ex eo probatur, quod nemo tam enucleatè, ſicut ille fecit, temporum ac perſonarum earumque numeri meminiſſe potuit, niſi qui vel interfuerit, vel ab alys qui interfuerit, acceperit. Sabellicus, qui centum ante Bardum annis hiſtoriam contexuit, perſpectâ Obonis in ſcribendo diligentiâ, rebuſque tam ſingulatim ac perſpicuè enarratis, cognitâque codicis quo vſus eſt vetuſtate, exiſtimauit eundem Alexandri æqualem fuiſſe. [Obo (inquit) « quem cùm codicis vnde hæc accepimus vetuſtate, tum quia omnia quæ « eo bello accidere diligenter conſcripſit, tempeſtate illa fuiſſe ſuſpicari « lubet.] Ex quibus verbis colligo Sabellico Obonis exemplum adeò vetus in manus veniſſe, vt inde argumentum deſumpſerit Auctorem Alexandri tempore vixiſſe, id quod Bardi fidem maximè confirmat dicentis exemplum à ſe in publico Venetorum Archiuio viſum, trecentorum annorum excedere vetuſtatem. Hinc etiam apparet quanta ſit duorum Auctorum de Obone loquentium conſenſio. Sed de Obonis antiquitate ſatis.

RESPONSIO.

LITTERATI eo ſolo nomine plurimum Bardo debent, quod cùm res Alexandri tertij, fabuloſo euulgato ſcriptore inſignibus mendacijs inquinauerit; hiſtoricæ rei ſtudioſis, veritatis diligentiùs indagandæ occaſionem præbuit. Quod ad Vlmum pertinet; contra Auctorem Actorum Alexandri inferiùs agens negat ex enucleatâ rerum atque actionum expreſſione rectè colligi, ſcriptorem, vel ijs quæ narrat, interfuiſſe, vel ab ijs qui interfuerunt, accepiſſe: hic verò pro Obone diſputans, diſertè affirmat. Quis hominem ferat qui eodem ore efflat calidum & frigidum? De Veneto Obonis exemplo quo Sabellicus vſus dicitur, vtrum idem ſit atque illud fragmentum quod Vlmus tantopere dilaudat, quis affirmare audeat? cùm Bardus huius arcani arbiter ea de re nihil ſcriptum reliquerit? Coniectura quam à vetuſtate affert, aliquid ad id probandum valeret, niſi argumentum quod ſuo loco infra explicabimus, diuerſa eſſe oſtenderet. Maneat igitur Obonianorum voluminum controuerſiam mirum in modum implicatam atque inuolutam eſſe. Si Bardus diuinare potuiſſet, poſterius Obonis fragmentum Fortunato Vlmo ad tuendam Venetorum ſcriptorum cauſam oraculi loco fore, magis cautè, vt arbitror, magiſque prudenter fabuloſi auctoris ſcriptis auctoritatem conciliaſſet.

VLMVS.

QVAMVIS autem ad hiſtoriæ veritatem parum afferat præſidij eloquentia; fatendum tamen eſt maximè præcipuam ac ſingularem huius Auctoris eſſe, dicendique formas ipſi proprias ac peculiares. Non enim alios eſt imitatus, ſed copioſæ cuiuſdam & grauis eloquutionis princeps, tam aptè numeros temperauit, orationemque ſuſtinuit, vt ab eloquentiæ ſtudioſis iure optimo tanquam egregium aliquod exemplum ſuſpici debeat. Hac de cauſa id quod ſupra dixeram clarius patet, nimirum, cum Obonis ſtylus eius ſit præſtantiæ quæ in fragmento libri ſeptimi, & octaui præcipuæ hiſtoriæ à Bardo in lucem edito pagina LXXXVI. *cernitur, non eiuſdem, ſed alterius eſſe narrationem, quæ Alexandri facta ſummatim complexa, Obonis nomine à Bardo affertur pagina* CXLVII. *diuerſo ſane ſtylo, atque ab eius puritate & grauitate quo præcipua hiſtoria conſcripta eſt, longè diſſimili,*

ſimili; ſed quamuis dictionis ornamenta, veluti hiſtoriæ minimè neceſſaria omittamus; negandum tamen non eſt, exactiſſimum eſſe illius ingenium, qui aptos Orationis numeros ſectatur; id enim indicium eſt, eum non temerè, ſed meditato ſcribere. Quàm ſibi conſtet Obo: quàm ſit veridicus, quámque à diplomatibus, ac litteris Alexandri non diſcrepans; ſed veluti robur aliquod ac firmamentum veritatis, quod ab ea nunquam diſſentit, conſentit ſemper, ſatis oſtendere nequeo, niſi fuſiùs de ſingulis hiſtoriæ partibus, quam præ manibus habemus, diſſeruero. Efficiam id ſuis locis perlibenter, cum fixum mihi ſit ſeucriſimè examinare ac perpendere ſingula dicta cuiuſcunque Auctoris, qui hac de re minus è veritate ſcripſiſſe iudicetur; vt inde rectè ne an perperam dicta ſint, appareat. Interim fideiubeo (quod opportunè ſuo loco præſtabo) Obonem eorum quæ inter Alexandrum & Fridericum tranſacta ſunt, quæque præcipua in ſchiſmate, & pace euenerunt, incorruptum fore teſtem omnique exceptione maiorem: contra verò eos qui ſecùs ſcribunt, falſitatis crimine teneri. Huiuſmodi eſt primum ac præcipuum in Venetorum cauſa veritatis teſtimonium Romæ tot annis in Vaticano aſſeruatum; vnde paulò ante Bardum Ioannes Petrus Ferrettus Milenſis Epiſcopus, id quod ad rem erat, deſumpſit. In eo ſitum eſt noſtræ diſputationis robur ac pondus. Exteros ſcriptores ac noſtros, ſi qui ſunt qui ab Obone valde diſſentiant, neque cum illo antiquitate ac veritatis ſtudio conferri poſſint, repudiamus.

RESPONSIO.

HIs quæ extremo teſtimonio ab Vlmo afferuntur, reſpondere tantiſper ſuperſedeo, dum aliqua prius in Obonem animaduerſione digna exponam. Ijs explicatis meum de illius eloquutione, conſtantia, integritate, atque adeò de toto ſcriptionis genere iudicium in medium proponam.

In fragmentum ſeptimi, atque octaui hiſtoriarum libri Obonis Rauennatis, Animaduerſiones.

Aliud Obonis fragmentum primò loco à nobis editum ſine animaduerſione præterimus, quod Vlmus penes quem totius Venetorum ſcriptorum cauſæ arbitrium eſt, illud rebus ſuis minus idoneum exiſtimauerit. De hoc poſteriori vnum præfari libet, non integrum, vt Bardus nuper ediderat, ab Vlmo euulgatum eſſe, ſed ab illis tantum verbis libri ſeptimi. [Aderat annus "

„ Pontificatus Alexandri iam ſextuſdecimus, at ſupra vndecies „ centenos quintus ac ſeptuageſimus à ſalute noſtra vertebatur.] Qui hominis calliditatem ignorant, facilè exiſtimabunt eā fragmenti partem ab illo prætermiſſam, quod multa in ea interrupta, multa hiantia ſint, nihilque ad controuerſiam, de qua agitur, pertinens complectatur. Hæc quidem in ſpeciem fuerunt in cauſa, cur omitteretur; ſed reuera aliud latet, à quo Vlmus maximè inductus eſt; quod nimirum in ea plura contineantur quæ ad probandam Pſeudo-Obonis impoſturam plurimum valent. Optaſſet ille quidem à Bardo prætermiſſam, atque omnino obliuioni traditam; ſed neque ille qui Obonem finxit, neque Bardus qui primus in lucem expoſuit, omnibus obiectis quæ aliquando interuentura erant, occurrere potuerunt. Nos totum fragmentum, vt à Bardo datum eſt, à principio, ordine percurremus, & paucis quæ notatu digna videbuntur, ſelectis, omnem Lectori cenſuram permittemus.

O B O.

DEFVNCTO igitur Adriano Quarto ſummo Pontifice, Alexander Tertius legitimè ſubſtituitur, quem quidem Cardinales circiter viginti, quos tamen non pauciores octo & decem fuiſſe conſtat, Pontificem legerant.

ANIMADVERSIO.

NIHIL æquè ea tempeſtate omnium ſermonibus iactatum, præſertim in Italia, quàm Alexandri Tertij veri Pontificis, & Octauiani Pſeudo-Pontificis electio. Miſſæ paſſim ea de re ab Alexandro, Miſſæ à Cardinalibus, quorum ſuffragijs Pontifex renunciatus fuerat, litteræ, quæ & rei geſtæ ſeriem, & ſuffragatorum numerum complectebantur; vt creditu admodum difficile ſit, ea, non dicam accuratum & diligentem hiſtoricum, cuius munus eſt omnia ſedulò ſcrutari quæ narratione digna ſint, latuiſſe; ſed in Lombardia, quæ ob eam cauſam factionibus ſtatim diſtracta eſt, etiam quoſcumque de triuio. Certè Oboniana loquendi forma ſatis oſtendit, ſcriptorem, non ſolùm Cardinalium numerum à quibus Alexander electus eſt, ignoraſſe; ſed exiſtimaſſe præterea, eos non plures fuiſſe, quàm viginti. Nam vocem (circiter) vt ex ijs quæ ſequuntur, patet, non refert ad numerum maiorem

maiorem viginti, ſed ad minorem. At Alexandrum minimùm elegerunt Cardinales duo ſupra viginti, quod planiſſimè habetur ex Radeuico eius temporis ſcriptore, apud quem totidem eius electioni ſubſcribunt. Honuphrius Panuinus quatuor, & viginti elegiſſe narrat: Ciaconius verò tres, & viginti. Si igitur Obonis verba corrigenda eſſent, aptiùs diceretur. [Quem quidem Cardinales elegerunt circiter viginti quatuor, quos tamen non pauciores viginti duobus fuiſſe conſtat.]

O B O.

CONTRA, Octauianum ex Romana nobilitate hominem tituli ſancti Clementis Preſbyterum Cardinalem tres tantum nominarunt.

ANIMADVERSIO.

ERRAT primò Pſeudo-Obo. Non enim Octauianus tituli fuit ſancti Clementis, ſed ſanctæ Cæciliæ tranſtyberim. Docet Radeuicus: docent litteræ Anaſtaſij Quarti ad Canonicos Lateranenſes datæ anno M.CLIV. aliæque ad Petrum Cluniacenſem anno M.CLV. Docent publicæ Tabulæ emptionis Corilani die XXVII. Auguſti anno M.CLVIII. apud Cencium Camerarium: docent omnes ſcriptores, qui eum ſemper Cardinalem tituli ſanctæ Cæciliæ appellant.

Errat præterea, cùm ait, Octauianum à tribus Cardinalibus electum fuiſſe; electus enim tantummodò eſt à duobus. Teſtantur litteræ Alexandri Papæ ad Bononienſes, quas refert Radeuicus, aliæque ad Cantaurienſem Archiepiſcopum, quæ in Vaticana Bibliotheca aſſeruantur. Idem oſtendunt litteræ Cardinalium ad Fridericum Imperatorem, apud eundem Radeuicum, & litteræ Arnulphi Lexouienſis Epiſcopi apud Baronium: quibus coronodis loco addimus Vlmum, qui contrà Bardum hæc ipſa confirmat.

O B O.

FRIDERICVM Imperatorem ab Adriano Romæ paulò antè coronatum, qui tunc ad obſidendam Cremonam deſederat, obſecratum miſit.

ANIMADVERSIO.

FRIDERICVS ea tempeſtate Cremonenſibus amicus erat, Cremenſibus infenſus, quorum Ciuitatem Cremonenſium ſuaſione obſidebat, quod Radeuicus teſtatur.

OBO.

ROMAM hinc reuerſus, cùm ſibi omnia in[...]iora expectatione offendiſſet, in Gallias proficiſci, hortatu præcipuè Ludouici Francorum Regis conſtituit. Haud ſum inſcius, quoſdam Annales Philippum pro Ludouico habere, cùm Philippus ea tempeſtate vix dum natus, vel certè infans eſſet.

ANIMADVERSIO.

HÆc verba non ſolùm oſtendunt, Pſeudo-Obonem Alexandri æqualem non fuiſſe, ſed aliqua à ſcriptoribus Alexandri ætate longè poſterioribus accepiſſe. Si enim Annalium quorum meminit, Auctor ipſi Alexandro ſuppar ſaltem fuiſſet, nequaquam de Francorum Rege Alexandri æquali tam oſcitantur loquutus fuiſſet.

OBO.

MESSANAM primò vi ventorum delatus VVilhelmi Regis triremi, Romam dein peruenit, Pontificatus ſui anno ſexto, vel vt alij tradunt, ſeptimo.

ANIMADVERSIO.

SI liberet contrà Pſeudo-Obonem hîc exclamare quemadmodum contra ſcriptorem Actorum Alexandri iniuriâ exclamauit Vlmus, par pari referrem, ſi dicerem ſimulatam eſſe & fictam eius diligentiam, cùm res enucleatè perſequitur. Qui enim de annis dubius eſt, quomodo minuta atque exigua certò narrare poteſt?

OBO.

IMPERATOR quam maximis poteſt itineribus Romam cum omni exercitu contendit, ne quam opprimendi Pontificis occaſionem prætermitteret, poſitiſque ſub Marij colle in pratis, quæ Neroniana dicuntur, caſtris, Vaticanum irrumpere conatur.

ANIMADVERSIO.

COGITAVI equidem diu cùm Obonis fragmentum ab Vlmo editum vidiſſem, quonam potiſſimum tempore confictum videretur. Comptam affectatè eloquutionem, compoſitas narrandi formas, elaboratam totius ſcriptionis ſtructuram, proximi ſæculi diligentiam potius, quàm prioris vllius æui ruditatem olere iudicabam. Sed cùm idem fragmentum integrum apud Bardum perlegi, atque in hunc locum, qui in Vlmiano Obone deſideratur, incidi; enimuerò ſubſtiti aliquantulum, donec animo repetitis veterum ſcriptorum monumentis, memini quidem eum collem apud illos, Ianiculi (is enim perpetuis iugis à Sublicio per agrum Vaticanum vſque ad Miluium pontem porrigitur) nunquam tamen Marij appellationem ſortitum eſſe. Suſpicatus ſum ex hoc vno verbo, fragmenti illius ætatem deprehendi poſſe, perquiſitáque re diligentiùs, inueni ab anno Domini M. CXI. ſedente Paſchali ſecundo in Actis, tum illius, tum conſequentium Pontificum in Ioannis Villani hiſtoria, atque in publicis tabulis emptionum ac venditionum vſque ad annum M. D. XI. continentur, & perpetuò Montem Malum, non Marij appellatum fuiſſe. Inueni prætereà Marium Millinum Ciuem Romanum Sixto Quarto, atque Innocentio Octauo Pontificibus maximam eius collis partem coëmptis circumquaque vineis, priuatim familiæ ſuæ addixiſſe; atque ab eo tempore eidem Montis Marij nomen vulgò factum eſſe. Hæc, ſat, ſcio, Vlmo non placebunt, quod Obonianæ fraudis latebras nimis altè rimari videantur; ſed ea vnico verbo confutare poterit, ſi veterem ſcriptorem afferat, qui, vel ſemel eum collem Marij nomine inſigniuerit. Mendax igitur Obonis fragmentum poſt annum M. D. fabricatum fuiſſe conſtat. quoto tamen eius ſæculi anno, adhuc nobis incompertum eſt.

O B O.

ANNO, qui erat ſalutis noſtræ vltra mille ac centum, octauus ac ſexageſimus, & Alexander tunc annos octo Pontificatum tenuerat.

ANIMADVERSIO.

SI præter octo Pontificatus annos, quinque menſes elapſos velit, rectè loquitur, dummodo annos numeret à Chriſti Domini Natiuitate; nam ſi numeret ab Incarnatione, præter octo annos, elapſi tunc erant decem menſes.

O B O.

IN ſequentibus annis præter crudelem Friderici in populos Eccleſiæ tyrannidem, & varias Germanorum iniurias in eas ciuitates quas in Ethuria Romam vſque præſidys retinebant, nihil memoratu dignum comperimus.

ANIMADVERSIO.

HOC eſt (vt ego interpretor) illius temporis ſcriptores nihil memoriæ prodiderunt, quod ipſe in nuperrimum ſuum libellum transferre poſſet. Obſeruaui diligenter Obonis artificem nullis veterum monumentis æquè frequenter ac familiariter, præterquàm cùm mentiri ſtatuerat, vſum eſſe, atque actis Alexandri Tertij: quæ tamen Vlmus beneficij immemor tam malignè carpere veritus non eſt; ſed hæc verba aliud cenſoriâ nota magis dignum complectuntur; habent enim ſequentibus annis poſt Alexandriam obſidione liberatam, vſque ad menſem Maium anni M. CLXXV. quo tempore Friderici noua narratur expeditio, nihil memoratu dignum contigiſſe. At Alexandriam obſidione liberatã conſtat ante FeſtumPaſchæ anno M.CLXXIV. Hinc ad Maium anno M. CLXXV. ſpatium intercedit vnius anni, vniuſque menſis. Aut igitur Pſeudo-Obo Alexandriam multis antè milleſimum centeſimum ſeptuageſimum quartum ab obſidione liberatam annis falſo ponit, aut infra vnius anni vniuſque menſis curriculum plures annos ineptè concludit. Argumentum multo

multò vrgeret vehementiùs, ſi verum eſſet quod exiſtimauit Vlmus, Alexandriam obſidione liberatam fuiſſe ante dimidium menſis Aprilis M.CLXXV. oſtenderet enim inſequentes Obonis annos, ſexquimenſem, aut non implere, aut non excedere.

O. B O.

IS inflammatiore quàm vnquam ad id tempus animo exagitatus, & penè in furorem actus, copias ex fuga omnes in vnum collegit, & accito properè ex Germanis ſupplemento, ſimulata ad præſens iniuriarum obliuione Lombardos omnes ad ſe venientes blandiſſimè alloquutus, animos hominum demulcebat, ne quis retrò ſe tam ardentibus animis repentinus tumultus oriretur.

ANIMADVERSIO.

HIc habenæ laxantur mendacijs; nam cætera quæ Pſeudo-Obo hactenus peccauit, inſcitiæ lapſus fuere potiùs quàm fallaciæ; ſed conſideret Lector quam huiuſmodi narratio veriſimilitudinem habeat. Fridericus exercitu iuxtà Comum à Lombardis penè deleto, vix fuga elapſus, acceptæ cladis iracundia copiarum reliquias ſtatim colligit, aduocato properè Germanorum ſupplemento, non vt iterum cum illis prælio decernat atque inſignem ignominiæ notam deleat; ſed vt Alexandrum Pontificem in Hernicis Apoſtolicæ adminiſtrationis muneribus vacantem, hoſtiliter inſectetur. Verùm Pſeudo-Obonem interrogo, vndenam illud Germanorum ſupplementum aduocatum ſit. Non ex Germania, quia exercitus in Germania ſummo labore collectus, recèns cæſus fuerat; neque ex diuerſis Italiæ regionibus, quia ad Comenſem pugnam quos adunare in Italia potuerat Germanos milites, ſecum adduxerat. Prætetea quæro, vtrum Fridericus, qui perſpicacitate atque calliditate cæteros ſuæ ætatis Duces ſuperauit, crediderit illa beneuolentiæ ſimulatione Lombardorum animos ita ſibi deuinctos eſſe; vt nihil in poſterum contra ſe viderentur aggreſſuri. Si affirmet, dicam eum poſt rem malè geſtam, admirabili conuerſione ex aſtuto credulum, ex verſipelli ſimplicem euaſiſſe. Si neget: inferam non ergo ſibi perſuaſit nihil in Lombardia turbarum poſt ſuum diſceſſum excitatum iri.

O B O.

IPSE, vere appetente, præparatis per hyemem omnibus ad Pontificem Anagniæ commorantem perſequendum, trans Apenninum primò ad Lucam cum omni exercitu conſedit. Inde per Ethruriam progreſſus, confirmatis eorum animis quos præſidys detinuerat, & deuaſtatis reluctantium agris, oppidiſque direptis, Romam prætergreſſus, exercitu ſupra Tyberis & Anienis confluentem traducto, Anagniam rectà properabat.

ANIMADVERSIO.

SCILICET Fridericus bellicæ artis experientiſſimus, amiſſo exercitu pauciſque collectitijs militibus tantùm ſtipatus, ad nouam atque incertam expeditionem Lombardiâ excederet, & fœderatas ſibi Ciuitates, vnicum rerum attritarum perfugium, hoſtibus recenti victoria elatis diripiendas desereret; & non potius ibidem ſubſiſteret, vt illas, ſi fortè nutaſſent, ſua præſentia confirmaret, auctiſque armatorum præſidijs tueretur? Non enim illi exciderat quomodo exercitu peſtilentia conſumpto Lombardi eum anno M. CLXVIII. cum paucis fugientem infeſto milite ita inſequuti ſint, vt demum diſſimulatâ Imperatoris perſonâ, ſimulatóque famuli habitu trans Alpes ſe recipere compulerint, Ciuitatéſque omnes, quæ in illius fide intra Lombardiam permanſerant, Germanis interfectis, in ſuam poteſtatem redegerint.

O B O.

PONTIFEX, qui neque exercitu, neque pecunia munitum ſe deprehendi periculoſum nimis exiſtimabat (hunc enim non eſſe Attilam, cui Leo Pontifex obuiam inermis progreſſus ſeruatus eſſet, ſatis cognouerat) effugio patenti interclusus, ne ſe vltra furenti faci obijceret, Anagnia priuato habitu clam ſeceſſit.

ANIMADVERSIO.

NEQVE ego neque alius quiſquam viderit, qua ratione Pontifici in Siciliam ad VVilhelmum maximè ſibi addictum

ctum ac vectigalem Regem, effugium interclusum fuerit. At Imperator (inquies) cum exercitu tam expeditè, & tacitè iter habuit, vt antequam à quoquam ſentiretur, iam Anagniæ immineret. Crederem, ſi Ticinum Anagniâ decem aut quindecim paſſuum millibus diſtaret; ſed iſta de longo itinere, déque gradario Germanorum exercitu dici nequeunt; neque verum eſt Alexandrum Anagniæ ſine militum præſidio fuiſſe; nam in pacis conuentionibus, quæ inter ipſum, & Cæſaris Oratores inibi conſtitutæ ſunt, mentio habetur nobilium Romanorum qui militibus in Hernicis præerant. Horum procul dubio Alexandrum atque Prouinciam ab hoſtibus tueri munus fuerat. Præterea VVilhelmus Rex Alexandro paulò antè Rogerium & Tancredum Duces cum militaribus auxilijs aduerſus Fridericum ſummiſerat. Quis igitur credat Fridericum, qui Lombardos hoſtes infenſiſſimos à tergo victores haberet, à fronte verò Pontificios milites, & VVilhelmi Regis copias, à quibus facilè medius excipi poterat, contra omnem belli adminiſtrandi rationem, ſe ſe in eas anguſtias conieciſſe?

OBO.

QVEM cùm in Apuliam profectum Fridericus cenſeret, per ſingula fermè oppida deliteſcentem conſectatus, omnia ſibi ad Tarentum ſubegit, & Pontifici Alexandro terra marique grauiſſimo edicto interdixit. Erat hic annus ſupra vndecies centum ſextus, ac ſeptuageſimus, & Pontificatus ſeptimus decimus, cum nuſquam Pontifex appareret.

ANIMADVERSIO.

SI verum eſſet id, quod Vlmus contra Romualdum ex Sigonio attulit, Alexandrũ die XXIII. Ianuarij anni M.CLXXVII. Anagniæ palàm diplomata dediſſe, fugæ falſitas quam anno M. CLXXVI. contigiſſe Obo narrat, ſatis oſtenderetur. Sed quia id falſum eſſe docuimus, ne veritatem mendacio confirmare videamur, dicimus extare Alexandri diplomata hoc ipſo anno Anagniæ data menſibus Ianuarij, Aprilis, Iulij, Auguſti, Septembris: quale eſt illud decimo octauo Kal. Februarij VVilhelmo Siciliæ Regi, quo confirmantur priuilegia Eccleſiæ montis Regalis à ſedecim Cardinalibus ſubſcriptum, & aliud IV. Id. Iul.

Philippo de Marano, & Raynaldo, ac Bartholomæo eius filijs, quo confirmat feudum Caſtri Gennari, quod ijs conceſſerat Simon Abbas Sublacenſis S. R.E. Cardinalis, à tribus Cardinalibus ſubſcriptum; & aliud non: Iul. Præpoſito & Canonicis Eccleſiæ Aquileienſis, quo eius Priuilegia confirmat, ſubſcriptum à quatuordecim; & aliud Priori Carthuſienſi I V. Non: Septemb. quò illum ordinem commendat, ſubſcriptum itidem à quatuordecim. Alia duo refert Panuinus: alterum pridie Kal. Maij, alterum verò pridie Id. Auguſti. Hæc niſi apertè conuincunt, Obonem fictum eſſe ſcriptorem, nulla ſupereſt ratio, qua ſuppoſitos libellos à veris internoſcere poſſimus.

O B O.

IMPERATOR exercitu per Apuliam in hyberna dimiſſo, Laudonem I V. *Antipapam, qui Innocentius dictus eſt, Sirmienſi Ioanni ſubrogatum, quaſi vita functo Alexandro, quem nuſquam locorum comperire erat, vel perpetuum edicti metu à Pontificatu ſibi temperaturo, in verum Pontificem firmari ſatagebat.*

ANIMADVERSIO.

MIRA ſunt, quæ excogitauit Vlmus, vt Obonis de Laudone narrationem faceret veriſimilem; ſed quia coniecturarum quas affert, neminem laudat auctorem, confutare ſuperſedebimus. Scio à Ioanne Villano Laudonem in eo ſchiſmate quartum poni Pſeudo-Pontificem. Scio à Dandulo tradi Ioannem Sirmienſem, qui Calixtus dictus eſt, hoc tempore obijſſe, illique Laudonem à Friderico ſuffectum, à quibus (vt exiſtimo) Pſeudo-Obo & alij in errorem inducti ſunt. Sed Calixtum poſtremum in eo ſchiſmate Pſeudo-Pontificem fuiſſe duo apertè probant; alterum eſt Decretum Concilij Lateranenſis Alexandro Pontifice, quo, cùm omnia trium Pſeudo-Pontificum, Octauiani, Guidonis, & Strumenſis acta reſcindantur, nulla Laudonis habetur mentio: quæ ſanè, vt ſchiſmatis reliquiæ penitùs delerentur, prætermittenda non erat: alterum quia eius ætatis ſcriptores grauiſſimi, Rogerius Anglicus, Sigebertus, Bernardus Præpoſitus Papienſis, trés tantùm Pſeudo-Pontifices numerant; atque inter eos poſtremum faciunt Calixtum, qui Alexandri, & Friderici pacificationi ſuperſtes fuit.

OBO.

OBO.

ANIMOQVE ultionum, & ſanguinis inſatiabili, bellum, quaſi confecto pontificio bello, in Emanuelem Conſtantinopolitanum Imperatorem apertum ſibi declaratum hoſtem, parare cœpit: Brundusijque coaceruata materia triremes quàm plurimas poteſt compingendas curat. Ipſe operi Princeps aſſidet, atque inſtat.

ANIMADVERSIO.

HIc mendacijs ſternitur via mendacio maximè palmari de Othonis nauali pugna, déque Ziani Ducis victoria, dum Fridericus qui Ticini rebus perditis hyemabat, fingitur Brundusij claſſi comparandæ intentus.

OBO.

IIS in Apuliam in hunc modum conſtitutis, Alexander intereà ubi omnia Italiæ loca ab Imperatorijs ſatellitibus luſtrari cognouit, ſicubi eum fortè quis deprehenderet, deſperatis rebus ſecum deliberabat, ſatius ne eſſet ad VVilhelmum Siciliæ Regem proficiſci, an in Gallias rurſum euadere, an Venetiam ſeſe conferre, VVilhelmi ad tantos Friderici exercitus vires imbecillæ, & Patris in ſedem Apoſtolicam nullis dum calamitatibus obſeſſam inſtati memoria; tenuè præterea in aduerſis præſtitum auxilium, ſuadebant ne illi ſalutem ſuam facilè crederet Alexander, tam propinquo præſertim hoſte, tam pertinaciter ſeſe appetente. Profectionem in Gallias, ut inanem, & quæ præter fugæ diuerticulum, nihil ei aduerſus Fridericum præſtitura eſſet, damnabat. Venetiam Ciuitatem liberam, & ob id minimè ſuſpectam, quam item amicam potiùs & ſuarum partium fuiſſe cognouerat, maximè adeundam putabat, ut prætentatis hominum animis, vel defendi ſe à Venetis impetraret, vel ſaltem ad Veronenſem ſocietatem ijs vicinam, quæ Friderico aduerſabatur, tutò tranſiret.

ANIMADVERSIO.

QVID hac deliberatione frigidius? quid compoſitum ac fucatum magis? Videlicet hic ſcriptor ſingula eò dirigit,

vt omnes ſibi perſuadeant Pontifici nihil in toto Chriſtiano orbe præſidij, niſi Venetijs reliquum fuiſſe. Si dixero Oboniani fragmenti auctorem ita Venetorum gloriæ ſtuduiſſe, vt multum de maximorum Regum exiſtimatione contra ius faſque detraxerit, nullum illi falſum crimen effingam, quemadmodum iniuria affinxit Vlmus Romualdo, cum dixit, eum Venetis infenſum omnia ad illuſtrandam VVilhelmi Regis famam compoſuiſſe. Sed mirum eſt quàm multa in paucis Pſeudo-Obonis verbis à vero abhorrentia lateant. Cur deberet Alexander incertam, & adhuc ſibi ignotam experiri Venetorum fidem VVilhelmo tanquam ſibi ſuſpecto prætermiſſo, cui cum Friderico graues ſciret inimicitias intercedere, & cuius præſens in ea fortunæ aduerſitate non ſemel expertus erat auxilium? Cur Ludouico Francorum Regi ſe credere timeret, cuius anteà aduerſus Fridericum, patrocinium & maximum & conſtans fuiſſe cognouerat? Sed iſta operæpretium non eſt pluribus refutare. Euoluat Lector eorum temporum hiſtoria. Pluſima, ſat, ſcio atque eximia comperiet vtriuſque Regis in Alexandrum promerita: Venetorum adhuc nulla. Sed, vt hoc figmentum ipſis Venetis armis penitus conficiamus, quî fieri poterat vt Alexander ante firmatas pacis conuentiones Venetis ſe committere auderet, quos ſciret paulò antè perpetuam cum Friderico pacem feciſſe? Teſtem affero locupletiſſimum Andream Dandulum Venetum Ducem in Chronico, qui id anno Ziani Principis tertio, hoc eſt ſalutis M. CLXXV. contigiſſe narrat. His accedit, Alexandro nullam huiuſcemodi deliberationis cauſam fuiſſe, cui iam fide data atque accepta conſtitutum eſſet in Lombardiam iter ſuſcipere. Cuſtoditur Romæ in penitiori ſedis Apoſtolicæ tabulario quod in Arce ſancti Angeli ſitum eſt, inter inſignia Pontificum monumenta exemplar conuentionum pacis quæ inter Alexandrum & Cæſaris Oratores Anagniæ anno M. CLXXVI. conſtitutæ ſunt, cuius auctoritate ac fide, etiamſi alia deſiderarentur argumenta, non ſolùm eius deliberationis aboletur figmentum, ſed etiam alia de Alexandri fuga, déque Friderici in Apuliam irruptione & Brunduſina claſſe ac Ziani pugna penitùs profligantur. Contra verò mirum in modum confirmantur illa quæ à ſcriptore actorum Alexandri atque à Romualdo Salernitano tradita ſunt. Earum initium eſt; [Dominus Imperator Fridericus, &c.]

OBO.

O B O.

CVMQVE id penitus conſtituiſſet, ad Garganum Apuliæ montem ſubrepens, a Veſte oppidulo Iaderam Liburnico nauigio delatus, atque inde aliò, Venetiam ignotus acceſſit. Ea nocte ſub veſtibulo Baſilicæ Saluatoris, quæ in Riuoalto eſt, pernoctauit. Inſequenti die ad Monaſterium Diuæ Mariæ cognomento Charitatis, diuertit. Id Marci Iuliani operâ & impenſâ nuper conſtructum fuerat

ANIMADVERSIO.

SVSPICOR his quæ de Marco Iuliano dicuntur ſubeſſe mendacium; nam Eugenius quartus in Bullâ Canonicis eius Monaſterij datâ anno M. CCCCXLVI. quæ in vaticano regeſto habetur, ait, Eccleſiā vnà cum Monaſterio à Canonicis regularibus, Calixto ſecundo Pontifice, in prædijs à Petro Preſbytero in hanc rem attributis, ædificatam fuiſſe, nulla facta Marci Iuliani mentione; quo loco Petrum ſolummodo fundatorem agnoſcere videtur. Cur autem Iulianum prætérijſſet, ſi eius opera atque impenſa Templum ac Monaſterium ædificatum eſſet? nam ignoraſſe credibile non eſt, cùm Petrum, à quo prædia ſunt donata, non ignorauerit. Neque Marcus Iulianus inſtaurator eſſe potuit, cùm Eugênius in ea Bulla omnem eius Templi & Monaſterij vſque ad ſua tempora progreſſum atque incrementum narret.

O B O.

AFFERVNTVR caſtigandæ Pontifici litteræ, quas legere conſtantiſſimè renuit, ſcire ſe inquiens qua in Ciuitate ſpem ſuam defixiſſet: quibus item adminiſtrandam rem hanc demandaſſet. Tum Nuncius, Pontifice inſpectante, litteras cera obſignare annixus, ab eo corripitur; duobus enim modis Veneti Duces multos antè hoc tempus annos, quemadmodum ſuprà docuimus, cera ſcilicet ac plumbo litteras concludebant. Iuſſit ergo Pontifex plumbeo ſigno litteras obſignari, neue aliter Zianus Dux, & qui eſſent deinceps illi ſucceſſuri, vllas in vniuerſum litteras obſignarent.

D

ANIMADVERSIO.

EXEMPLVM Obonis, quo Sabellicus vſus eſt, hæc diuerſo modo narrat, vt enim ipſe ex Obone refert, duplici Veneti Principes ad eam diem ſignandi forma vſi fuerant; nam publica monumenta, plumbo, epiſtolas & reliquos libellos cærâ conſignauerant; ſed tunc primum Alexandro auctore receptum eſt, vt omnia nullo diſcrimine, plumbo conſignarentur. Obo Sabellici ait ante Alexandrum à Venetis epiſtolas, & reliquos libellos cærâ tantùm obſignatos; Obo verò Bardi atque Vlmi docet modò cærâ, modò plumbo promiſcue. Deinde Obo Sabellici publicorum monumentorum meminit, quorum nullam Obo Bardi mentionem facit. At quid hoc eſt, niſi vnum atque eundem Obonem Sabellici & Bardi non eſſe; ſed penitus diuerſos?

O B O.

IS ita conſtitutis, Pontifex proſequente Venetorum Duce, & Ciuitatis Primoribus Ferrariam tranſiit.

ANIMADVERSIO.

ALEXANDER Ferrariæ fuit à die decima Aprilis anni M.CLXXVII. vſque in diem nonam Maij, duobuſque ante eius diſceſſum diebus Venetorum Nuncij, Ducis nomine, & Lombardiæ Rectores, nomine ſuarum Ciuitatum, cum Ferrariæ Conſulibus de quodam aquæ Padi exitu ſtipulati ſunt. Si Dux Ferrariæ fuit, cur Nuncij, eius nomine mittuntur? At de re graui agebatur, cui cùm ipſi Rectores & Conſules intereſſent, Dux grauatè ferre non poterat, quod ſe coram perficeretur. Huius conuentionis tabulæ aſſeruantur Ferrariæ in publico Archiuio, quarum exemplum nos inde deſumpſimus. Aut igitur Dux Pontificem Ferrariam comitatus non eſt, aut illum Venetias non reduxit; quorum alterum Oboni apertè repugnat; alterum eidem aduerſari ex ijs quæ ſubijcit, videtur.
„ [Quare [*Othonianæ*
„ *Claſſis Nuncijs*] permotus Alexander, omiſſo quod inchoauerat
„ itinere Venetiam reuertitur. Dux propere deductis nauibus.]
Dum enim hoſtium aduentu nunciato prius narratur Alexandrum

drum Venetias rediiſſe, deinde Ducem ſe ad bellum comparaſſe, ſatis veriſimiliter deducitur, ambos ſimul, & Nuncium hoſtium Ferrariæ accepiſſe, & inde Venetias regreſſos eſſe. Non poſſum hîc facere quin Lectorem de Pſeudo-Obonis oſcitantia admoneam; non enim cùm hæc fingeret, animaduertit futurum fuiſſe, vt Alexander qui Lombardorum ſocietatem omnibus rebus ad bellum ſuſtentandum inſtructam, ac victorijs de Friderico reportatis glorioſam, ſibique fœdere coniunctam, proximam habebat, nunciata Ferrariæ, tam ingenti Friderici claſſe, quæ Venetijs magnum excidij periculum allatura erat, ſtatim in tutum ſe ad illam, Venetijs tantiſper valere iuſſis, reciperet.

O B O.

DVCI enſem tradidit vindicandæ in libertatem ſedis Apoſtolicæ monumentum perpetuò geſtandum.

ANIMADVERSIO.

NON erat cur ſedes Apoſtolica ab vllo in libertatem vindicaretur quæ à nemine aſſeri in ſeruitutem poteſt. Si Obo, vt Bardus interpretatur, loquitur de enſe, quem conſecratum Romani Pontifices Principibus viris donare conſueuerunt, egregiè fallitur; nam libri quibus Apoſtolicæ ſedis ritus ab anno M. CXIV. vſque ad annum M. CXCII. diligentiſſimè deſcribuntur, aureæ quidem Roſæ conſecrationem habent: enſis verò non item; nullúſque ſcriptor, quem ſciam, adhuc memoriæ mandauit ante Bonifacij Octaui Pontificatum, enſem à Romano Pontifice, aut conſecratum, aut dono miſſum fuiſſe. Quibus Obo multorum eſt inſtar, ij grauiorem teſtem ne quærant. Ego certè alium mihi dari velim. Hæc ſi vera ſunt, vt minimum oſtendunt, Oboniani fragmenti parentem, eius quam nobis vendicare Vlmus conatur, antiquitatis non eſſe.

O B O.

QVOD in ſequentibus annis continenter repetitum Veneti Duces ea celebritate factitant.

ANIMADVERSIO.

DE maris deſponſatione loquitur; ſed hæc etiam verba difficilè vſurpare potuit is qui Alexandri Tertij ætate vixit.

OBO.

IPSE vniuerſalem delictorum omnium remiſsionem, quam ſoluenti claſſi pronunciarat, omnibus omninò qui Aſcenſionis die templum Diui Marci adijſſent, perpetuò promulgauit.

ANIMADVERSIO.

DE his indulgentijs Obo cum litteris Apoſtolicis quas Veneti ſcriptores proferunt, minimè conſentit; ille enim indulgentias conceſſas vult Kal. Iunij anno M. CLXXVII. litteræ verò datæ leguntur Venetijs die X. Maij annò Pontificatus XVII. quo tempore Alexander Anagniâ nondum diſceſſerat; ſed de harum litterarum falſitate infrà dicemus. Interim moneo Obonis ſcriptorem imprudenter finxiſſe indulgentias diuerſo tempore, quàm Bullæ, quas Veneti veras putant, conceſſas.

OBO.

QVORVM vires experti noſtro periculo terra & mari ſumus.

ANIMADVERSIO.

VERBA ſunt Othonis ad Fridericum parentem, Venetorum potentiam amplificantis; ſed velim mihi dicat Pſeudo-Obo, ſiue Vlmus illius patronus, qua terreſtri pugna, quáue expeditione Fridericus aduerſus ſe Venetorum vires expertus ſit; ego enim Venetos contrà illum terra pugnaſſe adhuc non audiui; neque apud vllum ſcriptorem, ſiue teſtatæ, ſiue dubiæ fidei, perlegi. Legi tamen apud Dandulum, eos, vt ſuprà animaduerti, cum Friderico Cæſare anno M. CLXXV. perpetuam pacem iuramento ſanxiſſe.

OBO.

O B O.

E R A T *autem ex ijs vnus Imperialis Comes: alter Archicamerarius, quorum nomina incerta ſunt.*

ANIMADVERSIO.

M I R O R Obonem, quem, teſte Vlmo, nihil præteriuit eorum quæ ad illius ætatis hiſtoriam pertinent, quique tot Prælatorum ac Principum, qui Imperatorem Venetias proſequuti ſunt, nomina tàm diſtinctè ac dilucidè ſuis narrationibus intexuit, eos qui Friderici loco, inſigni iurandæ pacis munere perfuncti ſunt, ignoraſſe; quos tamen inter cæteros nobilitate, ac dignitate maximè præſtantes fuiſſe, dubitandum non eſt; cùm præſertim eorumdem nomina inter eos qui paci interfuere, enumerauerit; ſed vbi eius conſilium animaduerti, hominis prudentiam non vulgari dignam commendatione cenſui; nam cùm ex veteribus ſcriptoribus centonem conficeret, viderétque apud illos de eorum qui pacem iurarunt, nominibus non liquere, nec vbi in ſalebras impingeret, cautè incerta eſſe pronunciauit. Hæc tamen callidi artificij ſagacitas apud ſapientes rerum æſtimatores, confícti libelli fraudem magis aperit.

O B O.

E O *die Petrus Zianus Ducis filius, qui Friderico obuiam progreſſus fuerat, et ad Volane Padi oſtium occurrit, & ſingulari pompa exceptum, Clodiam deduxit.*

ANIMADVERSIO.

P S E V D O-O B O tradit à Petro Ziano Fridericum Clodiam deductum die XXI. Iulij; nos tamen Priuilegium inuenimus ab illo, pridiè eius diei eodem anno Vlrico Aquileienſis Eccleſiæ Præpoſito & Canonicis, conceſſum Clodiæ in Monaſterio ſanctiſſimæ Trinitatis; hoc eſt die XX. Iulij, quod apud ipſos extat. Non igitur verum eſt quod Pſeudo-Obo ait, eum Clodiam appuliſſe die XXI. Iulij.

O B O.

PONTIFEX ijs tàm fæliciter confectis, vt Decreta quæ conſtituerat promulgaret, atque alia item ederet, Concilium fertur ijs diebus indicere voluiſſe; quod quidem nobis quâ potiſſimum de causâ celebratum non fuerit, minimè conſtat; nec verò ſumus qui ambigua pro compertis afferamus.

ANIMADVERSIO.

PSEVDO-OBO ſe ambigua pro compertis non afferre rectè loquitur; nam ſatis illi eſt manifeſtè falſa pro veris ſupponere; quod hactenùs audaciſſimè, ſed tamen parum fœliciter fecit. Quod Concilium Venetijs celebratum inficiatur, malam tuetur cauſam, quam obtinere, veritate contradicente, nequaquam poterit. Nam primò in Anagninis conditionibus illud erat, vt Pontifex primo quoque tempore aduocato Concilio excommunicationem in illos ferret, qui pacem violare auſi eſſent; idémque poſtea in generali Concilio præſtaret. Deinde vt pax Cæſaris Sacramento iam confirmata, rata, ac firma eſſet, à Pontifice accipi, atque approbari debuit. Hoc autem nullibi apud Pſeudo-Obonem dicto vel ſcripto factum fuiſſe legimus. Legimus tamen apud noſtros ſcriptores factum Venetijs in Concilio. Qui igitur Concilium de medio tollit, cogitur fateri Pontificis approbationem, quæ pacis abſolutio atque perfectio fuit, deſiderare. Cæterum Venetijs Concilium ab Alexandro, præſente Imperatore, celebratum fuiſſe, præter ſcriptorem actorum, & Romualdum, teſtantur acta Lucij tertij, & habetur inter Concilia à Seuerino Binio edita anno ſalutis M.DCXVIII. ſed quia Vlmus hos fortaſſe teſtes faſtidit, dabimus alios. En Rogerium Anglicum eius ætatis ſcriptorem, qui ait Concilium Venetijs ab Alexandro habitum, quo, Calixto poſtremo Pſeudo-Pontifice damnato, quotquot vel ab ipſo vel ab Octauiano & Guidone ſacris Ordinibus initiati fuerant, loco moti ſunt, & ſacrorum adminiſtratione excluſi. En Gottefridum Viterbienſem, qui Imperatori Friderico fuit ab Epiſtolis.

» *Vixit Alexander, tandem cui Cæſar obedit,*
» *Pacéque conſedit, Conciliumque dedit.*

Hæc teſtimonia mirum eſt quantum eleuare conetur; Rogerium enim

enim Concilij nomine, intellexiſſe ait cóuentum, cùm Pontificis, Cardinalium, & Epiſcoporũ, cùm Imperatoris, & Principum, qui Venetias pro ſtabilienda inter ſedẽ Apoſtolicam atq; Imperatorem concordia confluxerant. Et apud Gotefridum non legit [*conciliumque dedit*] ſed [*conſiliumque dedit*] vt ſententia ſit, Imperatorem pace confirmatâ ad omnes rerum gerendarum conſultationes a Pontifice adhibitum; ſed quis non videt effugia quæri, vt ſua Oboni conſtet fides? Si Rogerij verba propriè accipiamus, habemus illum cum Alexandri vita, cum Romualdo, cum actis Lucij tertij optime conſentientem. Cur igitur tam alienam interpretationem ſequamur, vt falſitati quæratur auctoritas? nam lectio, quam in Gotefrido excogitauit, noua eſt & ſententiâ tam abſurda, vt refutare non libeat. Dixiſſet ſaltem probabiliter eum de Lateranenſi Concilio loquutum, quod ab Alexandro anno M. CLXXIX. celebratum eſt; ſed ne id quidem dici poteſt, quod Gotefridus, vt fatetur Vlmus, diſceſſu Friderici Venetijs, hoc eſt anno M. CLXXVII. ſuam hiſtoriam concluſerit.

Quæ hactenus diximus ſatis apertè probant, libellum qui Obonis nomine circumfertur, atque ab Vlmo tanquam Lydius quidam lapis ad verum à falſo dignoſcendum proponitur, ſpurium eſſe atque adulterinum, tenebricoſi parentis fœtum, mentito alterius nomine in lucem editum. Verùm quia eius in dictis conſtantia, & cum Alexandri ac Friderici litteris, cúmque receptis eius ætatis ſcriptoribus conſenſio ab Vlmo tam ſæpè atque odiose commendatur, neceſſe habeo hoc loco paulò diligentiùs omnem huius artificis telam retexere, vt lector cognoſcat quantum illius integritati ac fidei tribuendum ſit. Cùm poſterioris Oboniani fragmenti parens intelligeret poſt editas a Sabellico hiſtorias, controuerſiam de Alexandri Papæ fuga, déque Ziani victoria multorum ſermonibus verſari, atque à pleriſque, præſertim externis, eius narrationem fabulæ loco haberi, cúmque ſciret illum ad Obonis Rauennatis hiſtoriam confugiſſe, quæ inter anonymos libellos poſt annum M. CCCC. Venetijs eâ de re magno numero conſcriptos, in tenebris latitabat; quod illam ſuis confirmandis figmentis parum accómodatam noſſet, ex auctoris, atque voluminis obſcuritate impoſturæ opportunitatem nactus, Apoſtolicas & Cæſareas litteras, ſcriptoréſque Alexandri æquales, illiúſque ætati ſuppares, qui ſanè pauci ſunt & perbreues, collegit, temporibuſque, locis, & perſonarum nominibus notatis, aliquot paginis quibus fragmenti ſeptimi atque octaui libri Obo-

nis hiſtoriarum nomen fecit, ſtylo fucato & compoſito, omnem Alexandri Tertij & Friderici Primi controuerſam hiſtoriam fabulis pro ſuo arbitratu interpoſitis ita complexus eſt, vt nihil in ea Pontificijs & Cæſareis litteris, illiuſque æui ſcriptoribus aperte repugnans inueniatur.; neque id factu difficile fuit, nam cùm illi breuiſſimè ſcribant, ſummaque tantùm rerum capita percurrant, narrationibus inſerendi commoditatem aſſequutus eſt. Quo enim loco ieiunè ab ijs dicitur Alexandrum Venetias traieciſſe; ibi fugam, veſtis mutationem, & latebram in Monaſterio Charitatis callidè affinxit. Quo verò narratur Fridericum eodem conueniſſe, vt pace cum Pontifice factâ Eccleſiæ reconciliaretur, Ziani naualem pugnam, de Othone capto triumphum, eiuſdémque preces ad pacem à parente impetrandam, aſtute intermiſcuit. Idque eò fecit confidentiùs, quòd duo diligentiſſimi rerum ab Alexandro geſtarum ſcriptores, qui ijs quæ narrant interfuerant, atque illum mendacij nullo negotio redarguere poterant, in Bibliothecis abditi nunquam lucem aſpexerant. Et quamuis fabuloſa quæ adiecit, neque in litteris, neque in vllis eorum temporum ſcriptoribus repererit, ſatis habuit (quod & Vlmus illius imitator profitetur) ea ab ijs, planis verbis negata non fuiſſe, quaſi verò expreſsè negare potuerint quod futurum nunquam ſomniarunt, aut perinde non ſit ea quæ præteriri ſine præuaricationis nota non poſſunt, ſilere, ac diſertè negare. Illud vltimo loco omittendum non eſt, quod Obonis auctor, vt fraudem ſedulò occultaret, hiatus identidem, & lacunas, quaſi à tineis, atque à vetuſtate in manuſcriptum codicem inductas, ſimulauit. Verùm neque in ea re ſatis callidus, ac veterator fuit; nam præterquam quod in illa hiſtoriæ parte, qua ſuas confirmat fabulas, nullas finxit antè earum explicationem, neque eandem in ſcribendo diligentiam, neque copiam aut grauitatem præſtat; ſed perbreuis eſt, & velut ad alia properans, omnia epitome inſtar in pauca contrahit.

SECVNDVM TESTIMONIVM.

VLMVS.

ALTERVM poſt Obonem teſtimonium hiſtorici eſt, quem, etſi Bardus, quòd exemplum ad manus non habuit, prætermiſit; optimè tamen Frangipanius, Sanſouinus, alijque Veneti ſcriptores norunt,

runt, cuius ſit antiquitatis. Eius exemplum a Iacobo Capitenſi Epiſcopo, qui Romam locaque ſuburbana, dum Pontifices Auenioni ſederent, pro Vrbeuetano Epiſcopo Pontio Papæ Vicario regebat, Venetias Ioanni Delphino Duci, Conſiliarijs, ſanctique Marci Procuratoribus tranſmiſſum eſt, anno M. CCCLIX *Multum ſanè huic manuſcripto conciliat fidei tranſmittentis auctoritas; quod iam inde ab eo tempore vetus erat. Eius ipſe Capitenſis vetuſtatem oſtendit, dum ait, ſe exemplum deſcripſiſſe veteris exemplaris quod difficilè repertum eſt. [Quæ nos (inquit) ex originali de verbo ad verbum pluries audire voluimus, de antiquo volumine, vtique fide digno, & difficulter reperto.] Cùm ergo Capitenſis & Delphinus ſolis* CLXXX. *ab Alexandro Pontifice annis abfuerit, ſi volumen eorum ætate antiquum fuit, ipſo Alexandri æuo conſcriptum fuiſſe credibile eſt. Hinc (vt opinor) Volaterranus, qui Romana Tabularia non minus diligenter perquiſiuit, quàm Blondus, & Baronius, ea eruit quæ de Alexandro poſteritati tradidit. Ità factum eſt, vt ſi illi duos Apocryphos ſcriptores complexi ſunt, alius ſubtilioris iudicij non defuerit, qui eorum narrationem neque fide, neque luce dignam exiſtimauerit. Equidem huiuſmodi teſtimonium antiquiſſimum duco, atque à ſcriptore Alexandri æquali profectum; anno enim ab hinc ducenteſimo ſexageſimo nono à Capitenſi Epiſcopo antiquum habitum eſt; quæque complectitur, ea cum ijs quæ ab Obone traduntur, mirificè cohærent. Hunc auctorem, quamquam à ſuis apocryphis diſſentientem, ſi ſacrorum Annalium ſcriptor vidiſſet, fortaſſe voluminis antiquitate adductus, fide ac luce quæ optimis debetur hiſtoricis, non fraudaſſet. Integrum exemplum in calce huius libelli producam, ab alio antiquo diligenter exſcriptum, cuius exiguum fragmentum ediderat Sanſouinus; totius enim, quàm particulæ faciliùs erit iudicatum.*

RESPONSIO.

MOLESTE' tulerat in Romualdo Vlmus quædam verba quibus ille ſimpliciter & candidè ſibi oculato teſti credi aliqua poſtulabat; putauit enim affectatæ fidei artificio prodi mendacium. Liceat mihi, ſi non ita faſtidiosè, certè magis verè, de Pſeudo-Capitenſi idem iudicium inſtituere, quod, vt ritè fiat, in medium eius verba afferemus [Quoniam ex verbo Euangelico pro talento abſcondito ſeruus reprehenditur, & ex latenti notitiâ quaſi videtur admiſſa culpa, formidari debet in tali vnoquoque, quia theſaurus abſconditus, & ſcientia inuiſa, quæ

„ vtilitas in vtroque? Hinc eſt, quod ab hoc nos volentes eſſe pe-
„ nitus alienos, veſtróque pro ſtudio non tantùm placere,ſed etiam
„ proficere poſſe noſcentes, quædam mandauimus veſtræ magni-
„ ficentiæ authentica ſignificari; magnæ vtique gloriæ, maioris
„ concordiæ, & remiſſionis permaximæ, quæ nos ex originali de
„ verbo ad verbum pluries audire voluimus de antiquo volumine,
„ vtique de fide digno, & difficulter reperto, cuius eſt titulus; De
„ hiſtorijs ſacræ legis, & antiquitatibus in particulâ; De memora-
„ bilibus Alexandri Papæ Tertij. Cuius prædictæ particulæ initij,
„ proceſſus, & finis, ſacramentaliter, tenor talis eſt.] Quæro igitur ex Vlmo, quando is ſe Capitenſis patronum conſtituit, vtrum illius ætate, Alexandri fuga, & Ziani victoria vulgò notæ eſſent, an occultæ: ſi dicat fuiſſe notas, vtpote, quæ in orbis terrarum luce auorum memoria conrigiſſent, interrogabo, quorſum tanto ſtudio bonus vir rerum notiſſimarum fidem aucupatur? quorſum Venetis, tanquam precioſiſſimum munus, atque inuentu difficile largitur, quod in ore omnium verſari intelligeret? Si dicat fuiſſe occultas, id verò fabulam adhuc in incunabulis timidè latentem nondum adultam, & euulgatam oſtendit. Vt autem Vlmus eiuſdem fabulæ incrementa probè norit, ſciat in Vaticana Bibliotheca Chronici Andreæ Danduli Venetorum Ducis, qui è viuis exceſſit anno M.CCCLIV. quatuor exempla aſſeruari, quorum duo antiquiora nullam Capitenſis Epiſcopi, aut hiſtoriç ab eo exſcriptæ mentionem habent: duo verò reliqua quæ huc Venetijs tranſmiſſa ſunt, poſt fabuloſa quædam Petri Clodienſis, huiuſmodi Capitenſis fragmentum incertum præ ſe ferunt. Certè Dandulus, qui viuere deſijt quatuor annis, antequam Capitenſis ad Delphinum ſcriberet, niſi diuinatione aliqua futuri, eius epiſtolam, & narrationis fragmentum ſuæ hiſtoriæ intexere non potuit. Intextum eſt igitur ab alio qui anilibus nugis à Danduli auctoritate fidem quærebat. Verùm his prætermiſſis dictorum veritatem paucis explorare libet. Id vt faciam tutiùs Obonem accipio, cuius ore loquutam veritatem Vlmus exiſtimabat. Si ad hanc normam directâ ea quæ Capitenſis fragmentum narrat, offendero, enimuerò ſine reprehenſione mihi abibit; ſi autem aliò declinare aut diuertere videro, faciam id quod Vlmus in vniuerſum præcipit: tanquam nugatorem, ac mendacem prorſus
„ reijciam. Fragmentum Capitenſis ait [Quo vſus (Alexander)
„ conſilio, ad Chriſtianiſſimum Francorum Regem ſe transferens,
„ vt Paſtor omnium benigniſſimè eſt receptus, quod moleſtè ferens

rens Fridericus ad ferrum conuerſus, & opus pium in gladium acuens prægrandem exercitum congregauit Regnorum Angliæ, Bohemiæ, & Daciæ auxilio fultus.] Quid Obo? [Fridericus miſſis ad Ludouicum Regem legatis Pontificem ad Diuionenſe Concilium euocat, quò demum ad diem dictum cum exercitu validiſſimo Octauianum perduxit, Scotiæ, ac Bohemiæ Regibus, eorúmque auxilijs ſtipatus. Eò & Ludouicus Henrico Anglorum Rege, eiúſque exercitu aſcito; relicto tamen ad Dolenſe Monaſterium Pontifice, qui è contrà Turonenſe Concilium celebraturus erat, nec illi ſe intereſſe dignum exiſtimabat, quod ipſe non indixiſſet, ſublatâ omni morâ perrexit.] Videtis in fragmento Capitenſis, Angliæ Regem pro Friderico contra Alexandrum, in Obone verò pro Alexandro contra Fridericum; id quod veriſſimum eſt, atque ab omnibus eius temporis ſcriptoribus memoriæ traditum, quos rectiùs Obo, quàm fragmenti illius auctor, exſcripſit. Paulò pòſt idem fragmentum habet. [In Burgundiam veniens (Fridericus) per ipſum fideliſſimum Francorum Regem magis derelictus, quàm armis conflictus, ſed ne præſentia Papæ occaſio foret & cauſa effuſionis ſanguinis filiorum; in ſe voluens diſcrimen potius quàm in filijs, idem prius Papa clàm aufugere cogitauit (ex Gallia) clámque diſceſſit, vt in ſe potius quærendum quàm de conflictu vlciſcendum Imperatoris animum prouocaret, in Apuliamque perueniens, quia cognitus, ex eadem cauſa ibidem gradum ſiſtere noluit; per Maréque ignotus peruenit Venetias Ciuitatem tutiſſimam omnibus, & in Religioſorum loco, qui ſanctæ Mariæ dicitur de Charitate, vt ſimplex ſacerdos Capellanatus functurus officioſe locauit. Obo verò.

Fridericus ludificatum ſe ratus, cùm fames prætereà exercitus vtrinque præmeret, in Germaniam cum copijs omnibus re infectâ conceſſit, & Ludouicus intra Regni fines exercitum reduxit. Alexander interea Turoni Concilium habuit, & Lucæ in Italia, Octauianus Antipapa moritur.]

Incertus auctor Epiſcopi Capitenſis vult Fridericum è Gallia in Burgundiam ſe recepiſſe; Obo verò in Germaniam: ille docet Alexandrum clàm ex Gallia aufugiſſe, hic ibidem eo ipſo tempore Turonenſe celebraſſe Concilium. De Alexandri diſceſſu ex Gallia pauca apud Obonē habemus, quia in eius narratione concinnator lacunam finxit, ex qua pauca hæc ſupereſſe videri vult. [Meſſanam primò vi ventorum delatus. VVilhelmi Regis triremi Romam deinde peruenit, Pontificatus ſui anno ſexto, vel vt

,, alij tradunt, ſeptimo.] Nos tamen ex ſcriptoribus eius temporis
" Boſone, Romualdo, Neubrigenſi, & Cardinalium litteris, ea, quæ deſideranrur ſupplebimus. Hi narrant Alexandrum celebrato in Monte Peſſulano Aſſumptionis B. Mariæ Virginis die, exinde cum Cardinalibus, cúmque Pontificio Comitatu nauibus Meſſanam in Siciliam traieciſſe. Vnde paulò pòſt acceptis à VVilhelmo Rege triremibus ad Tyberina oſtia delatus, Romæ demum ſummâ omnium ordinum gratulatione exceptus eſt. Videtis quantum hæc nauigatio diſtet à clandeſtinâ fugâ, ſed illud incerti palmare eſt mendacium, cùm ait Alexandrum ſtatim vt ex Gallia in Apuliam peruenit, Venetias mutata veſte ſe in tutum recepiſſe; nam ſi Oboni credimus, qui hac in re probatos ſcriptores conſuluit, in Italiam ex Gallia peruenit anno M.CLXVI. Venetias autem petijt anno M. CLXXVII. vndecim interiectis
,, annis palàm in Italia verſatus. Præterea incertus hæc habet. [Vbi
,, tam humiliter, quàm frequenter celebrans [Alexander] poſt ali-
,, quot dies à quodam Veneto Ciue vtique nobili eius orationi af-
,, fecto, qui aliquando eius pedes oſculari meruerat, euidentibus
,, ſignis eſt certitudinaliter agnitus. [Obo verò.] Fortè Pontifex pri-
,, uati ſacerdotis cultu ad Aram ſacra facturus conſtiterat; cùm
,, vir aduena (Commodo huic nomen fuiſſe tradunt) eius effigiem
,, contemplatus, quem, & Romæ, & Anagniæ à ſe viſum ſæpiſſi-
,, mè & loquentem auditum meminerat, Pontificem eum eſſe,
,, &c.]

Hìc aliam videtis repugnantiam. Eum, à quo Alexander agnitus dicitur, incertus è nobilitate Venetâ eſſe vuult; Obo verò aduenam fuiſſe tradit; ſed Obone dimiſſo, qua dignum animaduerſione videtur illud cùm epiſtolam Capitenſis ſcribit ad Ducem, ac duos ſancti Marci Procuratores, quo tempore (ſi Annales Veneti vera memorant) quatuor iam inſtituti fuerant? vt prætercam ſignum Pontificium præter conſuetudinem ei manuſcripto affixum, & iurandi formam (ſacramentaliter) Romæ inauditam, ac Venetijs frequenter vſurpatam. Hæc enim, vt minimùm ſuſpicionem pariunt, eam narrationem in eadem officina cuſam eſſe, ex qua Obo in lucem editus eſt.

TERTIVM

TERTIVM TESTIMONIVM.

VLMVS.

TERTIVM addemus teſtimonium, quod tamen præcipuum exiſtimari debet; res geſtas Alexandri Papæ de quibus agimus, naualemque Ziani pugnam aduerſus Othonem, in maioris Conſilij aula depictam fuiſſe iam inde ab anno M.CCXXIX. *nimirũ poſtqu.m euenere duobus & quinquaginta annis. Hic tamen n.onere libet, primam inſcriptionem à Bardo allatam ex parietibus eiuſdem aulæ atque à telis depictis, quæ anno* M. DLXXVI. *conflagrarunt, contectam incendij cauſa mutilam eſſe, ac mancam. Vbi enim notatur annus* M.CCXXVI. *verè notandus eſt* M. CCXXIX. *quo tempore aula pingi cæpta eſt; deſiderantur enim in illa tres vn.tatis notæ, quæ, vt aliæ itidem eiuſdem inſcriptionis litteræ, ab igne corruptæ ſunt. Ea autem inſcriptio poſt incendiũ ſic legebatur.* [*Anno Dominicæ Incarnationis* M.CCXXVI « *Iacobo Theupulo Ducante cœptum fuit hiſtoriam Alexandri tertij hâc* « *in noſtrâ aulâ ære publico d.p.*] *legere tamen oportet* [M.CCXXVIII. « *Iacobo Theupolo Ducante, & ære publico depingi,*] *vt ex deletis* « *litteris apparet. Cæterum exiſtimandum eſt, Theupulum, vbi pri-* « *mum Magiſtratum inijt, illud opus inchoaſſe, cùm probabile admodum ſit Petrum Zianum Sebaſtiani filium, qui eodem ipſo anno ſponte Ducatum abdicauit, & Theupulum ſucceſſorem habuit, dediſſe operam vt in aulâ à parente exædificatâ rerum ab eo geſtarum, (quibus & ipſe interfuerat) memoria picturis expreſſa poſteritati commendaretur. Cùm porrò Petri abdicatio contigerit anno ad Veneti calculi rationem* M.CCXXVIII. *die* XXVI. *Februarij, qua die h.c ad ſanctum Georgium ſe recepit, monaſticámque veſtem induit, optimè picturarum delineationem ac diſtributionem præſcribere poterat, vtpotè qui rebus, quæ picturâ exprimendæ eſſent, preſens interfuiſſet. Ad quod ipſum operam ſuam contuliſſe putandi ſunt plurimi ſenatores, qui vel nauali pugnæ adfuerant, vel certè eo ipſo tempore viuebant, cùm anni inde elapſi quinquaginta duorum ſummam non excedant. Cùm igitur huiuſmodi picturæ multorum illuſtrium virorum qui Rempublicam adminiſtrabant, iuſſu perfectæ ſint, ferendum non eſt id quod ab aduerſarijs dicitur, ea omnia ad pictoris libidinem depicta fuiſſe, inducique Horatium teſtem:*

Pictoribus atque Poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Perinde quaſi in publicis ædibus nemine prohibente, pictori falſa pro arbitratu effingere, atque in re minimè ludicrâ, nouâ excogitata pugnâ, Cæſaris dignitati illudere licuiſſet. Si tamen id perperam factum eſſet, nonne Fridericus ſecundus, qui triennio poſt, vt epiſtolæ, quas ipſe vidi, teſtantur Venetias rediit, eas confeſtim veluti falſos Friderici aui & Othonis patrui ignominiæ ac dedecoris teſtes obliterandas, ac planè delendas curaſſet? ſed res non ita ſe habet. Pictorum licentia tanta non eſt, vt vbi inter Chriſtianos de legitimo Pontifice, déque Imperatore, qui illius oppugnat poteſtatem, agitur, fabuloſa intermiſcere audeat; neque pictor fabulæ alicuius, ſed hiſtoriæ picturam aggreſſus eſt; quod teſtatur inſcriptio primæ picturæ angulo adiecta [anno M.CCXXIX. *cæptum fuit hiſtoriam Alexandri tertij depingi] vbi ſatis dilucidè, hiſtoria, non fabula, appellatur. Tametſi autem in ipſis hiſtoriarum tabulis pictori permittitur, canes leporarios, vrſos, hircoceruos, ſatyros, aliáque id genus monſtra, veſtium diuerſa genera, tùm Ducum, tùm Militum, aliorumque, precioſos lapides, flores, fructuſque alieno tempore, prout libet, affingere; in re tamen maximè ſeriâ vbi ſacra tractatur hiſtoria, vbi de Pontificiâ poteſtate agitur, quæ Cæſareis oppugnabatur armis, Venetiſque propugnabatur, luſibus & fabulis prætermiſſis, verum exprimere oportet. Quænam fuerint picturæ coloribus aquâ dilutis recenti olim tectorio illitæ, docet Bardus, qui vidit, publicique tabellionis teſtimonio quales eſſent, comprobauit. Is affirmat inſcriptiones ſingulis ſubiectas eaſdem eſſe, atque illas, quæ poſtea telis depictis conflagrarunt. Eæ, vnà cum aula anno* M.DLXXVI. *adiectæ ſunt. Ex quibus intelligere debent aduerſarij, Patres id ſemper ſeruaſſe, & vt picturæ eiuſdem argumenti cuius alia fuerant parietibus olim depictæ, coloribus oleo commixtis reficerentur in telis, & vt ſingulis reſpondentia eiuſdem ſententiæ elogia inſcriberentur. Sanſouini porrò diligentiâ effectum eſt, vt in eius libro inſcriptiones duas ſupra viginti legere poſſimus, quas antiquis (vt credere par eſt) perſimiles, à Sabellico compoſitas, telis depictis, de quibus agimus, ipſe ſubnotatas vidit. Habemus igitur non ſolum veteres picturas, ſed etiam inſcriptiones, quæ à Sabellico ornatius quidem, ſed eadem tamen ſententiâ à parietibus ad telas tranſlatæ, magno veritatis ſtudioſorum beneficio à Sanſouino editæ ſunt. Caſtiganda tamen eſt Sabellici inſcriptio picturæ decimæ ſeptimæ, dum ait, Othonem, vt Patris aduentum præuerteret, pridie diei Domini Aſcenſioni ſacri Venetias ſecundùm veniſſe; quod tamen ad veritatem accedit; ſi de priori aduentu intelligamus, cùm à Ziano captiuus ad Pontificem ductus eſt; nam ſecundùm veniſſe*

teſtatur

teſtatur Obo die XVII. Iulij, cum eo anno Aſcenſionis Domini dies inciderit in diem ſecundam Iunij. Sabellici tamen lapſus de picturarum fide nihil detrahere poteſt, in quibus facta, non menſes, aut dies exprimuntur. Erraſſe autem ſuoptè ingenio non à picto pariete, vel telâ inductum, inde colligitur, quod Sanſouinus antiquiorum inſcriptionum, quas Petrarcha confecerat, meminit his verbis.

[Sed vt ad maiorem aulam redeamus, ex parte vbi ſancti Heremitæ depicti erant, principium ducebant res geſtæ Friderici Imperatoris, quæ in plures picturas diſtributæ, aulæ ambitum occupabant; quarum ſingulis ſuæ ſubijciebantur inſcriptiones, rerum quæ ijs exprimerētur indices Petrarchæ manu, à Sabellico deinde omni ex parte mutatæ, vt videre eſt in primoribus exemplis, quæ hodie multorum manibus teruntur.] Id autem oſtendit à Sabellico mutatas fuiſſe inſcriptiones, quas Petrarcha prius dictauerat; non tamen credendum eſt, aliud ab ipſo mutatum præter eloquutionem; quod factum eſt, cùm (vti Sanſouinus affirmat) iampridem aula vnico viridi colore, hîc adumbrato, illîc verò diluciore depicta, nouis picturis, varijſque coloribus exornata eſt. Princeps autem in ea cæleſtem Beatorum Gloriam varijs coloribus expreſſit Guarientus anno M.CCCLXV. Cùm ergo ex inſcriptione à Bardo allata quæ in aulæ angulo flammis ſuperſtes fuit, intelligamus, picturas inchoatas eſſe anno M.CCXXIX. hinc etiam rectè conficimus aulam ipſam, quæ eo tempore iam exornabatur, multò antè ędificari cœptam fuiſſe Picturæ autem tempus negari non poteſt, cùm Bardus ſedulò eius idoneos adhibuerit teſtes, tabuláſque publicas confecerit Hieronymi Sauinæ Tabellionis manu. Narrat Dandulus, & poſt illum Sanſouinus, Ducales ædes ab Angelo Badoëro Duce ędificari cœptas anno VIIICX. initio à ponte palearum facto vſque ad templum euripo, ſiue ęſtuario proximum. Eæ cum anno IXCLXXVI. deflagraſſent, à ſancto Petro Vrſeolo Duce paulò pòſt reſtauratę ſunt: inſtauratę iterum auctęque à Duce Sebaſtiano Ziano anno M. CLXXIII. vt duo laudati ſcriptores, & plerique Venetorum tradunt. Ziani porrò additamentum, aulam fuiſſe de qua agimus, ex eo efficitur, quod cum ea quę à templo ad palearum pontem pertinent, à Badoëro ędificata ſint anno VIIICX. & à S. Petro Vrſeolo reſtaurata IXCLXXVI. ſupereſt vt id quod à Ziano additum dicitur, aula ſit cum aliquâ ędificij parte; cum Sanſouinus vnà cum alijs ſcriptoribus affirmet, aulam, in qua ſecretis ſuffragijs magiſtratus creantur, quę minor eſt, initiumque à latere maioris aulę ducens ad templum vſque plateę imminens porrigitur, cœptam eſſe anno M.CCCCXXIII. hoc tamen de ſuperiori ipsâ aulâ, non de inferioribus ſubſtructis ędificijs, intelli-

gendum eſt; nam illa tribunalibus, magiſtratibuſque deſtinata quæ ab eo incipiunt, quod Petitionum dicitur, alioque terminantur, quod vocant Præfectorum Noctis Ciuilis. Tota præterea ambulatio, etiamnum appellantur areę, ſiue impluuia; quod oſtendit, ea diu intecta perſtitiſſe. Illa nos putamus inchoata fuiſſe vna cum ædificijs maioris Conſilij aulæ ſubſtructis, Sebaſtiano Ziano Duce anno M.CLXXIII. *neque ignoramus poſt annum* M.CCCCXXIII. *aulæ minori ſuffragiorum, de qua diximus, multa addita fuiſſe. Itaque aula frequentioris ſenatus, ſeu maioris Conſilij circa annum* M.CLXXIII. *à Sebaſtiano Ziano exædificata picturiſque rerum geſtarum Alexandri tertij exornata anno* M.CCXXIX. *Deinceps Nicolai Marcelli Principatu circâ annum* M.CCCCLXXIV. *à Viuarinis, Bellinis, alijſque magni nominis pictoribus, nouis picturis contecta eſt; quarum occaſione Sabellicus ſingularum inſcriptiones inſtaurauit, eas imitatus, quas veteribus picturis Petrarcha adiecerat. Hæc attulimus, vt picturarum veritas atque origo conſtaret, quod tertium eſt teſtimonium hiſtoriæ Alexandri Papæ atque Friderici Imperatoris. Hæ (vt apertum iam eſt) à Principe & Senatoribus, qui eò, quo Otho captiuus Venetias ductus eſt, atque in manus magni Pontificis Alexandri traditus, tempore, confectæ, tantam obtinere debent fidem, vt per ſe ſolæ pertinaciſſimum quemque qui contra Obonem ſentiat, conuincere poſſint. Tria igitur habemus teſtimonia, quibus veritas ſatis confirmatur; ſed quod hominum ingenia ſemper aliquid deſiderant, maiorémque hiſtorijs fidem tribuere ſolent, quæ plurimorum ſapientum iudicio probantur; idcircò alia in medium teſtimonia afferemus. Interim cum Petrarchæ inſcriptionum mentio inciderit, monere non prætermittam, pleroſque Benuenuti Rambaldi teſtificationem, perinde quaſi Petrarchæ eſſet, protuliſſe; eò nimirum deceptos, quod illius ſcriptoris auguſtale inter Petrarchæ opera excuſum ſit. Ibi de Friderico hæc habentur.*

„ [*Sæpè fuit infeſtus Eccleſiæ, & Alexandrum Papam perſequu-*
„ *tus eſt. Apud Venetias victus, pacem fecit.*]

In quo etiam lapſus eſt Sanſouinus. Sed à Petrarcha aliud teſtimonium præter inſcriptiones, quarum meminimus, peti non poteſt, cùm de rebus geſtis Imperatorum nihil ſcripſerit; nec libellus, qui de vita Pontificum, ac Cæſarum ſeparatim ab alijs operibus circumfertur, illius eſt, cùm eo anno M. CCCLXXIV. *(vt Bellarmino placet) ſeptuagenarius obierit, quo tempore Gregorius vndecimus nondum Aueniones Romam Curiam Apoſtolicam tranſportauerat; & tamen in illius calce habetur ab eo Pontifice tranſlatam iam fuiſſe, qui Romam nonniſi in ſequente poſt Petrarchæ mortem anno venit. Habetur*

præterea

præterea in eodem libello ſanctam Catharinam Senenſem Vrbano Quinto Pontifice floruiſſe eiuſque vitam à Magiſtro Raymundo fuiſſe conſcriptam; at ſancta hæc virgo exceſsit è vita anno M. CCCLXXX. *quo tempore cum Petrarcha inter viuos amplius nō eſſet, affirmare non potuit, eius vitam, quæ ſemper poſt eius de quo ſcribitur, obitum, literis mandari ſolet, compoſitam fuiſſe. Scripſit ille quidem epitomam factorum Romuli, Numæ Pompilij, Tulli Hoſtilij, Anci Martij, Romanorum Regum, Brutique Conſulis; eam tamen Fabricij Lucij rebus geſtis terminauit, neque ad Cæſares peruenit. Solæ igitur teſtimonij loco aduentus Alexandri Papæ ex Petrarchæ lucubrationibus ſuperſunt epigraphes à Sanſouino libro octauo indicatæ, quas ille picturis in aula maioris Conſilij adſcripſit. Quamquam autem Sanſouinus ait earum exempla multorum manibus verſari, ea tamen (quod ægrè admodum tuli) ad me adhuc non peruenerunt. Meminit Bardus Bonincontri, quem ignorat vtrum Mantuanus ſit, an Bononienſis, eiuſque ex Alexandri Papæ hiſtoria ſolos capitum indices refert, qui cum Sabellici inſcriptionibus mirum in modum conſentiunt: Eum, quod Petrarchæ ætate vixerit, credibile eſt ab illo in rerum narratione non diſſentire. Abbas primo fuit Muranenſis Monaſterij ſancti Cypriani vſque ad annum* M.CCCLXIX. *deinde huius ſancti Georgij maioris, quo loco ætate confectus obijt, ſepulturæque mandatus eſt anno* M. CCCLXXX. *die prima Auguſti vt epitaphium oſtendit, quod Benedicti Guidi eiuſdem Cœnobij Monachi (qui poſteà Abbas ſancti Nicolai in littore deceſsit anno* M. D. XC. *die itidem prima Auguſti atque in hoc templo tumulatus eſt die ſecunda) ſedulitate ad nos peruenit. Sic autem ſe habet.*

[*Hic iacet Venerabilis D. Bonincontrus de Boateriis de Bononia* “
Abbas ſancti Georgij Maioris de Venetijs, egregius Decretorum Do- “
ctor, qui obijt prima Auguſti ſub annum Domini M. CCLXXX. *Ora-* “
te pro eo.] “

Hæc ideò dicta à nobis ſunt, vt confirmetur tum id quod narrauerat Bardus Bonincontrum vixiſſe anno M. CCCXX. *quo tempore veriſimile eſt annum ætatis egiſſe vigeſimum, aut trigeſimum: tum Bononienſem fuiſſe. Fieri tamen potuit, vt Monachus fuerit in Cœnobio ſancti Benedicti iuxta Mantuam, quod Arnoldus Vnio noſtra memoria huius Cœnobij ſancti Georgij maioris monachus, ſuſpicatus eſt.*

RESPONSIO.

QVANTVM coniectura aſſequi poſſum, Fortunatus Vlmus, vel ſolo picturarum argumento, cauſam ſe obtinere arbitratur; quippe qui exiſtimat neminem tantæ temeritatis fore qui antiquos illos patres viros grauiſſimos tàm inexpiabilem concepiſſe fraudem audeat affirmare: videlicet ij, quorum prudentia & conſilio Venetorum Imperium ad ſummum dignitatis faſtigium peruenerat, falſas ſupponerent hiſtorias pro veris, Reiquepublicæ exiſtimationem, tàm fœdis mendacijs conſpurcarent? Nos huic teſti laruam detrahemus, nihil interim curaturi, vtrum, vel Pictor, vel qui picturas faciendas locarunt, inſcitiæ aut falſi crimine teneantur. Si quis ſe læſum ſentiet, is Vlmum accuſet, qui nos ſcriptis in Baronium criminationibus laceſſiuit. Ac primò, vt credam id quod Vlmus ait, maioris Conſilij aulam à Sebaſtiano Ziano Duce exædificatam fuiſſe, poſtulo mihi dari authorem, aut veterem aliquam inſcriptionem non in angulo, ſed in bono lumine collocatam, vnde iſta deſumpſerit. At ſi non auctorem (inquies) coniecturas quidem certè attulit, quibus id ſatis probabiliter conficitur. Itâ ne vero? quæſtionis fundamentum, quod firmiſſimum vtique eſſe, quoque cætera niti oportuerat, ex leuibus conſtat coniecturis? neque aliud ſtabilius adducitur quod ijs, quæ tractanda ſunt ſubſternatur? & quiſquam mirabitur, quod impoſitum ædificium rimis vndequaque fatiſcens, ruinam minetur? ſed vanis & futilibus coniecturis ſcriptorem oppono, qui tùm in rebus geſtis Venetorum perueſtigandis ſedulus & ſagax fuit, tum in publicis ædificijs deſcribendis accuratus ac diligens. Sanſouinum intelligo, qui non implicatè, atque obſcurè, non dubiè, atque hæſitanter, ſed clarè, & diſertè narrat, aulam maioris Conſilij conſtrui cœptam eſſe poſt annum M.CCCIX. hoc eſt centum triginta ſex annis poſtquàm à Ziano fingitur ædificata, abſolutamque anno M.CCCCXXIII. ipſis nimirum à commentitia ædificatione annis ducentis, & quinquaginta; quo teſtimonio, quid apertius, quidue luculentius excogitari poteſt? Verùm ne aliquis obijciat, Sanſouinum de aula, vbi antiquitus maius cogebatur Conſilium, non de illa, vbi hodie cogitur, loquutum fuiſſe, ipſo eodem loco hæc tradit.

„ [Propè aulam Collegij, alia, quæ Ducalium ædium viam reſpicit

reſpicit ſita eſt à Gradenigo Duce ædificari cœpta anno M.CCCI. «
(illi adiacebant tabularium, & cauea, quam poſtea turriculam «
nominarunt) abſolutáque anno M. CCCIX. à quo tempore vſque «
ad annum M.CCCCXXIII. maius Conſilium eò conuenire ſolitum «
fuit; ſed cùm locus ad eam rem anguſtior videretur, alia exædi- «
ficata eſt aula maiori æſtuario imminens, in quam eodem ipſo «
anno M. CCCCXXIII. perfectam maius Conſilium primò con- «
uenit.] «

Atqui hæc ipſa eſt aula maioris Conſilij, quam Vlmus nullo auctore contendit à Ziano ante ducentos, & quinquaginta annos conſtructam fuiſſe. Alterum quæſtionis caput eſt, quandonam eius aulæ parietes pingi cœpti ſint. Bardus quem cæteroqui ducem ſequitur Vlmus, vbi in manifeſto mendacio deprehenſum non videt, turpiter lapſus eſt, cùm dixit eam pingi cœptam, Theupulo Duce, anno M. CCXXVI. idque ſe habuiſſe ex veteri inſcriptione, quæ flammis conſumpta non fuerat; fingit enim veteres picturas, è viridi colore in parietibus deſcriptas, obliteratas minimè fuiſſe, cum Alexandri hiſtoria telis depicta iterum eſt anno M.CCCCLXXIV. ſed ipſas telas veteribus parietum picturis inductas demum anno M.DLXXVI. incendio conflagraſſe, apparuiſſéque flammis extinctis eam inſcriptionem, quæ diu ſub telis latuerat: commentum ſanè perquam ingenioſum, niſi ſeipſum turpiter proderet; nam Theupulus, cuius Ducatus tempore picta aula dicitur, tribus, vel (vt alijs placet) quatuor poſt annis, hoc eſt anno M. CCXXX. Dux creatus eſt. Prouidè accurrit Vlmus, & vacillans teſtimonium confirmaturus, ait in illis numerorum notis (iii) tres vnitates flammis conſumptas fuiſſe: ijs reſtitutis effici, Theupulum, quo anno Ducatum inijt, aulam pingendam locaſſe; ſed primò non conſiderauit Theupulum ab aliquibus Ducem renunciatum tradi anno M. CCXXX. Deinde non animaduertit, Bardum nauiter mendacem fuiſſe, qui non ſolùm falſum pro vero ſuppoſuerit, ſed etiam ad illud comprobandum publicum Tabellionem plurimoſque viros nobilitate inſignes teſtes adhibuiſſe ſe dicat, qui omnibus diligenter inſpectis ſanctè iurarunt eam inſcriptionem, vt à Bardo deſcribitur, itâ planè in ambuſto illo pariete ſe habuiſſe. Hiſce teſtificationibus cogitur Vlmus in ſpeciem aſſentiri, eaſque pro veris (quando illi huiuſmodi falſitas magno vſui eſt) admittere. Ita iam ſi tanquam vera recipit, quæ de Tabellione & teſtibus à Bardo dicuntur, quî fieri poteſt, vt tres illæ vnitates in numero

deſiderantur, cum à viris accuratiſſimis, qui probè omnia inſpexerunt, iurato affirmatum ſit, lacunas in ſolis verbis [Iacobo,] & [ære publico d....p.] reperiri? An ſpatium illud, in quo tres vnitates obliteratæ dicuntur, tale erat, vt ab ijs percipi nequiret, qui duo ſpatia vnicâ litterâ vacua eſſe cognouerunt? ſic enim ſe habet Bardi genuinum mendacium.

„ [Anno Dominicæ Incarnationis M. CC: XXVI. Iac.bo Theu-
„ pulo Ducante cœptum fuit hiſtoriam Alexandri tertij hâc in no-
„ ſtra aulâ ære publico d.. p..]

Cæterum ſi nihil haberemus, quo huiuſmodi picturarum antiquitas refelleretur, eas tamen nuſquam Venetijs in publico ante annum M.CCCLIV. extitiſſe, illud argumento eſt, quod Andreas Dandulus, qui circa ea tempora Venetos Annales condidit, cum de rebus Alexandri tertij ageret, diceretq; exteros ſcriptores communiter narrare eum Siculi Regis triremibus Venetias delatum, pacem de qua Anagniæ conuentum fuerat, inibi confirmaſſe; Venetos verò rem longè aliter commemorare, ſi aliquam eius rei picturam antiquitus factam ob oculos habuiſſet, non vtique tam luculentum teſtimonium ad tuendam ſuorum auctoritatem elabi ſibi è manibus paſſus eſſet. Quid quod alij ſcriptores quos Vlmus Venetos appellat, de harum picturarum origine, neque inter ſe conſentiunt? nam Sabellicus, qui centum & triginta ab hinc annis floruit, putat ducentis ante ſuam ætatem annis aulam picturis primò exornatam, hoc eſt anno circiter M. CCC. Sanſouinus ait, eam vnico viridi colore adumbrato, & diluto à Guariento, primò pingi cæptam anno M.CCCLXV. deinde Nicolao Marcello Duce, tú anno M.CCCCLXXIV. tum M.CCCCLXXIX. picturas renouatas, inſtauratáſque: Georgius Vaſarius tradit Antonium Venetum, qui eo potiſſimùm picturæ genere excelluit, diémque obijt ſeptuagenario maior anno M.CCCLXXXIV. primum fuiſſe, qui in illa parietem depinxerit. Petrus Iuſtinianus ſolum refert à priſcis Veneris aulam Comitij rerum Alexandri tertij picturis decoratam. Incertus auctor Venetæ Ciuitatis memorabilium docet primo depictam anno M.CCCXLI. iterúmq; anno M.CCCCLXXIV. Ex his ſcriptoribus nemo eſt, qui cum Bardi, atque Vlmi opinione conſentiat. Sabellicus qui ab illa proximè abeſt in eo lapſus eſt, quod aulam narrat depictam priuſquam fuerit ædificata: Sanſouino, & Vaſario optimè conuenit, à quibus incertus parum diſcrepat. Vt igitur rem in ſummam colligamus, aulæ Comitij, ſeu maioris Conſilij, parieres,

rietes, primò depicti ſunt colore viridi circa annum M.CCCLXV. hoc eſt ipſis centum ferè, & nonaginta annis poſt pacem inter Alexandrum, & Fridericum conciliaram; iterùm verò anno M. CCCCLXXIV. ab eadem pace ferè trecenteſimo, à quo ptimum tempore (vt opinor) Alexandri fuga, Zianique pugna picturis exprimi ſunt cæpta; nam hæc duo viridi colore deſcripta olim fuiſſe anno M. CCCLXV. nullus veterum memoriæ prodidit. Iam verò, quod ad picturarum inſcriptiones pertinet, tres habemus teſtes, parum admodum ſibi inuicem congruentes, Sanſouinum, Bardum, Vlmum: nam ille ait eas à Petrarcha conſcriptas, atque à Sabellico omni ferè ex parte mutatas: Alter verò teſtatur omninò eaſdem fuiſſe in veteribus parietibus, atque in telis depictis; poſtremus, quod videat priores minus inter ſe conuenire, vtriuſque dicta ità conciliare nititur, vt velit inſcriptiones nouis picturis appoſitas, eamdem quidem ſententiam ac priores; non ramen eadem verba ſeruaſſe. Callidè profectò, ſed non, ad ea quæ ſequuntur eludenda, ſatis. Nam cum velit vnà cum Bardo priores picturas confectas fuiſſe anno M. CCXXVI. vel M. CCXXIX. & Perrarchæ nonniſi iam grandi natu id muneris demandatum veriſimile ſit, efficitur eas inſcriptionibus deſtitutas expectaſſe dùm ſcriberentur annis circiter centum, & triginta; quandoquidem Petrarcha natus eſt anno M.CCCIV. obijtque M.CCCLXXIV. Minùs errauit Sanſouinus, qui aulam depictam memorat anno M.CCCLXV. ipſo Petrarcha viuente: verùm cum nullum laudet auctorem qui haſce inſcriptiones à Petrarcha compoſitas fuiſſe dicat, dabit nobis veniam, ſi ea quæ antè ducentos, eóque amplius annos geſta tradit, narranti ſine teſte, credere in præſentia ſuperſedemus. Accedit, quod cum ſingularum picturarum argumenta ſubinde mutata ſint, neque idem poſteà expreſſerint, quod olim anno M.CCCCLXXIV. Vaſario teſte exprimebant, imò quod prius duabus picturis diſtributum ac diuiſum erat, poſteà ſexaginta abhinc annis, vt ex Vaſario, Sanſouino, & Bardo liquet, vnica comprehenſum fuerit, & contrà quod vnica continebatur in plures fuerit diſpertitum; planum eſt, eas inſcriptiones, quæ prioribus picturis à Petrarcha, vt fabulantur, compoſitæ reſpondebant, poſterioribus accommodare minimè potuiſſe. Mendacium proinde erit inſcriptiones, quæ eiſdem poſteà ſubnotaræ ſunt, à Petrarcha olim conſcriptas fuiſſe. Ex huiuſmodi ſcriptorum repugnantia loquendique ambiguitate facilè adducet vt credam nullas priſcis illis viridibus picturis inſcriptiones

ſubiectas fuiſſe; id quod magis etiam perſuadet ipſe Sanſouinus, qui ſolam Dantis Aligerij inſcriptionem picturæ qua cæleſtium Gloria deſcribitur additam adhibuit; quorſum enim aliàs non exhibuiſſet, ſi modo vllæ extitiſſent? Illa etiam in ſuſpicionem adducunt falſitatis, quod eas inſcriptiones quas plurimorum manibus antè quinquaginta annos teri, affirmauit Sanſouinus, Vlmus adhibitâ diligentiâ reperire nunquam potuerit, quódque ab ijs, qui Petrarchæ vitam, & ſingula ſcripta accuratè perſequuti ſunt, nulla earum fiat mentio; quæ tamen, quod loco maximè illuſtri collocatæ eſſent, omitti non debuerat. Quæ poſtremò loco addit Vlmus de Bonincontro Abbate primo S. Cypriani, deinde verò S. Georgij maioris, qui Alexandri fugæ fabulam ſcripſit, caſtigatione indigent; nam is publicus Venetijs tabellio fuit, neque monaſticam vitam vnquam profeſſus eſt. Ipſum audiamus.

„ [Ego Bonincontrus, licet origine Mantuanus, natione quo-
„ que Bononienſis, verbo & opere totus Venetus, & Riualienſis
„ Domini Ducis, & communis Venetiarum Notarius, & Officia-
„ lis, hanc præſentem honorabilem hiſtoriam hoc claro, & plano
„ Epigrammate conſtruxi, ad Dei, & ſancti Marci laudem, & per-
„ petuam memoriam Venetorum.]

Hæc de picturis, déque earum inſcriptionibus diſputauimus, quæ ſub ipſa Alexandri tempora deſcriptæ fingebantur; nam ijs, quæ ab anno M. CCCCLXXIV. ad hæc vſque tempora editæ ſunt, ipſa nouitas omnem prorſus auctoritatem abrogat. Mirandum porrò non eſt ſi viri ampliſſimi, & Reipublicæ cum primis ſtudioſi, tertio ab hinc ſæculo ſumma bonarum artium ignoratione, infami, pernicioſis aſſentatoribus aures patefecerint, in re præſertim quæ Veneto nomini plurimũ allatura ſplendoris ac dignitatis videretur, atque inani quadam opinione decepti, ex illorum præſcripto præcipuam Ducalium ædium aulam picturis exornari iuſſerint.

QVARTVM

QVARTVM TESTIMONIVM.

VLMVS.

QVARTVM teſtimonium eſt inſcriptio veteris Ducis Sebaſtiani Ziani marmoreo ſepulchro inſculpta. Eius, vt plura docent exempla, inde à quibuſdam Monachis anno M.DLVI. *cùm vetus templum dirutum eſt, petita (quorum vnum traditum mihi eſt à Valentino Taliapetra, nuper huius monaſterij Decano, Fabijque honeſti ciuis fratre, per Benedictum Guidium, vt ipſe affirmabat, ab exemplari deſcriptum) hæc erant verba.*

Hic Dux egregius, ſapiens, diues cinereſcit: "
Viuit cum Chriſto, mundo ſua fama niteſcit: "
Sebaſtianus vocitatus in orbe Zianus, "
Cùm Papâ Princeps, Clerus, Plebs hunc recolebant: "
Iuſtus, purus, caſtus, mitis, cuique placebat: "
Conſilio pollens, bona plantans, & mala tollens: "
Robur amicorum, patriæ lux, ſpes miſerorum, "
Et flos cunctorum, Dux electus Venetorum, "
Binos coniunxit gladios, & Marte refulſit. "
Eloquium ſenſus, bonitas, clementia, cenſus "
Illi parebant: nulla virtute carebat. "
Obijt anno Domini M.CLXXVIII. *menſe Aprilis.* "

Quo in Epigrammate, niſi fuſius naualis pugna, & victoria Othone capto deſcribitur, id contrà aliquos, dicemus contigiſſe, quia non ingens aliquod poëma, ſed breue Epitaphium Poëta ſibi conſcribendum deſumpſit, quo cum tot inſignes virtutes, quibus ille ornatus erat, complecti debuerit, mentionem tamen eorum quæ pro Alexandri Pontificis defenſione patrauit, non prætermiſit. Nam id etſi breuiter, maiori tamen, quam alia grauitate exprimitur; cum cætera quaſi minoris momenti, verbis præteriti temporis imperfecti, aut præſentis notentur; præclarum autem facinus pro Pontifice editum præterito perfecto inſolita verborum granditate explicetur. [Binos coniunxit gladios, & Marte refulſit] ſic prorſus, vt ea ratione oſtendatur perfectiſſimam inter cæteras Ziani actiones illam fuiſſe. Eius porrò verſus ſententia eſt; Ziani virtute Pontificem, atque Imperatorem inter ſe conciliatos, qui duabus vocibus [binos gladios] ſignificantur, quod alter alterum ſuis armis impeteret; hoc eſt Imperator humanis, Pontifex verò diuinis aut; quod duorum gladiorum nomine

duplex ex Iuriſperitorum interpretatione, poteſtas, hoc eſt Eccleſiaſtica & prophana, ſe inuicem oppugnantes, intelligantur; ſed tantùm abeſt, vt in Epitaphio nulla eius facti mentio ſit, vt ſæpius explicetur. Quid enim ſibi volunt illa verba [bona plantans, & mala tollens] niſi Ziani opera ſchiſma ab Eccleſia ſublatum, pacémque eidem redditam? Et quorſum illa [cum Papa Princeps hunc recolebat;] niſi quia illos ad concordiam adduxit? nam Venetos, & Fridericum inter ſe diſcordes fuiſſe, præterquam ab anno M. CLXXVII. *quo pax conſtituta eſt, omnes ſcriptores, tùm Veneti, tùm exteri tradidere; nec ſolum ipſi per ſe Friderico inimici fuerant, ſed etiam in illum Veronenſes, Picenos, & Lombardos concitauerant. Eius igitur virtute, quæ præcipuè in nauali prælio, & victoria ſe prodidit, factum eſt, vt illum vna ex parte Pontifex & Clerus, ex alia verò Imperator cum ſuis ſuſpicerent. Vti igitur verba [binos coniunxit gladios] ſignificant pacem ab eo conciliatam, ita illa [Marte refulſit] id oſtendunt, quo eamdem conſequutus eſt; nimirum arma, dum commiſſo nauali prælio, inter cæteros veluti alter Mauors enituit. Cumque apertum ſit Martis nomine bellum ſignificari, vera illorum verborum ſententia erit, eum in bello illuſtrem fuiſſe; nam, & pacis conciliator fuit, & in bello Claſſis ductor, egregiam Reipublicæ operam nauauit. Ignoramus, quî factum fuerit, vt apud Sanſouinum loco vocis [Marte] perperam [more] poneretur; iure tamen huiuſmodi errati culpa in impreſſorem reijcienda videtur, vt ex eo patet, quod alia quædam leuia errata in altera eiuſdem voluminis à Stringa aucti editione, illi exciderint, dum loco [Sebaſtianus] habet [Sebaſtiano] ſi autem (quod minimè credimus) Sanſouinus legat [more] non [Marte] ipſum erraſſe dubitandum non eſt. Non enim credibile eſt illum maiore fide, quàm Guidium, alióſque huius Cœnobij Monachos Epitaphij exemplum deſcripſiſſe; cum Guidius hîc apud ſanctum Georgium inter Monachos nomen dederit anno* M. DL. *hoc eſt, antequam ſepulchrum vnà cum templo diſturbaretur, quartodecimo; Sanſouinus verò poſt eam demolitionem duodecimo, hoc eſt* M.DLXXVIII. *Venetiarum deſcriptionem ediderit, in qua ipſius Guidij, eiuſque lucubrationum mentionem facit tanquam eximiè litterati hominis Sebaſtiano Venerio Principe, qui Ducatum capeſſiuit anno* M.DLXXVII. *ipſis annis vndecim poſtquam templum deiectum eſt, quo tempore aiunt tabulam marmoream, in qua Epitaphium inſculptum erat, confractam, eiuſque fragmenta in noui Odæi pauimentum inſumpta. Quid autem eo verſu Poëta ſibi voluerit ſatis apertum eſt; nihil enim aliud explicare ſibi propoſuit, quàm Ducis ipſius militare*

facinus.

facinus. Eâdem igitur de causâ alio verbo temporis præteriti perfecti uſus eſt [refulſit] propter quam priori uſus fuerat [coniunxit] cum utrumque ad idem ſignificandum aſſumatur, ac toto illo verſu una & eadem maximi momenti res exprimatur. Quorſum autem ubi dixiſſet per Ducem inter duos maximos Principes pacem conciliatam, ſubieciſſet [more refulſit?] ſi vocabuli proprietatem attendamus, vox [more] conſuetudinem ſignificat; dicere autem Ducem enituiſſe ex conſuetudine, eſt perperam & abſurdè loqui. Tolerabile id eſſet, ſi aliquid ſubintelligi poſſet, ut more ſolis, aut aliud huiuſmodi; ſed Poëtæ loquutio tam alienam interpretationem non admittit. Præterea inepta repetitio ſyllabæ [re re, more refulſit] ſatis oſtendit id ab eo auctore profectum non eſſe, qui, quamuis verſus in medio, ac fine ſimiliter deſinentes, ut illius ætatis conſuetudo erat, compoſuerit; in cæteris tamen optimorum carminum legibus parêre voluit. Quod ſi aliquis vocem [more] contendat retinendam eſſe, idémque valere dicat, quod moribus, intelligendum certè eſt [bonis,] atqui auctor oſcitanter poſt pauca verba idem non repeteret, cùm in penultimo verſu uſurpauerit [Bonitas.] Illud notatu dignum prætereundum non eſt, quod cum vox [more] non [moribus] generica ſit, & communis, peculiaribus Ducis adiunctis minimè copulanda eſſet, cum Oratoriæ leges præſcribant huiuſmodi voces antè ſingulorum adiunctorũ diuiſiones, atque enarrationes præmittendas eſſe, aut Epilogi loco, rebus peculiaribus explicatis, ſubijciendas. Cùm igitur vox communis [more] neque initio præpoſita ſit, neque in fine ſubiecta, neutrum munus præſtare poteſt; cum præſertim in Epitaphio paucis verbis communibus epilogus ſubnectatur [nulla virtute carebat.] Atque hæc ſufficiant ad vanitatem, falſitatémque detegendam verbi [more.] Verùm cùm nobis incumbat omnes, qui hæc legerint certiores planiſsimè facere in ea ſepulchrali inſcriptione naualis pugnæ mentionem fieri, alijs prætermiſſis, id ex ſolis vocibus [binos coniunxit gladios] eliciemus. Nam Dux auctor pacis inter duos illos Principes componendæ non diceretur, ſi ijs ſolum Ciuitatem, in qua fieret, accomodaſſet; ſed ut id nominis meritò conſequatur, pacis omninò cauſa eſſe debet qualem fuiſſe Zianum Ducem comperimus; quia nunquam Fridericus ad concordiam cum Pontifice ineundam adductus eſſet, niſi Otho filius à Duce captus atque ad Patrem legatus eius animum inflexiſſet.

G

RESPONSIO.

QVò demum euadet tanta in veterum monumentis, antiquiſque inſcriptionibus, litteras inducendi, apponendi, mutandique licentia? Videlicet neque marmoreis ſepulchrorum tabulis parcitur; & quod ſaxi ſculptura mutari non poſſit, quia non extat, mutantur tamen exempla apud ſcriptores. Et ſi Vlmus multa huc congeſſit inania ac leuia, multa grauiori aliqua animaduerſione digna, nos ex ijs duo præcipua ab illo deprauata reſtituemus. Vnum eſt conſtans atque cohærens Epitaphij ſententia, quàm ipſe inuoluta verborum ambage mirum in modum implicauit atque corrupit: alterum verò germana eiuſdem lectio, quam aliena accerſita voce adulterauit. Eorum porrò verborum [binos coniunxit gladios] eſto, ſenſus ſit eum dediſſe operam vt pax inter Pontificem atque Imperatorem fieret; an propterea illa [bona plantans, & mala tollens] ſchiſma ab eo ſublatum, concordiámque Eccleſiæ redditam ſignificabunt? & non potius optimam Reipublicæ in vtilibus conſilijs promouendis, atque incommodis remouendis adminiſtrationem? Nam quod addit alia verba [cum Papa Princeps hunc recolebant] intelligenda ſolùm eſſe poſt factam à Pontifice & Imperatore pacem; cùm antè illam Venetos ſemper ab Imperatore diſcordes fuiſſe omnes ſcriptores teſtentur, falſum eſt quàm quod maximè; nam & verba interpoſita [Clerus Plebs,] ſatis declarant, ea, quod ad tempus pertinet, generaliter atque vniuersè ſumi; & verum non eſt Venetos ante annum M. CLXXVII. Friderico ſemper hoſtes fuiſſe. Legat Dandulum anno Ducis Ziani ſecundo, hoc eſt ſalutis M.CLXXIV. & inueniet illos Chriſtiano Moguntino Archiepiſcopo Cæſaris nomine Anconam obſidenti copias auxiliares ſubmiſiſſe, annoque inſequenti Imperatorem ac Ducem perpetuam pacem, mutuo interpoſito ſacramento, confirmaſſe. Alterum erat in Vlmo reprehenſione dignum, quod vocem [more] mutaſſet in [Marte;] pati enim non poterat vt ſibi obijceretur, victoriæ, ſi commentitia non eſſet, aliquam in tam longo ac verboſo Epitaphio mentionem factum iri. Huic abundè ſatisfeciſſe ſe arbitratur cum [Marte] teſte quodam Monacho, legendum eſſe inani dicacitate, moroſáque cauillatione oſtendere conatus eſt; ſed (amicè moneo) operam perdidit; teſtes enim habemus locupletiſſimos, quos ipſi ſuóque Monacho opponamus.

opponamus. Accipite Sabellicum qui Epitaphium ſæpius vidit.

[Quod cùm ita ſit non poſſum non mirari, quod in Ziani Ducis ſepulchro tàm inſignis victoriæ nulla ſit mentio, nec apud externorum aliquem Friderici filius legatur Otho nomine ; ſed in re, vt dicimus, multum variatum eſt.]

Laurentius Schraderus, qui ab anno M.DLVI. totâ peragratâ Italiâ veteres inſcriptiones diligenter collegit ediditque in lucem anno M.DLIX. in Ziani Epitaphio, quem inſpexit, nequaquam legit [Marte] ſed [more.] Idem refert Ioannes Iacobus Coraldus, qui decem Patrum Collegio fuit ab epiſtolis, in hiſtoria de Venetorum rebus, & Franciſcus Sanſouinus, qui quamquam Venetiarum deſcriptionem aliquot poſt ſublatum Epitaphium annis edidit, illud tamen dum integrum eſſet, ſe vidiſſe teſtatur.

Aduerſus hos teſtes putatis ne Vlmum, qui Epitaphium non vidit, vnius Monachi teſtificatione ſubnixum ſatis auctoritatis habere?

QVINTVM TESTIMONIVM.

VLMVS.

QVINTVM teſtimonium, quod nos mirum in modum ſuſpicimus, maximæque auctoritatis eſſe ducimus, vetus Chronicon eſt patrio Venetorum ſermone manuſcriptum; quod, vt exiſtimamus, exemplum eſt Italicè redditum Latini codicis antiquioris, qui ab auctore eius ætatis conſcriptus maxima fide ac diligentiâ peculiaria ſingulorum facta, & rerum, ac negotiorum attributa narrat, vt ex diſtincta eximiarum perſonarum, quæ tùm Eccleſiaſticæ, tùm prophanæ Venetias ad pacem ſtabiliendam ex omnibus orbis terræ partibus confluxerunt, nominatione, adiecto inſuper eorum quos ſecum in comitatu adduxerunt, numero, ſatis conſtat. Dabimus illud, ne diſputatio interrumpatur, in calce huius operis: vnum interim monuiſſe contenti, à Petro Iuſtiniano & viſum, & probatum fuiſſe; nec pauca ab eo mutuò accepit, cui rei fidem faciunt eadem illuſtrium perſonarum, quæ paci interfuerunt, nomina, eodem, quo in Chronico habentur ordine, deſcripta; & ſi dolemus eum tædio longioris enumerationis victum, reliquis præteritis, priorum tantum ſeriem contexuiſſe. Nos tamen omnia non ſine lectorum (vt ſperamus) approbatione deſcribimus, iiſque explicationes, probationéſque maximo ſtudio collectas adiiciemus; id quod eruditis, & bonis gratum fore non diffidimus.

RESPONSIO.

ANTEQVAM oſtendo illum quem Vlmus hoc teſtimonio tanti facit, idoneum fabuloſæ natrationis teſtem eſſe, velim mecum redeat in memoriam ſe aduerſus Boſonem, qui dixerat Alexandrum tredecim VVilhelmi Siciliæ Regis triremibus Venetias deuectum, vehementer pugnaſſe; quippe veriſimile non eſſe, Ducem & Senatores qui prudenter & cautè omnia circumſpicere, finéſque imperij diligenter cuſtodire ſolent, permiſſuros fuiſſe vt alterius Principis claſſis, tanto cum direptionis, aut occupationis periculo Veneta ſtagna penetraret. Horum tamen Annalium auctor illum minimè offendit, cùm ait aduenas ea tempeſtate intrà Venetæ Ciuitatis viſcera receptos, ſex millium trecentorum, & nonaginta capitum numerum confeciſſe; quibus addere oblitus eſt Ponrificis & Cardinalium comitatum: Imperatoris Henricique atque Orhonis filiorum famulos, militéſque ad corporis cuſtodiam deputatos, eóſque magno numero, quos nauali prælio vnà cum Othone captos eſſe vult. Sed his omiſſis, pauca ſubijciemus quæ ſatis (vt arbitror) demonſtrabunt huius fragmenti auctorem longè poſt Friderici tempora vixiſſe, aut certè in patriam linguam conuertiſſe narrationem alterius, qui longo poſt eadem tempora annorum interuallo ſcripſerit. Ait igitur Alexandrum Pontificem primò in Galliam, poſtmodum in Angliam fugiſſe. Hoc verò de Anglia adhuc inauditum eſt, & nemo (quod ſciam) ſomniauit. Quod narrat de tauri tributo, victo Aquileienſi Patriarcha, à Michaëlio Duce imperato, falſum eſt. Audiat Dandulum, qui vbì tributum narrauit, ſubijcit quæ conſequentibus annis de tauro ſtatuta ſunt.

„ [Victores itaque Veneti redeuntes, Patriarcham cum ſeptin-
„ gentis ferè Nobilibus in carcere recludunt, qui denique duodecim
„ porcos magnos, & duodecim panes vnius ſextarij annuatim in
„ die Mercurij de Carniſpriuio, perpetuò, Duci in eius Palatio exhi-
„ bere promittens, cum captiuis liberatus eſt. Ob hoc reperitur ſta-
„ tutum, vt annuatim in die triumphi, aſſiſtente Duce & iubente,
„ vni tauro & animalibus antedictis in plateâ capita amputentur.]

Qua in narratione incertus multifariam peccat; nam, & taurum tributi nomine penſum ait, & illo Aquileienſem Patriarcham Eccleſiæ hoſtem ſignificari, & porcorum nullam facit mentionem; cum taurus ad cumulandam ſolummodò anniuerſariam

lætitiam

lætitiam deinceps additus fuerit, & porcorum ſolutio nonniſi poſt Danduli obitum omiſſa ſit; quo tempore, hoc eſt, poſt annum M. CCCLIV. neceſſe eſt hunc auctorem ſcripſiſſe, qui ignorauit verum illius victoriæ tributum porcos fuiſſe. Idem confirmant quæ de Iuſtinianorum familia narrat, eam videlicet, cùm omnes extincti eſſent, factâ ab Alexandro Pontifice poteſtate, ex Monacho qui ſolus ſupererat, propagatam poſteà fuiſſe; ſi enim eius Monachi ætate vixit, quis ſcire potuit eam poſteà propagatam? Quæ verò ait de viginti Ciuitatibus à Michaëlio Duce in expeditione contrà Emanuelem Conſtantinopolitanum Imperatorem captis, nimis glorioſè iactantur. Audiat Dandulum de eo numero oppidò plures detrahentem.

[Dux enim capto Tragurio, receptóque Raguſio in deditionem accipit Magralem Nigroponti Ciuitatem, & Ruben cum Inſula Chio expugnat, licet galearum centum, & nauium viginti claſſem haberet. Emanuel verò Spalatum, Tragurium, & Sebenicum atque alia plura loca capit;] nam quæ de dulcibus aquis narrat toto maritimo tractu inter Gallipolim, & Conſtantinopolim veneno infectis, quarum cauſa omnes claſſiarij Venetorum milites conſumpti fuerint, tàm ſunt à veri ſimilitudine abhorrentia, vt per ſe ipſa corruant. Quid illud de Ziano Duce, cùm dicit eum Conſtantinopoli aduexiſſe Venetias tres columnas, ex quibus duæ poſteà in ſancti Marci plateâ erectæ ſunt? Certè ſi meliorem aliquem hiſtoricum, quem excriberet nactus eſſet, didiciſſet columnas multò antè Ziani Principatum Venetias delatas, atque ex ijs duas ab illo demum erectas fuiſſe. Videtur velle Alexandrum initio Ducatus Ziani Venetias veniſſe, cùm tamen omnes conſentiant veniſſe poſt aliquot annos, nimirum M. CLXXVII. De litteris Veneti Ducis plumbeâ bullâ appensâ ſignatis, ea refert quæ in Obone ſuprà confutauimus. Ait Fridericum cum Venetorum Legatos de pace agentes iniquo animo audiſſet comminatum ſe alium Pontificem electurum. Quid opus erat nouo Pſeudo-Pontifice, cum Strumienſis tertius Pſeudo-Pontifex viueret, & Obo, quem inſtar omnium Vlmus eſſe vult, tradat præcedenti anno quartum Pſeudo-Pontificem ſuppoſitum Laudonem? Si incertus vera narrat, quintum Pſeudo-Pontificem Fridericus inſtituere voluit, qui futurus erat inter ſuperſtites tertius; quò quid abſurdius, aut magis incredibile excogitari poteſt? Ait Fridericum legatis Venetorum èdixiſſe ſe claſſem ſeptuaginta quinque triremium Brunduſij paratam

habere, qua Venetorum fines, niſi Alexandrum deſererent, perſuaſurus eſſet. Cautius Oboniani fragmenti fictor, qui ait Imperatorem de claſſe ſolum, non de triremium numero loquutum; & quamquam vbi nunciatum eſt Imperatoriam ſeptuaginta quinque triremium claſſem aduentare, triginta tantum triremes Ducem ſubitario milite armaſſe commemoret; tamen aliud eſt meditatò agere, aliud improuiſis & ſubitis malis occurrere. Temerè feciſſet Dux ſeptuagenario maior, ſi aduerſus Imperatoriam claſſem, quam ſciret eſſe triremium quinque ſupra ſeptuaginta, non plures quàm triginta (quod incertus affirmat) comparaſſet; non temerè, ſi ignorato prius hoſtilium triremium numero, eóque poſteà vnà cum aduentu nunciato, quæ potuit in illa trepidatione nauigia inſtruxit, vt hoſti quacumque tandem ratione occurreret. Incertus narrat Othonem, vt ad parentem ire permitteretur, obſides obtuliſſe; veridicus verò Obo nulla obſidum facta mentione, ait, eum obtuliſſe iuſiurandum: ille Fridericum à Volane Padi oſtio, ad ſanctum Nicolaum in littore: hic ad foſſam Clodiam deductum ait: ille denique Roſâ aureâ Ducem ſub Pontificis diſceſſum donatum tradit: hic Quadrageſimæ tempore antè ſex menſes. Piget tempus nugis confutandis terere. Si Vlmus meliores non indicat teſtes, de cauſa quid futurum ſit, quis non videt?

SEXTVM TESTIMONIVM.

VLMVS.

SEXTI teſtimonij loco erit aliud vetus chronicon Latinum in membranis exaratum, quod etſi breue eſt, res tamen admodum
„ *conſtanter narrat.* [*Commodarunt Canonici Lateranenſes eiuſdem*
„ *cœnobij Charitatis, vbi Alexander Papa humaniter receptus eſt.*]
Cæterùm putamus exemplar eſſe alterius chronici, quod materno Venetorum ſermone à Bardo editum eſt pag. CXXIX. *neque (vt exiſtimo) diſſentient ij qui vtraque inter ſe conferentes deprehenderint eaſdem vt plurimum in illis periodos integras ineſſe. Credimus prætereà ab aliquo eius Monaſterij Canonico compoſitum, cùm alicubi dicat,*
„ [*quidam Forenſis, qui votum fecerat venire Venetias, venit ad hoc*
„ *Monaſterium ſanctæ Mariæ,*] *quibus Italica exactè reſpondent. Denique exiſtimamus eſſe vetuſtiſſimum; cùm enim Italici exempli ſermo primæuam Venetæ linguæ antiquitatem oleat, latinum ipſum, quod*
antecedit,

antecedit, valdè antiquum eſſe oportet. Id mendo caret, quod in Italicum de aduentu Friderici Venetias die Chriſti Domini Aſcenſionis irrepſit; nam tradit eum veniſſe (quod veriſſimum eſt) die Dominico pridie feſti ſancti Iacobi Apoſtoli. Error fortaſſe, aut à librario manauit, aut ab eo, qui Italicè reddidit, qui ex feſtis ac triumphalibus gratulationibus, quæ quotannis ipſo Aſcenſionis die ad renouandam victoriæ memoriam peragi ſolent, deceptus, non diſtinxit priorem Othonis aduentum cùm à Ziano captiuus ductus eſt, & poſteriorem, cùm, rebus ex animi ſententia confectis, pacis conditiones apud parentem ſtatutas iam fixáſque eſſe renunciauit. Huius etiam hiſtoriæ libellum in fine ſubijciemus, cui (vt opinamur) fidem habebunt eruditi, quod ex eo loco profectus ſit, vbi Pontifex aliquandiu ſub aliena veſte latuit; quódque ab exemplo magnæ tum antiquitatis, tum auctoritatis deſcriptus ſit.

RESPONSIO.

EIVSDEM generis, atque ſuperius teſtimonium eſt de quo in præſentia diſputamus: narratio videlicet ab otioſo aliquo conficta, de qua vtrum exemplar ſit alterius, quàm patrio Venetorum ſermone profert Bardus, nihil laboro; vtriuſque enim ineptias ignorare quàm examinare præſtat. Certum tamen eſt, eas in multis diſſentire. Cæterum hæc quæ ſexti teſtimonij loco adducitur, quamquam ab Obone magna ex parte in ſuum fragmentum tranſcripta, in multis tamen, quæ ille mutanda duxit, non cohæret: quod cùm Vlmus minimè conſiderauerit, non ſine magna exiſtimationis iactura imprudenter eodem tempore, & ficti Obonis furta, & ſuorum teſtium inconſtantiam prodit. Incertus huius narrationis auctor

« [Exiſtente [inquit] Domino Papa in Eccleſia antedicta, ipſe petijt vnum cæreum ceræ albæ, qui ſtatim inuentus fuit, & apportatus eidem; quem cæreum ipſe dedit in manu Domini Ducis in ſignum deuotionis, & nobilitatis.] Obo verò.

« [Ibi ad aram templi maximam conſtitutus, oblatum ſibi candidum cæreum inter alia Pontificis ornamenta non vltimum Duci porrexit, & geſtandum publicis ſupplicationibus ſibi, ac per tempora ſucceſſuris imperauit.]

At leue eſt diſcrimen, vtrum Pontifex petierit cæreum, an verò oblatum acceperit. Fateor. Sed his leuiora Boſoni, & Romualdo Vlmus obiecit. Deinde ab Obone etiam in leuibus diſſentire

magnum Vlmo piaculum eſt. Vbi verò Pontifex in Patriarchales ædes eſt deductus Incertus ait

„ [Hoc facto Dominus Papa ductus fuit in Palatio Domini
„ Patriarchæ Gradenſis honorificè, prout ſuæ decuit ſanctitati.
„ Poſtmodum autem pluribus diebus elapſis Dominus Dux con-
„ uocari fecit magnates Venetiæ, & conuocato conſilio, cum ijſ-
„ dem deliberauit mittere ad Dominum Imperatorem ſuas litteras
„ ſpeciales cum duobus Ambaxiatoribus prouidis, & diſcretis.]
„ Obo verò.
„ [Inde in Palatium deductus, & in ſolio collocatus iteratâ Zia-
„ ni oratione frequenti ſenatu habitâ confirmatus eſt. In ſequenti
„ die cum ſuis colloquutus, opportunitatem præſentem ad deme-
„ rendos ſummorum inter Chriſtianos Principum animos in expe-
„ ctatò ſibi oblatam explicat.]

Ille pluribus elapſis diebus: hic inſequenti die Zianum colloquentem facit. Variant etiam in litteris à Senatu ad Fridericum miſſis. Nam Incertus ait

„ [Et fecit ſibi [Pontifex] apportari litteras, quæ mitti debe-
„ bant Domino Imperatori, quas, vt vidit cæra obſignatas, dixit:
„ Nos volumus, quod litteræ iſtæ bulla plumbea ſigillentur, in qua
„ bulla ſculpta ſit Imago Beati Marci, necnon & imago Ducis
„ Venetiarum, quemadmodum imaginibus Beatorum Petri &
„ Pauli noſtræ litteræ bullâ plumbeâ ſigillantur.] Obo verò.
„ [Afferuntur caſtigandæ Pontifici litteræ, quas legere con-
„ ſtantiſſimè renuit, ſcire ſe inquiens qua in Ciuitate ſpem ſuam
„ defixiſſet, quibus item adminiſtrandam rem hanc demandaſſet.
„ Tum Nuncius Pontifice inſpectante litteras cæra obſignare an-
„ nixus ab eo corripitur; duobus enim modis Veneti Duces multos
„ antè hoc tempus annos, quemadmodum ſuprà docuimus, cæra
„ ſcilicet, & plumbo litteras concludebant. Iuſſit ergo Pontifex
„ plumbeo ſigno litteras obſignari, neuè aliter Zianus Dux, & qui
„ eſſent deinceps illi ſucceſſuri, vllas in vniuerſum litteras obſigna-
„ rent.]

Anonymus petiiſſe Pontificem litteras tradit; Obo, vt caſtigarentur, ipſi delatas: ille de plumbea bulla ex his tantum appendenda actum eſſe narrat: hic in vniuerſum de omnibus impoſterum plumbo obſignandis: ille maris dominatum Ziano à Pontifice conceſſum narrat antequam ad bellum iturus claſſem conſcenderet: hic exſcenſione facta, & reportata de Othone victoria: ille exploratores de parata Friderici claſſe Ziano Ferrariâ cum

Pontifice

Pontifice Venetias iam reuerſo renunciaſſe:hic Ferrariæ dum adhuc ibidem cum Pontifice eſſet. Anonymus de reditu Othonis Imperatoris filij Venetias,déque Imperatoris aduentu hæc hahet.

[Imperator autem audiens preces filij ſui pacem cum tanta inſtantia poſtulantis, ac etiam ſuorum Baronum inſtantiam, qui ipſam pacem à dicto Domino Imperatore ſimiliter poſtulabant, humiliter & deuotè condeſcendit & acquieuit poſtulationibus eorundem, dicens ſe velle facere dictam pacem, & ſe de Lombardia ſeparauit, & per Clodiam tranſiens in die Dominico circà finem menſis Iulij applicuit ad littus Ciuitatis Venetiarum, & ſtatim abſque mora filius Domini Imperatoris peruenit ad Ducale Palatium hilari vultu ad Dominum Papam & Ducem; dixitque eis quod Dominus Imperator acquieuerat verbis eius, & quod ipſe ad littus venerat occaſione tractandi pacem cum eis, & quod ſi eiſdem placeret, conueniret Venetijs in vno loco ſimul cum ipſis amicabiliter prædictorum occaſione, ſtatimque aſſentiens Dominus Papa.]

Obo verò fatuam hominis ſimplicitatem peroſus maiori cum dignitate ac ſimilitudine veri, nihilo tamen verius, narrationem ſic inſtituit.

[Denique amplexatus [Fridericus] filium, traditâ ei datæ atque acceptæ pacis formâ Venetiam è veſtigio reuerti iuſſit, & Oratores confeſtim ſe miſſurum, nec poſt ſeipſum eò venturum affirmauit. Otho ad xvi. Kal. Auguſti Venetiam applicuit, & quæ cum Patre egiſſet, quidue afferret, declarauit. Quæ cùm Pontifex approbaſſet, pace vtrinque firmatâ, nihil iam præter Oratores qui Friderici nomine iuſiurandum præſtarent, expectabatur. Eos pridie feſti Magdalenæ ad Pontificem veniſſe comperimus.] Et paulò pòſt. [Quibus vndique ſtipatus (Imperator) ad Monaſterium ſancti Nicolai, quod eſt in littore mari obiecto, feſto B. Apollinaris die peruenit.]

Cùm ergo Otho Venetias peruenerit die xvii. Iulij, Imperator verò ad Monaſterium ſancti Nicolai in littore appulerit die xxiii. ſex ipſos dies patrem à filio præuentum eſſe ſatis conſtat. Diuerſa etiam narrant de Pontificis, & Imperatoris diſceſſu Venetijs. Nam Incertus.

[Tunc Dominus Dux iuſſit armari decem galeas, & cum magno gaudio & honore Domini Papa & Imperator aſcenderunt dictas galeas, & idem D. Dux ſimul cum eis cum multa comitiua Venetorum ad ſociandum eoſdem. Cùm igitur ad

„ portum ciuitatis Anconæ fœliciter perueniſſent, deſcenderunt
„ in terram.] Obo verò. [Imperator idipſum iter quò acceſſerat
„ remenſus, Rauennam profectus eſt.] Et paulò pòſt. [Pontifex
„ aliquandiu poſt Imperatoris diſceſſum Venetiæ moratus, cùm
„ Romam abire ſtatuiſſet, Senatum prius habere voluit.] Et paulò
„ pòſt. [Benignè quemque alloquutus die quæ ſequuta eſt, trire-
„ mes à Ziano Duce ad hoc præparatas omnium Pontificiorum
„ capaces cum Cardinalibus & cæteris Prælatorum plurimis, tùm
„ qui bellorum turbine agitati Venetiam refugerant, tùm qui ad
„ Pontificis famam eò ſeſe receperant, conſcendit; & Sebaſtianus
„ ſuperioribus officijs minimè contentus comitem ſe Pontifici &
„ itineris ductorem exhibuit, quem die tertia incolumem Anco-
„ nam perduxit. Accidit verò vt eâdem horâ mari Pontifex, &
„ diuerſo itinere Imperator eò applicarent.]

Hæc attuli vt videat lector, qua fide cum ipſo agat Vlmus dum vetuſtiſſimos ſummæque auctoritatis Annales ex Monaſteriorum latebris eruere ſe in lucem profitetur.

SEPTIMVM TESTIMONIVM.

VLMVS.

SEPTIMO loco affert Dandulus Mileti veteris ſcriptoris teſtimonium, cuius ſcripta nos adhuc non vidimus, atque vtrum extent ignoramus. Dicimus tamen Ricobaldum Ferrarienſem (quem ex ipſius narratione habemus interfuiſſe Patauij anno M. CCXCIII. *miraculo à ſancto Antonio patrato) Mileti meminiſſe à quo plura, vt & ab alys, ſe in ſuam hiſtoriam tranſtuliſſe fatetur in epiſtola quam libro præmittit ad Michaëlem Rauennatem Archidiaconum.*
„ *[Si tandem ex quibus pomerijs iſta delegerim quæ conſeui percon-*
„ *teris, aio ex pomerijs virorum præſtantium Hieronymi, Proſperi, Mi-*
„ *leti, Iſidori, Eutropij, Pauli Diaconi Ruffini, Petri Trecenſis, & Pau-*
„ *li Oroſij & Titi Liuij Patauini, quorum celebre nomen.]*

Hic auctor perbreuis eſt & (vt loquar) perturbato ordine narrationes pertexit. Deſumam tamen ab illo quæ ipſum à Mileto mutuatum eſſe puto, & quamuis de Alexandri Tertij Pontificatu pauca dicat, ea tamen affert quæ à breuiatore requiri poſſunt.
„ *[Huius tempore (inquit) maximum fuit ſchiſma; nam tres alij*
„ *Pſeudo-Papæ fuerunt tempore iſtius quos Fridericus fouit contra*
„ *Alexandrum. Demum in Vrbe Venetijs Fridericus venit ad manda-*

tum

tum Alexandri, quem proſtratum in terra Alexander ſupertranſiuit "
dicens: [Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, &c.] Fridericus "
dixit, [non tibi, ſed Petro, &c.] "

Hæc verba quiuis vel mediocris ingenij intelligere poteſt a ſancto Hieronymo, aliiſque antiquiſsimis Patribus deſumpta non eſſe. Relinquitur ergo Miletus à Dandulo laudatus, ex quo ea eruta eſſe dicamus. Leander Albertus in Italiæ deſcriptione de Mantuæ origine agens fol. DXCII. *Mileti Chronicorum mentionem facit. Nos tamen latet an is ille ſit quem Dandulus & Ricobaldus nominarunt, fatemurque huius rei clariorem notitiam ad nos minimè perlatam. Interim ſufficiat ea indicaſſe quorum veſtigia veritatis ſtudioſi ſi perſequantur, fortaſſe felicius perfectam huius ſcriptoris cognitionem adipiſci poterunt. Alium præterea Dandulus ſcriptorem nominat, quem ait res geſtas Alexandri Papæ, vt à nobis traditæ ſunt, iamdudum litteris mandaſſe. Is eſt Petrus Damianus è foſſa Clodia. Obiter hîc moneo Damianam familiam inter Venetas perilluſtres, olim numeratam fuiſſe, ne quis hunc Petrum cum ſancto Petro Damiano Rauennate confundat, qui deceſſit anno* M.LXXX. *cùm hiſtoria de qua agimus res geſtas complectatur anni* M.CLXXVII. *ſub quæ tempora credibile eſt, tam Miletum, quàm Petrum hunc ſcripſiſſe, cùm Dandulus ad noſtri calculi rationem natus ſit anno* M.CCCX. *Ad Ducatum enim, vt noſtri hiſtorici tradunt, euectus eſt annum agens tertium & trigeſimum, anno ſalutis* M.CCCXLIII. *is autem Mileti, & Petri meminit perinde quaſi multo ante tempore floruerint.*

RESPONSIO.

SEPTIMO loco Vlmus duos profert teſtes Miletum, & Petrum Clodienſem. Illius ſcripta fatetur ſe nunquam vidiſſe, neque ſcire quidnam hominis fuerit, quoue tempore vixerit, ſi quis quærat, cur illum in ſua cauſa teſtem adhibeat, reſpondet, ſuſpicari ſe Ricobaldum Ferrarienſem ab eo deſumpſiſſe pauca, quæ de Alexandro ſuis ſcriptis interſerit. At quid hoc eſt niſi nugas agere, & lectorem ludibrio habere? Melito, cuius meminit Ricobaldus, Aſianus fuit, & Sardicenſis Epiſcopus, floruitque anno ſalutis CLX. vt teſtatur S. Hieronymus, Honorius Auguſtodunenſis, & Trithemius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, vir ſummè doctus, eximiiſque lucubrationibus apud veteres illuſtris; eum de Alexandro Tertio loquutum eſſe Vlmus non dicet. Vtrum idem ſit, qui à Dandulo, & Alberto laudatur, in-

certum mihi eſt: illud certò ſcio, in Ricobaldo qui in Vaticana Bibliotheca antiquitus aſſeruatur, verba de Alexandro ab Vlmo allata non haberi; illud præterea ſcio in Ricobaldi exemplo Venetijs in eandem Bibliothecam à Paulo Manutio tranſlato ad marginem diuerſa manu anno M. CLXXI. hæc legi.

„ [Anno M.CLXXVII. Imperij Friderici XXV. Alexander Pon-
„ tifex timens Imperatoris vires, Venetias incognitus refugit: Im-
„ perator armauit contra Venetos claſſem Præfecto Othone fi-
„ lio ſuo ad repoſcendum Pontificem, qui Otho nauali prœlio à
„ Venetis victus captiuus Venetias adducitur, & Alexandro Pon-
„ tifici præſentatur; quo procurante ſublatum eſt ſchiſma.]

Et paulò ante, diuerſa item manu leguntur inſcriptiones quarum altera hodie extare dicitur Salbuæ, altera verò ante multos annos extitiſſe in Patriarchio Lateranenſi; vt omnes intelligant, eos qui fabulæ patrocinium ſuſceperunt, nihil omiſiſſe quod ad conciliandam illi fidem pertinere videretur, dum Ricobaldum falſis additionibus cumularunt. De Petro Clodienſi quid dicam? vtrum verè à Dandulo eius teſtimonium afferatur, affirmare non auſim qui ſciam narratiunculas de Alexandri fuga, déque nauali Ziani victoria ín bonorum ſcriptorum hiſtorijs callidiſſimè ab impoſtoribus paſſim inſertas fuiſſe. Aio tamen hunc Petrum in quatuor Danduli codicibus, Damianum minimè nominari Sed vt vetuſtiſſimus ſit hic auctor, quî tandem fieri poteſt vt illi Vlmus fidem tribuat, quando in verbis pauciſſimis tàm apertè ab Obone nō ſemel diſcrepat? nam tradit Othonem ipſo Aſcenſionis Domini die, Obo verò quatuor aut quinque ante diebus nauali prælio deuictum. Præterea vult Petrum Ducis Ziani filium Imperatori obuiàm miſſum vſque Rauennam; Obo ad Volanæ tantum Padi oſtium.

OCTAVVM TESTIMONIVM.

VLMVS.

DVM Bardus de aduentu Alexandri Pontificis ſuum librum componeret, non defuere plures eidem cauſæ fauentes qui ad amicos diuerſis ac diſſitis locis degentes litteras dederunt, vt ſi quæ antiquitatis monumenta de Alexandri rebus geſtis reperiſſent, eorum exempla Venetias tranſmitterent. Accepit inter cætera ex Germania teſtimoniū Ioannis quem ipſe pag. LXXXVI. *Bremenſem, & p.* CVIII. *de*

de Brema appellat, quem nos putamus Ioannem Bremæ Comitem fuiſſe qui deinde anno M.CCIX. *Hieroſolymitanus Rex creatus eſt iuxta Tyrum, die Dominico poſtridie feſti ſancti Michaëlis Archangeli, vt Altiſiodorenſis Monachus eius ætatis Auctor affirmat. Atque vt Bardus ait, fieri potuit vt Friderico primo fuerit ab epiſtolis; Fridericus enim è vita diſceſſit anno* M.CXCI. *hoc eſt vndeuiginti antequam Ioannes Regnum adipiſceretur annis. Teſtimonium porro à Bardo allatum eſt huiuſmodi.*

[*Fridericus per annos* XVII. *Eccleſiam vaſtauit, & Pontificem Alexandrum è Roma expulit, qui occultè Venetias delatus à Venetis, victo prius Othone Imperatoris filio, cum magna claſſe Romam ducitur, vbi munera Venetis ingentia donat.*] " " " "

RESPONSIO.

SI quis exiſtimet Bardum atque Vlmum incorruptæ fidei eſſe ſcriptores, per me, licet aſſentiantur Ioannem hunc de quo octauo teſtimônio agitur, Hieroſolymitanum Regem fuiſſe; ego qui ſingulis penè verbis falſitatem deprehendo, non poſſum non vehementer diſſentire; nec ſi obſignatis quidem tabulis mecum agant, facilè inducar vt credam quæ affirmant. Singulorum volo mihi dari teſtes integerrimos, qui nulla ratione labefactari queant; quos cùm ad Bremenſem fulciendum non attulerint, illum ſibi habeant. Interim nos alia dignum reſponſione non exiſtimamus.

NONVM TESTIMONIVM.

VLMVS.

N*ONVM eruitur ex veteri marmore ad promontorium Salboy in mari Adriatico, vbi nauali prælio decertatum eſt; quod hodiéque ſupra ianuam Templi ſancti Ioannis, litteris in hunc modum inſculptis legitur.*

Heus populi celebrate locum quem tertius olim "
Paſtor Alexander donis cæleſtibus auxit. "
Hoc etenim pelago Venetæ victoria claßis "
Deſuper eluxit, ceciditque ſuperbia magni "
Induperatoris Federici: reddita ſanctæ "
Eccleſiæ pax tumque fuit; iam tempora mille "
Septuaginta dabat centum ſeptémque ſupernus "
Pacifer adueniens ab origine carnis amictæ. "

Exemplum typis mandarunt Bardus, Sanſouinus, Frangipanius, & alij qui aiunt hoc monumentum ab Aquileiæ Patriarchis, dum Iſtriæ dominatum obtinerent, excitatum fuiſſe. Nos tamen qui nihil temerè & ſine cauſa affirmare decreuimus, ingenuè fatemur (quod & alij ingenioſi viri ſentiunt) hæc probabilia potius quam ſatis probata videri. Cùm igitur non conſtet à quo primum is lapis poſitus fuerit, idcirco à nobis antiquitus poſitus exiſtimatur, quod vt in cæteris euenire ſolet quæ antiquiſſima iudicantur, eius principij nulla inter viuentes extat recordatio. Accedit eum ſemper maiorum noſtrorum memoriâ inibi viſum fuiſſe, litteráſque ita corroſas præ ſe ferre vt ægrè legi poſſint; quod maximè vetuſtatis indicium eſt. Quibus de cauſis à recenti adhuc victoria poſitum fuiſſe arbitramur, Cùm enim delictorum indulgentiam Salborienſi ſancti Ioannis Templo, cuius ianuæ impoſitum diximus, conceſſam, exprimere deberet, vt ex illis verbis conſtat:

locum quem tertius olim
Paſtor Alexander donis cæleſtibus auxit.

Primo quoque tempore, vt eius fama apud omnes percrebreſceret, collocari oportuerat; id quod à Patriarchis qui Iſtriam in ſpiritualibus regebant factum fuiſſe exiſtimamus, cum vſus obtineat inſcriptiones, eaſque præſertim quæ indulgentias complectuntur, ad templorum ianuas ab Epiſcopis ſeu Parochis ſtatui. Verùm huiuſmodi ſpiritualis Iſtriæ dominatus non Aquileienſium, ſed Gradenſium Patriarcharum fuit à Pelagio Pontifice iam inde ab anno DLXXX. *conceſſum, atque à ſucceſſoribus confirmatum, quorum hæc ſubeunt nomina: Syluestri ſecundi qui ſedit anno* IXCXCIV. *Leonis noni qui* M.XLIX. *& Vrbani ſecundi qui* M. LXXXVIII. *Pontifices erant; vt facilè quicunque Venetis hiſtorijs carent, apud Sanſouinum videre poterunt. Cæterùm Iſtriam ſuo imperio ſubiecerant Veneti iam inde ab anno* IXCXCVII. *quo Dux Petrus Vrſeolus iunior eius vnà cum Dalmatia potiri cœpit.*

RESPONSIO.

HANC inſcriptionem circa ea tempora collocatam fuiſſe credibile eſt, quibus cùm fabula de qua agimus plurimum vulgo incrementi accepiſſet, Ioanni & Gentili Bellinis fratribus picturæ Venetijs faciendæ locatæ ſunt, de cuius auctoritate quid ſentiendum ſit, illud habeo dicere, ſcriptores Venetos ante Bardum, atque Vlmum, qui tamen ad res quas ſcribebant

confirmandas

confirmandas diligentius incubuerunt, huius vetuſtiſſimæ marmoreæ tabulæ non meminiſſe. Cur, ſi antiquitus extabat, eius teſtimonio Dandulus non confutauit omnes externos ſcriptores quos de Alexandro aliter quàm Venetos narraſſe tradit? Cur Sabellicus eam ſtatim non obiecit Merulæ reprehenſioni, ſed frigidam illam Venetorum Annalium excuſationem arripuit? Atqui ad ſcriptorum (inquies) notitiam adhuc non peruenerat. Scilicet Iſtria Venetijs tàm longè abeſt, vt quæ ibi publicè in marmoreis tabulis legebantur, à Venetis ignorari potuerint.

DECIMVM TESTIMONIVM.

VLMVS.

DECIMVM teſtimonium quædam latina carmina conficiunt, de quibus ait Dandulus ea ſuâ ætate (viuebat is anno M.CCCXL.) *antiqua fuiſſe. Hæc in Lateranenſi Patriarchio deſcripta, vti à me in vetuſtiſſimo eius Auctoris codice lecta ſunt, ita ſe habent.*

Anno milleſimo centeno ſeptuageno "
Septeno donis claruit vrbs Veneta. "
Ceßit Alexander veniam tunc Papa Beati "
Eccleſiæ Marci (tertius ille fuit.) "
Si quis in Aſcenſu Domini conuenerit illuc "
Confeſſus verè, cordéque pœniteat. "
Veſpere vtroque lauat totum quod inter vtrumque "
Chriſtus tum culpâ, pœnaque nulla manet. "
Additur & rurſus octauæ tempore toto "
Septima peccati pars reuelatur ei. "
Gratiat Eccleſiam regalibus, atque Ducatum "
Ampliat, & decorat rebus & officijs. "
Nam profugus latet in Venetis: tandem manifeſtus "
Regi Romano pacificatus abit. "

Confirmatur hoc ipſum ex Latino Chronico Monaſterij Charitatis, dum in calce Pontifex ita loquens inducitur. [Et præcipio quod hæc "
hiſtoria ad æternam memoriam in quodam petaſio in hac Vrbe Roma "
ſcribatur;] ſed iterum de ijs carminibus infra agemus vbi obiecta "
quædam Frangipanio diluenda erunt.

RESPONSIO.

SI huius teſtimonij falſitatem Vlmus probè non intelligeret, enimuerò inſultaret in Baronium liberiùs, exclamaretque, temerè in dubium ab eo vocata fuiſſe quæ ipſius auctoris iudicio, rata, iuſſæque ab inſcriptionis teſtificatione firmata, in publica mundi totius luce verſarentur. Sed cùm leuiſſimè huiuſmodi argumentum tractauerit, ſuſpecta vehementer mihi eſt eloquentis, ne dicam verboſi, hominis ieiunitas ac modeſtia. Quid dico ſuſpecta? conuictæ conſcientiæ indicium eſt certiſſimum. Age igitur. Quæramus vnde Vlmus acceperit eiuſmodi inſcriptionem in Pontificijs ædibus Lateranenſibus collocatam fuiſſe? Ait ſe accepiſſe ex veteribus Annalibus quæ ſexti teſtimonij loco allata ſunt atque à Dandulo. Quod pertinet ad Annales, nulla ratione melius confutari poſſunt quàm ſi germanæ auctoris ineptiæ illius verbis proferantur.

„ [Et cum honore magno Dominus Papa Romam intrauit,
„ & in ſua Papali ſede fuit honorificè poſitus, & ſentatus. Ipſo au-
„ tem exiſtente in ſua ſede Papali iuſſit dictum Ducem coram ſe
„ venire, dicens eidem. [Nunc quia ſum in propria mea liberta-
„ te & in Romana ſede, ego vobis confirmo omnes indulgen-
„ tias & honorificentias quas ego conceſſi Eccleſiæ ſancti Mar-
„ ci & Vobis Domino Duci, & veſtris ſucceſſoribus & commu-
„ ni Venetiæ, tanquam filijs ſanctæ matris Eccleſiæ, & ita eſt; &
„ præcipio quod hæc hiſtoria ad æternam memoriam in quodam
„ petafio in hac vrbe Roma ſcribatur] quod ſecundum eius præ-
„ ceptum factum fuit.]

Quorſum Pontifex beneficia Venetijs conceſſa Romæ confirmaret? Quia (inquies) Venetijs liber non erat. Præclarè. A nemine certè præterquam à Venetis captiuus detentus eſt, ſi modo vſpiam captiuus fuit. Sed quis non videt hæc deliramenta eſſe ſcriptoris qui ignorauit Romani Pontificis poteſtatem nullis coërceri locorum limitibus, eúmque in ſpiritualibus æquè ius dicere Venetijs ac Romæ: vtrobique eâdem auctoritate delictorum indulgentias, cæteráque beneficia elargiri, neque vt rata ac perpetua ſint, opus eſſe vt ab illo Romæ confirmentur? Maius mihi negotium eſt cum Dandulo, cuius ſcripta (modò adulterata a poſterioribus non ſint) multi magni faciunt In vaticana Bibliotheca quatuor excuſſi Danduli exempla, deprehendique

dique carmina de quibus ſermo eſt, in multis vocibus aliter ſe habere quàm ab Vlmo euulgata ſunt; neque id ſolùm ex ſcriptoris vitio factum eſſe, cùm in reliquis optimè inter ſe concordent, ſed pia alicuius caſtigantis manu, qui ea meliora poſteritati tradere conatus eſt. Præterea in ſolo quarto codice qui annis abhinc quinquaginta deſcriptus eſt, reperi duos priores verſus, qui tamen in tribus vetuſtioribus deſiderantur. Ad hæc in duobus codicibus poſt huiuſmodi verſus proximè recitatur hiſtoria Epiſcopi Capitenſis, quam à Dandulo inſertam minimè fuiſſe ſuprà docuimus. Ex his colligo rem in qua tantùm variatur, conſtantem adhuc non eſſe, nec veritate quæ firmiſſima eſt, niti poſſe. Deinde cùm inſcriptio de qua agimus, medium inter duos priores verſus confictos ac mendacem Capitenſis narrationem in Danduli Chronico locum obtineat, non leue indicium hinc ſuboritur illam eodem falſitatis vitio laborare, triplicémque huiuſmodi fœtum alienum eſſe, vt furtiuas tenebricoſi alicuius ſcriptoris appendices. Neque enim veriſimile erat vt Dandulus poſtquam ea quæ ab externis hiſtoricis de Alexandro & Friderico dicuntur, tum quæ à Venetis commemorantur, narrauit, iterum ſine vlla cauſa ad externos, hoc eſt ad Lateranenſes verſus & Capitenſem Epiſcopum dilaberetur. Quamobrem Dandulus (vt ego quidem exiſtimo) huiuſmodi culpa liber eſt, omniſque in eos transferenda qui conſequenti ſæculo huius fabulæ patrocinium ſuſcepere. Quid plura? ſi huiuſmodi inſcriptio vera fuit, aio Dandulum & Sabellicum vecordes atque amentes fuiſſe, qui eo argumento ad omnia quæ contra Venetorum narrationem objiciebantur, profliganda vſi non ſint.

VNDECIMVM TESTIMONIVM.

VLMVS.

CVM carminibus proximè allatis, (quod vndecimum eſt teſtimonium) cohæret Indulgentia ab Alexandro Pontifice ſancti Marci Templo conceſſa. Ea ab Annalium ſcriptore in dubium reuocatur, quod (vt ipſe ait) veteres Pontifices indulgentias omnium delictorum minimè largiri conſueuerint, niſi in bellicis, quæ ad Paleſtinam recuperandam, aut quomodocunque aduerſus infideles adornabantur, expeditionibus. Equidem ignoro quæ maior concedendæ indulgentiæ cauſa quàm ea de qua agimus excogitari poſſit; nam Fridericus qui

*à ſede Apoſtolica imperij inſignibus decoratus fuerat, contrà iuſiurandi
fidem ſchiſmaticus effectus, veri & legitimi Pontificis acerrimus inſe-
ctator euaſerat. Tantùm porrò abeſt vt eius ſcriptoris argumentum
euincat indulgentiam conceſſam minimè fuiſſe, vt quoniam omnium
delictorum indulgentiæ ijs ſolum Catholicis Ducibus ac militibus tri-
buebantur, qui alicui ſacræ expeditioni accingerentur, ex perpetua in-
dulgentia ſancti Marci Templo conceſſa, efficiatur ſacrum bellum à
Venetis ſuſceptum, victoriámque in eo de hoſte reportatam, tantum do-
num promeruiſſe; ſed legatur conſtantiſſimus Obo qui ait indulgentiam
omnium delictorum primò claſsi pro defenſione Pontificis ſoluenti con-
ceſſam. Cum porrò Dux victricem claſſem Venetias reduceret, vide-
retque Pontifex coram captiuum eius Imperatoris filium qui ſeipſos duo-
deuiginti annos tam hoſtiliter fuerat inſectatus; quo doni genere putatis
optimum virum tantum beneficium, vt erat gratiſsimus, remunera-
tum fuiſſe? An alienata Eccleſiaſticæ ditionis ciuitate Ducem peculia-
rem ſuum propugnatorem donaret: an pretioſis lapidibus, an pecunia,
quorum inopia maximè laborabat? Nihil habuit, ſiue maius, ſiue opta-
bilius, quo tàm eximium beneficium compenſaret, quàm vt indulgen-
tia qua ſemel claſſem donauerat, Ducale templum nouo atque inau-
dito exemplo perpetuò inſigniret. Ait igitur Obo Pontificem tanta vi-
ctoria mirificè gauiſum eamdem omninò pro omnibus promulgaſſe, qui
in poſterum Domini Aſcenſionis die ſancti Marci Templum adirent:
ijs inſuper qui octo conſequentibus diebus inibi ſuppliciter Deum ora-
rent, ſeptimam totius pœnæ partem, qua pro delictis obſtricti erant, re-
miſit.*

„ [*Ipſe vniuerſalem delictorum omnium remiſsionem quam ſoluen-*
„ *ti claſsi pronunciarat, omnibus omnino qui Aſcenſionis die Templum*
„ *Diui Marci adiſſent perpetuò promulgauit, adiecitque vt qui ad dies*
„ *octo poſt eam diem veniſſent, ſeptimæ admiſſorum omnium portionis*
„ *ab omni ſupplicio liberi eſſent. Id tùm victoriæ, tùm propoſitæ pacis*
„ *gaudio elatus ſumma alacritate Venetis elargitus eſt.*]

*Habemus igitur omnia mirum in modum inter ſe congruentia: Late-
ranenſia carmina; ipſam indulgentiæ quæ ad hæc vſque tempora per-
durat conceſsionem, & veraciſsimum Obonem qui ad tollendas è re-
ligioſis animis dubitationes diuino quodam inſtinctu permotus videtur,
vt diſtinctè narraret indulgentiam primò claſsi, deinde Ducali Templo
in tantæ victoriæ lætitia conceſſam; ſed quid ad confirmandam huiuſ-
modi narrationis veritatem, omnium orbis terrarum nationum con-
curſum ad eam conſequendam prætermus? Is non alia de cauſa factus
eſt, hodieque fit, niſi quia illa ex ijs non eſt quibus alia templa donari*

ſolent,

ſolent, ſed eximia ac ſingularis. Hinc etiam ortum habuere nundinæ quæ Venetijs Aſcenſionis Domini tempore celebrantur; tanta enim populorum eò ad indulgentiam lucrandam confluentium frequentia in cauſa fuere vt in ipſa ſancti Marci platea exterorum præcipuè commoditati variarum mercium excitarentur tabernæ, quibus illæ venui in hunc vſque diem exponuntur. Ideóque Venetias tanti eo tempore concurſus fiebant quia cùm vel nullibi, vel certè paucis in locis ampliſſimas omnium delictorum indulgentias lucrari facultas eſſet, huc omnes ad eam conueniebant. Pecunia eleemoſynæ nomine ſuperioribus temporibus à confluentibus collata tantam efficiebat ſummam, vt Canonici ſancti Marci, quò eâ potirentur, fundos in agro Bergomate dederint ex quibus hodie fructuum plusquam octo aureorum millia percipiuntur. Hæc nouimus narratione viri ampliſſimi Ioannis Theupuli huius Vrbis Patriarchæ, qui vt rerum quæ ad ſacram Venetorum hiſtoriam pertinent, (vtpote, qui multas litteras mandauerit) peritiſſimus eſt, ita ea quæ ad ſancti Marci Templum ſpectant peculiariter atque exactè nouit; in eo enim antequam ad Patriarchatum euectus eſſet, Primicerij munus cum laude obiuit. Idem teſtatur Andreas Buora, qui in eodem Canonicatum diu tenuit, atque in rerum quæ tùm antiquis, tùm noſtris temporibus ibidem contigerunt, hiſtoria verſatiſſimus eſt. Non enim tanti ad illud populorum concurſus facti fuiſſent, niſi inuitaſſet omnium delictorum indulgentia quæ hodie etiam inuitat. Nec minori aduentantium frequentiâ ad hoc vſque tempus celebratur alia indulgentia in Cœnobio Charitatis, vbi adeuntes certatim ſumma religione ſeſe inuicem præuertere conantur; quia initio is cultus eaque celebritas cœpta eſt cùm Alexander Pontifex illam eſt elargitus.

RESPONSIO.

TAM multa ſunt quæ Vlmus congeſſit, vt oſtenderet ab Alexandro Pontifice omnibus ſancti Marci Templum die Domini Aſcenſionis adeuntibus ampliſſimam omnium delictorum indulgentiam, reportatæ de Othone victoriæ occaſione conceſſam fuiſſe, vt cogat nos paulò diligentiùs omnem illius rationem inueſtigare. Id quod facere non poſſumus commodiùs quàm ſi diploma cuius extat apud Dandulum in fine chronici, & apud Sanſouinum exemplum accuratè perpendamus. Neque hæc eo conſilio aggredimur vt Templi ſancti Marci indulgentias (quas ſanè maximas & ampliſſimas eſſe putamus) in dubium

reuocare velimus; ſed ne veritas quæ in ſacris rebus potiſſimum quærenda eſt, falſis compoſitiſque per fraudem diplomatibus obſcuretur. Ac primò quidem falsò datum legitur Venetijs apud ſanctum Marcum ſexto id. Maij Pontificatus Alexandri anno XVII. tunc enim is Anagniæ, nondum Venetijs erat; anno nimirum ad Venetorum etiam calculum M. CLXXVI. Non igitur contra quam Obo maximè pugnat, indulgentia victoriæ de Othone reportatæ præmium, & gratulatio fuit. Præterea datum legitur apud S. Marcum, cùm tamen Alexander non ædes ſancti Marci, ſed apud Riuum altum Gradenſis Patriarchæ domum incoleret: quod ex omnibus priuilegijs ac litteris ab ipſo Venetijs datis apertum eſt. Deinde in eodem, præter id quod in diplomatibus à Cardinalibus ſubſcriptis vſurpari ſolet, anni Incarnationis atque indictionis notæ deſiderantur. Ad hæc ſi dicatur mendum irrepſiſſe in annum Pontificatus, adhuc tamen diploma veridico Oboni repugnat: dicitur enim datum die X. Maij. Obo verò indulgentiam conceſſam vult poſt reditum à pugna die prima Iunij. Tum illud in Pontificijs diplomatibus inauditum, teſtes apponi; at hîc apponuntur, ijdem nimirum, qui ſubſcripsêre Cardinales, vt liquet ex verbo [teſtes.] Denique diplomatis falſitas ex Cardinalium qui ſubſcripſerunt nominibus planè ementitis atque confictis aperta eſt. Hi enim ſunt.

Alphonſus Epiſcopus Portuenſis.
Angelus Epiſcopus Sabinenſis.
F. Ernandus Eccleſiæ ſanctæ Anaſtaſiæ Preſbyter Cardinalis.
Cyprianus ſancti Chryſogoni Preſbyter Cardinalis.
Symeonus ſancti Laurentij in Damaſo Preſbyter Cardinalis.
Baſilius Helias SS. Apoſtolorum Preſbyter Cardinalis.
Baſilius S. Mariæ nouæ Diaconus Cardinalis.
Theodorus S. Euſtachij Diaconus Cardinalis.

At ex Rogerio Anglo qui tunc viuebat atque ex Obone qui alios exſcripſit, tum ex Pontificiorum Alexandri diplomatum quæ apud multos ſcriptores extant, quæque in Vaticana Bibliotheca cuſtodiuntur, ſubſcriptionibus (quibus optimè conſentiunt Boſo & Romualdus Cardinales, qui anno M. CLXXVII. vnà cum Pontifice Venetijs fuere) hi ſunt.

Humbaldus Epiſcopus Hoſtienſis.
Vuilhelmus Epiſcopus Portuenſis.
Vualterus Albanenſis.
Conradus Sabinenſis.

Manfredus

Manfredus Præneſtinus.
Ioannes Neapolitanus S. Anaſtaſiæ Preſbyter Cardinalis.
Theodorus S. Vitalis titulo Veſtinæ.
Petrus Bonus ſanctæ Suſannæ.
Boſo ſanctæ Pudentianæ titulo Paſtoris.
Hildebrandus Baſilicæ XII. Apoſtolorum.
Hyacinthus ſanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconus Cardinalis.
Arditio S. Theodori.
Laborans ſanctæ Mariæ in Porticu.
Hugo S. Euſtachij ad Pantheon.
Raynerius S. Georgij ad Velabrum.

Duos inſuper Preſbyteros addit Rogerius, Albertum & Viuianum. Priorum igitur nomina quæ in Venetæ indulgentiæ diplomate adnotantur falſa ſunt, atque ab ijs ſuppoſita qui nunquam induxerunt ſibi in animum fore aliquem qui ea ad coticulam (quod aiunt) exigere vellet. En quò demum progreditur inſanum propugnandæ falſitatis ſtudium. Sic prorſus ſe res habet; vt quicunque aut contentione ſtimulatus, aut aſſentandi cupiditate adductus eò ſe irretiri ſemel paſſus eſt, nihil penſi habeat quibus id tandem modis comparet, dum aſſequatur. Falſa diplomata pro veris ſupponere, bonorum auctorum ſcripta corrumpere, publicas tabulas adulterare, humana atque diuina iura ſubuertere, modò impunè fiat, ludus eſt.

DVODECIMVM TESTIMONIVM.

VLMVS.

ILLVD præterea ad hæc confirmanda plurimum habet momenti, quod Pius Quartus res ab Alexandro geſtas vti à nobis narrantur ſuo ſuffragio comprobauit. Cum enim in Vaticano earum picturam extare vellet, ne quid temerè deſcriberetur, certis Cardinalibus id negocij demandauit qui vbi per qnam meditatò de ſingulis conſultaſſent, vnà cum Pontifice actiones pictura exprimendas ſe legerunt, eaſque huiuſmodi inſcriptione quæ hodie viſitur exornarunt.

[*Alexander Papa Tertius Friderici primi Imperatoris iram & impetum fugiens abdidit ſe Venetijs. Cognitum & à ſenatu perhonorificè ſuſceptum, Othone Imperatoris filio nauali prælio victo captóque, Fridericus pace facta ſupplex adorat, fidem & obedientiam pollicitus. Ita Pontifici ſua dignitas Venetæ Reipublicæ beneficio reſtituta* M.CLXXVII.]

Huic patentibus litteris quæ in Veneto Archiuio aſſeruantur, luculentum præbuit teſtimonium Leſinenſis Epiſcopus Cedulinus, atque ante illum Marcus Antonius Gadaldinus ea tempeſtate Cardinali Sirleto ab epiſtolis, qui vnâ cum Cardinalibus conſultationi de qua diximus interfuere. Quod ſi Frangipanius ſolo Gadaldini teſtimonio eſt vſus, id fecit quia Epiſcopus litteras nondum miſerat. Itaque ſi quis vitio nobis vertat quod Cardinalis Baronij (quem cæteroqui magni facimus) ſententiam oppugnamus, iniuriâ id fieri dicimus: primum, quod cuilibet ſcriptori in veritatis perueſtigatione liceat vlterius ſcriptoris quantacunque tandem dignitate excellat, dicta, ſi minus è veritate eſſe deprehenderit, confutare; deinde quod in hac re id tueamur quod à ſummo Pontifice, pluribuſque Cardinalibus conſtitutum eſt. Immò in ea ſumus ſententia, ſi quæ à nobis hactenus dicta ſunt, ad eius inſignis viri notitiam perueniſſent, futurum fuiſſe vt aliter rerum ab Alexandro geſtarum narrationem inſtitueret; ſed Commentarius erroribus & mendacijs ſcatens Parentini, ad eum tranſmiſſus hominem incitauit vt contrà ipſum ſtylum acueret; quod dum vehementius facit, mirandum non eſt ſi imprudens ipſam veritatem oppugnauerit. Neque nobis quicquam officit quod duos quos affert ſcriptores magni faciat; primum, quod illi eam ſibi exiſtimationem, non per ſe, ſed Parentini exempli comparatione conciliarint; deinde ſi conſultationis à Pio Pontifice inſtitutæ tempore in Vaticano extitere, fieri non potuit vt quæ ab ijs narrantur in diſquiſitionem non venerint. Cùm igitur illis reiectis, picturæ ad noſtrorum ſcriptorum normam perfectæ fuerint, ſatis liquet eos tanquam dubiæ fidei hiſtoricos prætermiſſos,

RESPONSIO.

HOc teſtimonium maximæ in ſpeciem eſt auctoritatis; ſi tamen penitus introſpiciatur, nihilo magis, quàm cætera ponderis ac momenti habet. Vtrum à Pio Quarto delecti aliquot fuerint (quod Vlmus tradit) qui de picturis in Vaticana Regum aula deſcribendis déque earum inſcriptionibus deliberarent, mihi incertum eſt. Demus tamen eos delectos fuiſſe: demus eoſdem inani vulgi rumore eorumque ſuaſione, qui Venetorum imperio ſubiecti, illi conſultationi intererant, inductos, picturam, atque inſcriptionem longè aliter quàm oportebat, faciendas præſcripſiſſe: demus Pontificem de eorum conſilio ac deliberatione edoctum nihil repugnaſſe quominus ea, quæ ipſi

conſtituerant,

conſtituerant, pingerentur. At quid demum id oſtendit; niſi illum grauioribus curis occupatum non diſquiſiuiſſe diligentius, quid Alexandro tertio anno M.CLXXVII. contigiſſet? eorumque quos hiſtoricæ rei peritos, atque incorruptæ integritatis homines putauit, decretis acquieuiſſe? Verùm (inquies) inquiſitum eſt ab ijs diligenter in acta Alexandri atque in Romualdum, quódque ea quæ ab ijs dicebantur minus placuiſſent, omnis eiſdem abrogata eſt fides. Hoc ſanè non facilè crediderim qui ſciam tantam eſſe in Vaticana Bibliotheca codicum multitudinem, eamque manuſcriptorum voluminum copiam, vt nonniſi in ea diutiùs verſati libros perdiſcere facilè poſſint, cum præſertim alijs codicibus inſerti proprium, ac peculiarem, quas tractant, rerum titulum minimè præferunt; qualia ſunt acta Alexandri quæ libro de cenſibus Cencius Camerarius complexus eſt, & Romualdi chronicon quod nullam Alexandri tertij mentionem inſcriptam habet. Quod ſi aliqui falſis narrationibus decepti Alexandri tertij hiſtoriam perperam pingi curarunt, Cæſar Baronius re ad diligentiùs quoddam examen reuocatâ, veteribuſque codicibus repertis, mendacia fraudeſque detexit. Neque quemquam mouere debent picturæ in loco auguſtiſſimo collocatæ quâ ea ipſa de cauſa omnium fidem mereantur; nam præterquam quod in ipſa templa antiquitus partim inſcitiâ, partim ad alia ſignificanda, aliquot picturæ publicè introductæ ſunt à rerum geſtarum veritate plurimum abhorrentes, Romæ in luce orbis terrarum, in Baſilica ſanctæ Mariæ Maioris, Clementis octaui iuſſu, Leonis magni picturam dexterâ abſciſsâ B. Virgini ſupplicantis, atque illius ope eandem recuperantis noſtra ætate obliteratam vidimus, quòd quę de ſancto Ioanne Damaſceno traduntur, illi ab imperitis falsò adſcripta eſſent. Præterea in Baſilica Seſſoriana ipſo inferioris ſacelli aditu ante plures annos inſcriptionem ab eodem Clemente Pontifice iure deinde ſublatam legimus, quæ fabulam Siluestri ſecundi optimi doctiſſimique Pontificis à Platina impudenter euulgatam complectebatur. Multa fugiunt (quod humanum eſt) Pontifices alijs occupationibus intentos; multa eos quibus ipſi conſiliarijs vtuntur latent, vt mirum non ſit, ſi quædam aliquando excidant, quæ neque Chriſtianæ fidei, neque in vniuerſum Eccleſiæ moribus officiant.

Et ſi quæ hactenus attulimus Vlmi argumentationem ſatis refellunt; certum tamen mihi eſt omnia huic fabulæ inuolucra de-

trahere, & cuniculum quâ mendax deſcriptio ex Venetis picturis in Vaticanam aulam irrepſit, indicare.

In codicibus expenſi Pij quarti Pontificis, qui in rationum tabulario Cameræ Apoſtolicæ aſſeruantur, ratio eſt inter cæteras, in qua pecuniæ ſingulis Pictoribus atque Scalptoribus qui in Vaticana Regum aula aliquid eo tempore pinxerunt ſcalpſeruntque numeratæ expenſæ feruntur. Eius rationis nomina ita deſcripta ſunt. Primo loco Pictoris aut Scalptoris qui accepit perſona atque opus exprimitur: deinde ſubijcitur pecuniæ ſumma; tùm deſignatur is cuius ſyngraphâ & iuſſu pecunia numerata eſt; denique ille adijcitur, cuius eruditione atque præſcripto, vel pictura, vel inſcriptionis ſcalptura ab artifice perfecta narratur. In omnibus porrò ijs nominibus idem qui & ſyngraphas ſubſcripſiſſe, & artifices inſtituiſſe dicitur Marcus Antonius eſt Amulius Cardinalis vir negotijs quidem gerendis & rerum vſu doctrinaque inſignis; ſed tamen Patritius Venetus. At iſta quorſum euadunt? num propterea quod Venetus fuit, idcircò putandum eſt virum clariſſimum ſuæ dignitatis oblitum tàm fœdum impoſturæ ſcelus ſuſcipere voluiſſe? Apage vt adeò humiliter atque demiſsè de Cardinali ſentiam. Verumtamen ſcio multùm valere inſtitutionem, educationemque puerilem: intelligo magnam habere vim in omnem partem opiniones quibus ab ineunte ætate imbuimur: pro comperto habeo maximè ad perſuadendum eſſe momenti parentum ac propinquorum de quacunque re ſententiam atque auctoritatem, ſi illi præſertim à pueritia aſſiduitate quotidiana, & conſuetudine aurium animus aſſueuit. Quid igitur mirùm ſi Amulius Venetijs natus atque alitus, communi Patriæ errore, veluti vulgata aliqua contagione corripi ſe paſſus ſit, atque eiuſdem ſtudio incenſus in Vaticano, hoc eſt in celeberrima Religionis arce picturam cuius ſimilem Venetijs in ſancti Marci ædibus ſæpè contemplatus fuerat, Veneti nominis gloriæ conſecrare voluerit? Itaque nihil eſt quod Vlmus in poſterum iactet, pium Pontificem, & plures ex Cardinalibus illius picturę inſcriptioniſque auctores fuiſſe. Quamuis enim eæ incerto adhuc parente eorumdem fœtus exiſtimarentur; illo tamen reperto, ęquum eſt redhiberi, nec Romanæ, ſed Venetę ciuitatis iure, vtpotè à Veneto homine ortas, deinceps vti.

DECIMVM-

DECIMVM-TERTIVM TESTIMONIVM.

V L M V S.

TERTII-DECIMI argumenti loco tria poſtrema carmina expendemus Gottefridi Viterbienſis, qui proculdubiò Friderici primi Imperatoris Cancellarius fuit. Hic à ſuo inſtituto conciſè ſcribendi non diſcedens, apertè ac dilucidè narrat ex poſtrema victoria, quæ anno M.CLXXVII. *reportata eſt, pacem conſequutam, & ſchiſma ſublatum.*

Annis ter ſenis tribulatis ſchiſma recedit: "
Vicit Alexander, tandem cui Cæſar obedit, "
Paceque conſedit, conſiliumque dedit. "

Alexandri victoria ponitur anno M.CLXXVII. *in quem cadebat annus Pontificatus duodeuigeſimus, per illa verba [ter ſenis] expreſſus. At eo anno nulla apud ſcriptores reperitur victoria præter illam quam Alexander Pontifex per Sebaſtianum Zianum Venetorum Ducem reportauit. Hæc igitur illa ipſa eſt, de qua Gottefridus loquitur. Colligitur etiam de poſtrema victoria ſermonem eſſe ex particula [tandem] quæ nos fateri cogit, hîc agi de victoria proximè obtenta. Iam verò, qui demum proximè vicit, eum vſque ad victoriæ tempus in perpetua quadam contentione verſatum eſſe neceſſe eſt. Nulla igitur pax inter certantes erat. Quod ſi Fridericus (vt Aduerſarij fingunt) ex gratuita conuentione, & non bello coactus pacem Pontifici conceßiſſet, cur Gottefridus rerum quæ gerebantur ſpectator, diceret [vicit Alexander tandem?] Dicere potius debuiſſet [conuenit tandem inter Fridericum, & Alexandrum] victoria enim certamen ſubſequitur, in quo certantium alter viribus ſuperior fuerit. Victoria igitur Alexandri contigit anno* M.CLXXVII. *déque ea loquitur Gottefridus, dum ſubijcit, eam cauſæ fuiſſe cur Fridericus Pontifici obſequium deferret, illis verbis, [cui Cæſar obedit] quibus etiam comprehendi putamus Friderici actionem, dum ſe ante ſancti Marci ianuam Pontificijs pedibus calcari paſſus eſt. Alia autem verba [Paceque conſedit, conſiliumque dedit] oſtendunt poſt pacis conciliationem Fridericum omnibus conſultationibus, quæ quotidie Venetijs à Pontifice, quouſque Romam diſceßit, habebantur, adhibitum. Atque hæc de Gottefridi Friderici Cancellarij, qui Venetijs pacis conuentioni interfuit, teſtimonio ſatis.*

RESPONSIO.

QVAM aliena ſit eorum verborum ſententia [Vicit Alexander: vicit Zianus, qui Alexandri partes tuebatur,] nemo eſt, qui non videat. Quanto probabilius Gottefridum de ea victoria intellexiſſet, quam Lombardi, belli ſocietate fœderati, próque Alexandro iuxtà Comum pugnantes, de Friderico reportarunt? quęque ita hominis proteruiam fregit, vt de pace illico cogitare cœperit? ſed tamen nego vocem [vicit] hoc loco ad vllum armorum conflictum referendam eſſe. Concedet (vt puto) Vlmus multos in ciuilibus negotijs, cęteriſque vitę humanę controuerſijs vincere, qui ſemper ab armorum tractatione abſtinuerunt. In ea porrò duodeuiginti annorum controuerſia, hoc eſt in diuturno ſchiſmate, quo ab Alexandro & Friderico ſummis vtrinque viribus certatum eſt, vicit Alexander, qui de ſuo gradu dimoueri ſe nunquam eſt paſſus: victus eſt Fridericus, qui illius, quem perditum ſumma ope ibat, pacem Anagnię per Oratores poſtulauit, & Venetijs humi tandem abiectus, pedes exoſculatus eſt. Hunc eſſe germanum Gottefridi ſenſum, facilè conſentiet; quicunque ſuperiores eius verſus legerit.

» Fortior effecta Lombarda potentia ſurgit:
» Vtráque pars tumida fortis ad arma volant:
» Rex prius obtinuit, ſed poſt fugiendo receſſit;
» Non tamen è Patria ceſſit, ſed verbere feſſi,
» Tam Rex, quàm Ligures iam ſuper arma ſilent.
» Annis ter ſenis tribulatis ſchiſma recedit,
» Vicit Alexander tandem, cui Cæſar obedit,
» Pacéque conſedit, conſiliumque dedit.

DECIMVM-QVARTVM TESTIMONIVM.

VLMVS.

ALIA præterea habemus antiquorum auctorum teſtimonia fide non indigna, inter quæ Petri de Vineis, qui, vt docet Sigonius & Bzouius, ad annum M.CCXXXIX. *& alibi, Friderico ſecundo fuit ab epiſtolis, non parui facimus. Bardi tamen errorem, qui eum putauit ab epiſtolis fuiſſe Friderico primo repudiamus. Ex eo duo eruuntur teſtimonia,*

ſtimonia, alterum eſt, quod idem Bardus ex vita Friderici primi ab eo conſcripta deſumpſit.

[*Fridericus vbi audiuit filium à Venetis captum claſſemque Genuenſium profligatam, ſuadentibus ſuis, de pace agere cœpit. Venetijſque Pontificem ac Ducem conueniens ad illius pedes ſe abiecit, ac ciuitates bello ablatas ſe reſtiturum, & ſchiſma ſublaturum ſpopondit. Itaque excommunicatione exolutus, vbi Venetijs diſceſſit, quæcumque iureiurando pollicitus fuerat, diuino adductus metu præſtitit. Alterum eſt quod ex eius epiſtola affert Frangipanius. Fridericus alium Pontificem creauit, atque Epiſcopos in Eccleſijs quæ imperio parebant, conſtituit; ſed demùm Venetias, quò legitimus Pontifex fugerat veniens, eius mandatis paruit.*] " " " " " " " " "

Hæc omnia Petrus de Vineis optimè noſſe potuit. Cùm enim ex Sigonio, & Bzouio pro comperto habeamus illum anno M. CCXXXIX. *Friderico ſecundo ab epiſtolis fuiſſe, facilè (vt puto) impetrabimus id muneris nonniſi prouecta ætate exercuiſſe. Ex quo efficitur, eum aut illa quæ ſcripſit vidiſſe, aut ſaltem ab alijs qui viderant, accepiſſe; cùm ab anno* M. CLXXVII. *quo inter Alexandrum & Fridericum pax conuenit ad annum* M. CCXXXIX. *quo in familia erat Friderici ſecundi iam grandis natu, duo & ſexaginta ſoli intercedant anni. Ex verbis igitur epiſtolæ habemus Alexandri fugam Venetias, eiuſque aduentum palam atque ex conuentione, meram eſſe fabulam. Ex prioribus verò vitæ Friderici, captiuitas oſtenditur Friderici filij; quæ duo ab Obone tradita ſunt, atque à Petro de Vineis Alexandri æquali, aut ſaltem ſuppari, confirmata.*

RESPONSIO.

CONQVISIVI diligentiùs lucubrationes Petri de Vineis; neque vnquam, vel in Vaticana Bibliotheca, vbi aliqui eius codices aſſeruantur, vel alibi inuenire potui ab eo Friderici primi Imperatoris vitam conſcriptam fuiſſe; neque vllam eiuſdem epiſtolam vidi, in qua aliquid, vel leuiter, de Alexandri fuga, déque Ziani victoria ſignificetur. Si Vlmus aliquid nactus eſt quod ad hiſtoriæ notitiam faciat, illud obſecro poſteritati ne inuideat.

DECIMVM-QVINTVM TESTIMONIVM.

VLMVS.

TOT etiam publici Annales à Bardo in lucem editi, præcipuarum ciuitatum, ac Prouinciarum Germaniæ ferè omnium, Sueuiæ, Burgundiæ, Norimbergæ, Vlmæ, Maſburgi, Coloniæ Agrippinæ, Veſuntij, eorum quæ à nobis narrantur fidem faciunt, cùm ij quibus proprios, & peculiares ſecundum temporum ſeriem, ciuitatis alicuius Annales conſcribendi onus incumbit, accurato veritatis inueſtigandæ ſtudio teneantur. Ad eorum teſtimonia, quæ apud Bardum reperire eſt, lectores amandamus.

RESPONSIO.

BARDVS eos pro ſua cauſa annales collegit, qui omnia ex Venetis narrationibus iam confutatis exſcripſere. Nobis Danduli & Sabellici teſtimonium aduerſus eos ſatis eſt, qui aiunt omnes externos ſcriptores nihil de Alexandri fuga, aut de Ziani victoria narraſſe.

DECIMVM-SEXTVM TESTIMONIVM.

VLMVS.

SEXTVM-DECIMVM argumentum, non vnum erit, ſed multiplex. Plura videlicet teſtimonia, quorum ſingula (vt opinamur) ab eruditis magni fient. Inter illa hæc numerantur. Singulis annis ad hæc vſque tempora à Duce, vniuerſo adſtante Senatu, annulum nuptiarum indicem in mare deijci; id quod oſtendit Venetis à Pontifice, eius imperium ac dominationem inſignis de hoſtibus reportatæ victoriæ premium, iam tùm ab anno M.CLXXVII. *conceſſa fuiſſe. In Armamentario publico, Ducis Ziani loricam, cæteraque arma quę in pugna contra Othonem illi vſui fuerunt, velut quid pretioſiſſimum aſſeruari. Inibi etiam oſtendi enſem, vel ipſa antiquitate inſignem, quo Dux triremes ad pugnam pro Pontifice adeundam aſcenſurus, ab illo ſuccinctus eſt, quem ſanè ipſius Ziani fuiſſe nemo negauerit, qui vaginam à ſerico rubro villoſo aureis lilijs ſolidis interſtinctam inſpexerit; ea enim Zianorum familiæ nunc extinctæ, gentilitium inſigne*

gne fuerunt, vt ex ędificijs quæ huic noſtro Monaſterio hereditate obuenerunt, ſatis liquet; in quibus ſubinde prout opus erat inſtauratis, ea tamen à Monachis integra ſeruata ſemper ſunt. Vſum vmbellæ, hodiéque perdurare qua Pontifex Ducem Anconæ vti voluit; eo namque declaratur (vt habet Commentarius è Cœnobio Charitatis) Ducem Venetiarum ea tempeſtate à Pontifice, atque Imperatore primum fuiſſe; quod nimirum cauſę eſt, cur pręcipuis quibuſdam feſtis diebus ab eo inſtar cuiuſdam triumphalis pompæ, adhibeatur. Veteres illas argenteas tubas, Duci olim à Pontifice dono datas extare, quibus perpetuò Venetorum pietas & religio celebraretur. Duci adhuc in ſolemnibus pompis cathedram aureumque puluillum præferri, eius ad quam Zianus euectus eſt, dignitatis argumentum; nimirum, vt tertius in Pontificio ſolio ſederet Papæ ſiniſter, Imperatore dexteram obtinente. Vſurpari etiamnum octo vexilla, quæ Cæſarea fuiſſe memorat auctor commentarioli è Cœnobio Charitatis:

[*Scito per Romanos aduentu ipſius Domini Papæ, exierunt obuiam* "
ei cum octo vexillis Imperialibus.] "

Idem confirmat Frangipanius, additque merito Venetorum Duci conceſſa; quod Fridericus ob diuturnam & continentem duodeuiginti annorum Pontificis inſectationem ijs ſeſe indignum reddidiſſet, eiuſque locum Veneta Reſpublica, aſſidua conſtantique, vſque ad ſchiſmatus profligationem, Eccleſiæ Romanæ tutela (quę Imperatoris propria erat) occupaſſet. Nec videtur hoc loco pręteteundum, auctorem Actorum Alexandri (quando & aduerſarij quoque nobis vſui ſunt) tubarum & vexillorum, quanquam non ſuo loco, mentionem facere, dum Pontifex à Romanis obuiam progreſſis exceptus eſt.

[*Exierunt obuiam ſibi in longum Clerus Romanus cum vexillis* "
& crucibus, (quod nulli Romanorum Pontificum recolitur factum) "
Senatores, & Magiſtratus populi, cum concrepantibus tubis.] "

Has autem tubas atque hæc vexilla, credere par eſt ea fuiſſe quæ à Pontifice Duci donata ſunt.

RESPONSIO.

DE muneribus quæ Alexander Pontifex in Venetum Ducem contuliſſe dicitur, pluribus in præſentia diſputare conſilium non eſt. Non me fugit maris deſponſationem quotannis ſolemni ritu à Duce Venetijs fieri. Fateor vulgi opinionem increbuiſſe ideo fieri, quòd Alexander tertius Adriatici maris dominatum ob victoriam de Othone Friderici primi Imperatoris

filio reportatam Veneto Senatui conceſſerit. Sed cùm ex illius ſæculi ſcriptoribus atque ex aduerſariorum confutatione demonſtratum ſit, eam victoriam planè commentitiam eſſe, commentitium etiam eſſe præmium, quod eo nomine ab Alexandro Pontifice Venetis collatum traditur, neceſſe eſt. Itaque nego aureum annulum à Pontifice in eam rem donatum, mariſque deſponſationem ex vlla Ziani de Othone victoria ortum habuiſſe. De reliquis, quamuis demus vera fuiſſe; nullum tamen inde argumentum deducitur ad probandam Alexandri fugam, Zianique atque Othonis nauale prœlium. De enſe quem Bardus ab Alexandro more Romanorum Pontificum conſecratum narrat; contra Obonem ſuprà diſputauimus. Quod Vlmus de vmbella ait eam idcirco à Pontifice Duci conceſſam, vt declararet, illum poſt Pontificem inter Chriſtianos Principes, alterum ab Imperatore dignitatis locum obtinere, puto non ſine maxima aliorum Principum atque adeo ipſius Alexandri iniuria dici; neque id quod de Cereo ſubijcit verum eſſe poteſt; ideo nimirum Duci donatum, vt quæ fuerit eius in propugnando Pontifice conſtantia oſtenderetur; nam donatus eſt ſtatim atque Pontifex agnitus dicitur; quo tempore neque Venetorum fidem & conſtantiam adhuc explorauerat, neque ab iiſdem fuerat adhuc defenſus. Qui verò Duci ſellam aureumque puluillum, argenteas tubas, & octo vexilla Romæ donauerit, cùm is Venetijs non diſceſſerit, neque ipſe percipio, neque alijs explicare queo. Fides ergo erit penes Bardum atque Vlmum, qui narrarunt.

DECIMVM-SEPTIMVM TESTIMONIVM.

VLMVS.

DECIMVM-SEPTIMVM teſtimonium ex ſcriptoribus coaleſcit, qui quamquam non omninò veteres, tamen vnà cum pluribus recentioribus huius hiſtorię veritatem tutati ſunt. Tametſi enim conſilium fuit antiquioribus ſolum vti; recentiores tamen à Bardo, & Frangipanio allati omninò ſpernendi non ſunt, quorum plerique ſingulari quadam eruditione præditi, cum hiſtorici magni nominis, inſignes iuriſperiti (inter quos eruditiſſimo Frangipanio primas libenter concedimus) Religioſi Viri, Sacerdotes, Epiſcopi, aliique Eccleſiaſtici, tùm per ſe ipſi, tùm honoribus conſpicui ſint; quemlibet æquum iudicem à pręcipiti, ac temeraria eius facti condemnatione reuocant,

cant, quod tam egregios patronos nactum eſt, impetrantque vti ſibi perſuadeat, tàm illuſtres viros non temerè & ſine cauſa ſcriptis commendaſſe; Alexandrum tertium Pontificem Venetias non ex antecedenti conuentione, neque cum pompa apparatu, ſed clam atque ex fuga veniſſe.

RESPONSIO.

SCRIPTORES, quorum hîc Vlmus meminit, libenter excuſo, quod in animum inducere ſibi non potuerint, vt crederent rerum gratiſſimarum narrationem tàm callidè, támque impudenter in ciuitate, quæ optimis legibus atque inſtitutis gubernatur, confictam fuiſſe; ſed non animaduerterunt vnius aut alterius mendacio ac fraude errorem aliquando ex leuibus initijs diſſeminatum, poſtea in immenſum creſcere ac dilatari.

DECIMVM-OCTAVVM TESTIMONIVM.

VLMVS.

EPISTOLA Friderici primi ad Alexandrum, Româ à quodam Monacho Bardo tranſmiſſa omnino contemnenda non videtur; tametſi omni erroris ſpecie interim à nobis expurganda eſt. Vbi enim Fridericus ait [*& tibi pro componendis cauſis inter Imperium, & Sacerdotium Legatos mittimus Archiepiſcopos Moguntinum, & Colonienſem*] *omninò credimus ſubſequentia verba in eo exemplo* [*Chriſtianum*] *ſcilicet, &* [*Raynaldum*] *ab Imperatore dictata non fuiſſe; ſed temerè ab aliquo poſt eius obitum addita; cùm Pontifex (vt omnes eruditi facilè dabunt) Oratorum, quos optimè nouerat, nominatione non indiguerit. Atque in eo nimis ſapiens exſcriptor errauit quod Raynaldum, qui iam è vita migrauerat, Colonienſem poſuerit Archiepiſcopum, non Philippum, qui tum viuebat. Magni tamen facienda eſt epiſtola, ſi erroribus deterſis, vti à Friderico profecta eſt, conſideretur; nam probatorum ſcriptorum narrationibus, in calce præſertim, concordat; quo loco dum Fridericus ait, ſi Legati ab ipſo miſſi Alexandrum verum eſſe Pontificem non cognouerint, ſe alium electurum, gemina dicit eorum quæ anno* M.CLXII. *Danorum Regis Legato apud Saxonem Grammaticum lib.* XIV. *edixerat. Ibi enim oſtendit ſe neutrius Pontificis electioni conſenſurum.*

[*Huius audita legatione dolenter, ſe diuiduæ Religionis ſtatum ferre* "

aſſeuerabat ; neutri tamen parti acclamaturum, ac tertium potius crea-
" *turum ;*] *quod auctor Actorum Alexandri ſæpius confirmat ; illudque*
" *apertè oſtendit, quod ſub ipſas pacis conuentiones temperare ſibi non potuerit, quominùs id conſilij detegeret. Accedit quod cùm videret Alexandrum euerti minimè poſſe, operam dedit (Obone teſte) vt Calixto ſuarum partium Pſeudo-Pontifici viuenti, ſibique pergrato Lando ſufficeretur. Iis igitur conſentit Friderici epiſtola apud Bardum p.* CLI.
" [*Qui quidem Legati ſi cognouerint te Eccleſiæ legitimum Pontificem*
" *eſſe, obedientiam noſtro nomine preſtabunt ; ſin autem, ad nos reuer-*
" *tentur, & nos qui iuſtitiam dileximus, & odio habuimus iniquitatem,*
" *alium Pontificem eligere faciemus ;*] *vbi vt videtis ipſum Calixtum,*
" *etſi adhuc inter viuos degeret, nihili ducit. Eſt igitur epiſtola à Friderico dictata, paucis ab alio in ea immutatis. Non tamen Annalium auctori damus ibi erratum fuiſſe, vbi annus* M. CLXXVII. *Friderici Imperij vigeſimus ſextus dicitur; ſcimus enim Cardinalem Bellarminum, aliosque complures eiuſdem Imperium inchoare ab anno* M. CLII. *quo tempore Conradus die* XV. *Februarij è vita deceſſit, neque eadem epiſtola eo nomine reprehendenda eſt, quod Indictionem* XI. *loco* X. *proferat ; id enim leue eſt exſcriptoris mendum atque eius generis, cuius multa vulgo à bonis auctoribus condonari ſolent. Præiuit Baronius non ſemel, ſed quater in epiſtolis Zachariæ Pontificis, in quibus perperam Indictio vndecima pro decima notatur, quod erratum ipſe in antiquitatem ac deſcriptoris negligentiam, non in auctorem reiecit, eaſque nihilominùs tanquam optimas, ritéque temporibus notatas recepit. Eamdem in Apulia à Friderico conſcriptam fuiſſe, neque annuo, neque abnuo, cùm pro comperto habeam Fridericum in illo calore Pontificiæ inſectationis, modò huc accurriſſe, modò illuc, latétque nos quo die ſcripta fuerit, cùm nullus in ea exprimatur, vnde coniecturam capere poſſimus, vbinam terrarum Fridericus eo tempore conſtiterit. Exiſtimamus quidem, vt alibi ſignificauimus, Othonem Ticini eum conueniſſe. Fieri tamen potuit, vt poſt filij digreſſum odio inflammatus Apuliam repeteret, vt claſſem repararet, quod tamen minimè perfecit.*

RESPONSIO.

EPISTOLA quam poſtremi teſtimonij loco Vlmus adduxit, tot támque apertis ſcatet mendacijs, vt mirũ ſit quod eam in mediũ proferre, quàm ſummo ſtudio ſupprimere maluerit. Mitto frigidam ab alio additorum nominum euaſioné, qua fraudulentam epiſtolam, mendacijſque conuictam fruſtra ſe tueri arbitratur ; quaſi eorum qui Legati ad aliquem deſtinantur, litteraſque perferunt

perferunt nomina, iis vulgò non inſerantur. Mitto inanium verborum ac leuium coniecturarum coagmentationem ad falſas Friderici aduerſus Alexandrum minas confirmandas. Illud prætetire non poſſum, quod ipſe à ſe haud improbari ait; Fridericum ex Apulia has litteras miſiſſe; quod fieri minimè potuiſſe, ſalua Obonis auctoritate, in hunc modum oſtendo. Is narrat Petrum Ziani Ducis filium Friderico Venetias aduentanti occurriſſe ad Padi oſtium; at hoc Ticino, non ex Apulia, Venetias verſus iter eſt: deinde cùm Otho à Patre Venetias redierit die XVII. Iulij vt Obo auctor eſt, & Friderici Oratores pacem iuraturi (quos tamen nonniſi ab Othone monitos acceptæ pacis, veniſſe credendum eſt) venerint die XXI. demum Fridericus die XXIII. apud ſanctum Nicolaum in littore pernoctauerit; relinquitur ſi is in Apulia erat, quatuor aut quinque dierum ſpatio Venetias aduolaſſe. Quid quod in pictura aulæ maioris Conſilij Bardus exprimi ait, Oratores Venetos Ticinum ad Fridericum veniſſe, móxque eum Rauennam acceſſiſſe, inde Clodiam, demum Venetias deductum? Nulla ergò hic Apuliæ mentio eſt, neque prorſus eſſe potuit; ſed video vnde Vlmo ſint anguſtiæ; nam in explicatione picturarum quæ anno M. DLXXVI. incendio conſumptæ ſunt, habetur Oratores à Venetis in Apuliam (quod Bardo minimè conſentit) ad Fridericum ablegatos. Cùm igitur repugnantiam videat picturarum cum Obone, & auctorum qui eas explicarunt inter ſe, cautè loquitur, ne in mendacio deprehendatur. Nam quod vocum ſimilitudine ait decipi potuiſſe eos qui Apuliam pro Papia ſcripſerunt, cùm Apulia Puiæ nomine, Pauiæ affini apud Venetos exprimatur, inane eſt ac friuolum. Nam Fridericus Latinè ſcripſit, quo ſermone nulla huiuſmodi deceptio contingere potuit. Ad hæc in epiſtola habetur Alexandrum pacem à Friderico poſtulaſſe: contrarium tamen accidiſſe omnes eius temporis ſcriptores affirmant. Sed quid habet probabilitatis, vt Imperator poſtquam pacis conuentiones Othoni filio ad Pontificem proferendas tradidit, eum contumelioſiſſimis litteris impetiuerit, atque aduerſus ſe ac ſuos petulanter & procaciter concitauerit? Illud poſtremo loco non omittam, Bardum atque Vlmum de his litteris non ſatis congruenter loqui; nam ille videtur velle exemplar Friderici manu exaratum Romà Venetias tranſmiſſum fuiſſe: hic verò ait miſſum ſolummodò earum exemplum. Si licet inter eos litem dirimere, ita ſtatuo; neque exemplar, neque exemplum Româ tranſmiſſum.

SCRIPTOR ACTORVM ALEXANDRI TERTII A CALVMNIIS VINDICATVS.

VLMVS.

AVeritatis ſtudioſis illud vehementer expeti puto, vt oſtendatur (quæ res maximi eſt momenti) duas narrationes à Baronio in lucem editas, veterum, quod ipſe exiſtimauit, nequaquam ſcriptorum eſſe, ſed ab aliquibus poſterioris ætatis compoſitas ac deprauatas fuiſſe. Nam ſi eorum quæ ab Obone Rauennate, alijſque tùm Venetis, tùm externis eidem conſentientibus narrantur, veritate confirmatâ, adductiſque illorum temporum picturis ac marmorearum tabularum inſcriptionibus velum detraxerimus, cuius in tegumento hactenus antiquitatem duo illi, à quibus eſt omnis hiſtoriæ series perturbata, mentiti ſunt; æquè à nobis, & veritas defenſa, & falſitas profligata erit. Et ſanè facere non poſſum, quin tribus egregijs ſcriptoribus, Blondo, Sigonio, & Baronio, illud erratum quod ab alijs manauit, condonem; cùm antiquam exiſtimantes rerum geſtarum, quas ſuis voluminibus attexuerunt, narrationem, mendaci quadam veri ſpecie decepti ſunt. Illud tamen ſilere non poſſum, duos codices de quibus agimus, ab ijs haud ſatis diligenter conſideratos fuiſſe. In ſequenti capite de narratione ſermo erit, quam aduerſarij Romualdo tribuunt: nos alterius eſſe putamus, qui eidem (ſi tamen is hiſtoriam ſcripſit) auctarium adiecit. In præſentia de Anonymo quem Baronius antiquum exiſtimauit, diſputabimus, cuius etiam volumen acta Alexandri Papæ inſcripſit, atque ad laruatum ſcriptorem penitus introſpiciendum ea afferemus, quæ planè oſtendant, ipſum quàm remotiſſimè ab Alexandri temporibus vixiſſe. Et ſanè fœliciter contigit, vt in hoc noſtro Monaſterio eiuſdem Anonymi volumen

men reperiatur deſcriptum, vt arbitror anno M.CCCCLXXI. *id quod ex adnotatione ipſo libri initio conſtat, quæ ſic ſe habet.*

[Hîc perſequar ingreſſum ſereniſſimi & Chriſtianiſſimi Galliæ Regis “ *Ludouici, &c. qui Pariſios intrauit die vltima Auguſti* M.CCCCLXXI.] “ *vbi plura enucleatè ad eam pompā pertinentia narrat quæ ipſum interfuiſſe oſtendunt: deinde abrupta oratione, incerti auctoris narratio inchoatur. Neque verum eſt quemadmodum aduerſarij videntur perſuadere velle, conſcriptam ſolùm ab eo fuiſſe vitam Alexandri tertij, cuius ætate illum floruiſſe fingunt. Nam multorum præterea Pontificum vitas, à ſancto Leone nono ducto initio, litteris mandauit, vbi ſtatim errare incipit, cùm eum Pontificem creatum ait anno* M.L. *qui creatus eſt* M.XLIX. *Illi, quod de Victore ſecundo qui proximè poſt Leonem Pontifex electus eſt anno* M.LV. *nihil apud ſcriptores inueniſſet, ſtatim ſubtexuit vitam Stephani, qui Pontifex renunciatus eſt anno* M.LVII. *quem tamen falsò renunciatum ait anno* M.LVIII. *Nicolai ſecundi, quem creatum vult anno* M.LIX. *cùm creatus fuerit* M.LVIII. *Alexandri ſecundi quem Pontificem facit anno* M.LXXII. *cum reponendus ſit anno* M.LXI. *Gregorij ſeptimi, quem ſine mendo Pontificiam dignitatem adeptum ait anno* M.LXXIII. *prætcritiſque Victore tertio atque Vrbano ſecundo, ſubijcit* P*aſchalem ſecundum anno* M.CIX. *qui tamen Pontificatum inchoauit anno* M.XCIX. *mox interpoſitis eorum temporum Pſeudo-Pontificibus, Gelaſium ſecundum refert in annum* M.CXIX. *qui referendus erat in* M.CXVIII. *Calixtum ſecundum, quem collocat anno* M.CXX. *cùm collocandus eſſet anno* MCXIX. *Poſt hæc Honorium ſecundum anno* M.CXXV. *Innocentium ſecundum anno* M.CXXX. *Cæleſtinum ſecundum* M.CXLIII. *Lucium ſecundum* M.CXLIV *Eugenium tertium* M.CXLV.' *Anaſtaſium quartum* M.CLIII. *Adrianum quartum, quem tertium appellat,* M.CLIV. *nullo Chronologiæ errore Pontifices electos narrat, ijs ſtatim ſubijcit Alexandrum tertium anno* M.CLVIII. *qui tamen, vt ipſe etiam Baronius correxit, Pontificatum cœpit* M.CLIX. *quo loco oſtendit ſe, qui annum initi ab illo Pontificatus ignorauerit, neque ipſius familiarem, neque æqualem fuiſſe. Sed cùm tam in noſtro, quàm in Baronij, quod ipſe teſtatur, exemplo Magni huius Pontificis acta terminentur, cùm ſedatis diſcordiarum cum Imperatore tempeſtatibus Romam reuerſus, ipſo Sacroſancti Paſchæ die* P*ontificiam tyaram induiſſe dicitur, vt habetur ex poſtremis verbis [in Paſcha regnum ſolemniter induit] cúmque in noſtro manuſcripto* “ *plura adſuta cernantur folia, omni planè ſcriptura carentia, ſatis oſtenditur ex ſcriptore plura in exemplari concerpta, atque ſubtracta folia reperiſſe. Proximè deinde Incertus vitam Gregorij noni ſubnectit, qui*

vt ipſe anno M.CCXXVI. *vt verò Abbas Stadenſis eorum temporum ſcriptor notauit, anno* M. CCXXVII. *ad Pontificatum euectus eſt; ea neque integra eſt, cùm ex illa quod ſupereſt ad annum ſolum pertingat* M.CCXXXIX. *neque certò ex truncato volumine conyci poteſt ad quotum hic auctor in Pontificum actis deſcribendis annum peruenerit, qui fortaſſe vltra* M.CCC. *ſuas lucubrationes extendit. Quantum enim diligenti ipſius obſeruatione aſſequi potuimus, exiſtimamus illum ex eo ſcriptorum genere fuiſſe, qui cùm poſterioribus ſæculis vixerint, rerum tum veterum, tùm recentium indagationi ſtudentes, tum demum vera referunt, cùm in veridica aliqua monumenta incidunt: fabulas verò ac nugas interſerunt, cùm falſas narrationes nullo delectu deſcribendas ſuſcipiunt. Nos ſanè totam Incerti hiſtoriam minimè reijcimus, ſed affirmamus, multa quæ ab eo ſunt ſcripta apud auctores impreſſa reperiri, qui illum ætate anteceſſerunt. Atque hæc vt vera admittimus, ijs repudiatis, quibus conſcribendis ipſe non alium ducem quàm aut fallacem vulgi famam, aut mendacem aliquem ſcriptorem ſequutus eſt.*

RESPONSIO.

MIRA ſunt quæ Vlmus aduerſus ſcriptorem Actorum Alexandri tertij à Baronio in Annalibus laudatum confinxit, nec minùs creditu difficile eumdem qui in leuiſſima etiam ſuorum errata ſe animaduerſurum profeſſus eſt, quique veritatis obſcurandæ & fabulæ veri ſpecie, ceu quibuſdam pigmentis colorandæ, tam callidum ſe artificem præbuit, obuia multa in eo manuſcripto, cuius exemplum apud ſe eſſe tantopere gauiſus eſt, non vidiſſe, quæ illum à confutandi moleſtia liberaſſent. Verùm hebetatur mentis acies, dum odio aut ſtudio diſtractus animus in diuerſa fertur, quo fit vt veluti in Andabatarum pugna, neque de aduerſario, quiſnam ſit, ſatis conſtet, neque quò argumenta dirigi oporteat perſpici queat. Certè Vlmus vnum omnium quæ eo manuſcripto volumine continentur auctorem ratus, perinde quaſi aduerſus multiplicem Geryonem in arenam prodijt, ſed vbi viderit à ſe fictam aduerſarij vmbram ac ſimulachrum, non aduerſarium peti, pigebit illum puto ſuſcepti fruſtra laboris, & tot bonas horas in friuola confutatione tam malè perdidiſſe pœnitebit. Nos hîc de Actorum Alexandri ſcriptore, déque Vaticano codice vnde illa deſumpta ſunt, pauca afferemus, ex quibus facilè iudicatu erit, quàm contra eam vim habeant, quæ ſatis longa

longa oratione ab aduerſario congeruntur.

Cencius Sabellus Baſilicæ ſanctæ Mariæ Maioris Canonicus, Clementis tertij & Cæleſtini tertij Camerarius, qui poſtea ad Pontificatum euectus, Honorius tertius appellatus eſt, librum de Romanæ Eccleſiæ cenſibus, Eugenij tertij iuſſu ab alijs iampridem inchoatum abſoluit anno M.CXCII. quo inueſtituras, (quas vocant) donationes, fidelitates, iuramenta, aliáque acta, quæ ad vtramque ſedis Apoſtolicæ poteſtatem pertinent, ad poſteritatis memoriam rerúmque geſtarum fidem complexus eſt. Ex huiuſmodi voluminis præſcripto, quod iam inde ab eo tempore veluti illibatæ fidei publicæq; auctoritatis ſemper eſt habitũ, ſummi Pontifices, & ij qui Cameræ Apoſtolicæ præerant, Romanæ ſedis iura tutati ſunt, cenſúmque exigere conſueuerunt. Ex quo factum eſt, vt ſubſequentes Camerarij, vſque ad Nicolaij tertij Pontificatum publica maioris momenti acta, Cencij exemplo in diem retulerint. Inſerta præterea in eo libro ſunt quædam ex Chronicis, alia ex Pontificali codice, atque ordine Romano, & ſummorum Pontificum vitæ ſeu acta, à Ioanne duodecimo vſque ad Gregorium nonum à pluribus diuerſorum temporum auctoribus conſcripta.

Frater Nicolaus de Aragonia ex Ordine Prædicatorum S.R.E. Cardinalis, Innocentio ſexto Pontifice, ex Chronicis regeſtiſque Apoſtolicis ſimile Cenciano opus collegit, in quo, vel ex Romano Archiuio, vel ex Cencij libro, plurimorum Pontificum vitas deſcripſit, Leonis noni, Stephani noni, Nicolai ſecundi, Alexandri ſecundi, Gregorij ſeptimi, Paſchalis ſecundi, Gelaſij ſecundi, Calixti ſecundi, Honorij ſecundi, Innocentij ſecundi, Cæleſtini ſecundi, Lucij ſecundi, Eugenij tertij, Anaſtaſij quarti, Adriani quarti, Alexandri tertij, & Gregorij noni. Proœmium tamen vitæ Ioannis duodecimi, & vitæ eiuſdem Ioannis, & Victoris ſecundi, quæ apud Cencium habentur, prætermiſit. Addidit præterea operi inſcriptionem, [Geſta aliquot Romanorum Pontificum, quæ in Chronicis communiter non habentur] « « & annum quo quiſque ad Pontificatum euectus eſt, quibus duobus Cencij volumen caret. Huius codicis exempla non pauca in vulgus emanarunt, hodiéque in publicis ac priuatis Bibliothecis viſuntur. Ex his conficitur laborandum non eſſe, vt noſtrum ſcriptorem à vitiatæ Chronologiæ calumnia eximamus, nam in Cenciano codice, quem autographi loco dicimus, nullos notatos fuiſſe annos docuimus, qui deinceps Aragoniano volumini extra

hiſtoriæ contextum adiecti ſunt. Sed cur tam rigidum Vlmus ſe præbet annorum exactorem, qui antiquis, fictis tamen, inſcriptionibus, vt bellè congruant, plures donare ſolet annos de ſuo? Quod præcipuè ad annum Pontificatus ab Alexandro initi pertinet, legat acta, in quibus inueniet illum die vigeſima Septembris anni MCLXXVII. ſui Pontificatus expleuiſſe annum duodeuigeſimum, & die vigeſima nona eiuſdem menſis anno M.CLXXIII. Pontificatus Alexandri decimoquinto, Fridericum Imperatorem ex Germania in Italiam quintùm veniſſe. Si rationem rectè ſubduxerit, reperiet ſcriptor actorum Alexandrum iniuiſſe Pontificatum anno M.CLIX. non M.CLVIII.

VLMVS.

EARVM porrò vitarum non plures auctores, ſed vnum atque eundem fuiſſe nos certò ex Annalium ſcriptore, qui eo ſæpe vti ſolet, deducimus. Nam in Calixto ſecundo, anno M.CXXI. *conuicia narrans aduerſus Burdinum iactata [maledicte, maledicte per te tam graue ſcandalum venit] vocat codicem Vaticanum [in ſcripto Vaticano codice aſſeritur;] & anno* M.CXXII. *cùm hoc ſcriptore vſus eſſet paginâ* CLII. *ait [huiuſque codex Vaticanus,] & anno* M.CXXIV. *pag.* CLX. *de eodem Calixto agens, eiuſdemque voluminis verba vſurpans hæc habet [ſed quia electio Honorij minùs canonicè proceſſerat] quæ in noſtro Incerti manuſcripto leguntur; & anno* M.CXXX. *p.* CLXXXVII. *ex eodem volumine in vita Innocentij ſecundi hæc affert [magna in vrbe diſcordia facta, nam Epiſcopi & Cardinales, ſe in duas partes diuiſerunt;] quæ antequam referat, hæc præfatur [ſed audi iſta ab eius temporis ſcriptore anonymo] & in fine Pontificatus Cæleſtini ſecundi ait [ita Vaticanus codex de vitis Pontificum,] quæ ſatis id quod propoſuimus oſtendunt, ab auctore incerto, non ſolùm Alexandri tertij vitam, ſed multorum Pontificum res geſtas conſcriptas fuiſſe, cùm Baronius illum ipſum quem codicem Vaticanum appellare ſolet, alibi appellet, modò acta Lucij, cùm illum in Lucio ſecundo vſurpat, modò acta Anaſtaſij, dum in Anaſtaſio loquitur, & ſic deinceps in alijs Pontificibus, vſque ad Alexandrum tertium: is tamen idem eſt, qui etiam ſcripſit acta Gregorij noni, & veluti veſtem verſicoloribus vndique aſſutis pannis, ſuam hiſtoriam conſarcinauit.*

RESPONSIO.

RESPONSIO.

COMPVLIT nos hoc loco diſputationis ſeries, quæ alioqui perturbato ordine procederet, quædam Vlmi verba quæ ille poſtpoſuerat, anteponere. Ea tamen quæ hîc omittimus ſingula paulò pôſt integrâ fide allaturi ſumus. Quàm leue ſit ad vnum probandum auctorem, id quod ex Baronio affertur argumentum, nemo non videt; cùm in vno codice plurium contineri ſcriptorum lucubrationes quotidie cernamus. Et ſanè plures fuiſſe earum vitarum auctores, nemo præter Vlmum negauerit. Nan ſtilus atque eloquutio magis inter ſe diſſident, quàm vt eiuſdem parentis partus eſſe poſſint: atque auctor vitæ Ioannis duodecimi in proœmio narrat, ſe libello quem amico inſcripſit, perſequutum eſſe vitas quorumdam Pontificum; alio verò quem Hugoni Cardinali dicauit, aliorum res geſtas conſcripſiſſe. Atqui, Hugo de quo ille loquitur, ſchiſmaticus fuit, & à Nicolao ſecundo, anathemate notatus obijt circa annum M.XC Si igitur ſcriptor, iam grandis natu (vt credere par eſt) vitam Vrbani ſecundi adhuc inter viuos degentis anno M.LXXXVIII. eidem Hugoni Cardinali nuncupauit, credibile non eſt ab eo compoſita fuiſſe acta Alexandri tertij, quæ vſque ad annum M.CLXXVIII. perducuntur, hoc eſt nonageſimum ab ipſius Hugonis obitu attingunt. Præterea acta Paſchalis ſecundi vſque ad annũ M.CXVIII. eius deceſſus, ſcripſit auctor, qui ijs quę narrat interfuit, atque vnà cum Pontifice & Cardinalibus in carcerem coniectus eſt, vt teſtatur illis verbis.

« [Hæc ſicut paſſi ſumus, & oculis noſtris vidimus, & exaudiuimus auribus noſtris, mera veritate conſcripſimus.] «

Quomodo ergo idem ſcribere potuit, non dicam acta Alexandri poſt LX. annos, ſed Gregorij noni poſt centum & viginti? Ad hæc Auctor actorum Adriani quarti eſt Boſo Anglicus ſanctæ Pudentianæ titulo Paſtoris Preſbyter Cardinalis. Sic enim ipſe in eorum calce loquitur.

« [Actum Boſonis Preſbyteri Cardinalis titulo Paſtoris, qui ab ipſo Pontifice ab exordio ſui Apoſtolatus, eius Camerarius conſtitutus, & in Eccleſia ſanctorum Coſmæ & Damiani Diaconus ordinatus, aſſiduè vſque ad ipſius obitum familiariter ſecum permanſit.] «

Quamuis autem de nomine non conſtaret, cum tùm Adriani

tempore vixiſſe, oſtendunt quæ de morte Vuilhelmi ſenioris Siciliæ Regis per eos dies nunciata commemorat

" [Vuilhelmus cuius animam Domino commendamus apud
" Panhormum defunctus eſt,] tum Cardinalem fuiſſe ex eo colligitur, quod Epiſcopos Cardinales in Friderici Imperatoris coronatione ſacras preces de more recitantes noſtros appellat.

" [Cuius [Adriani Pontificis] veſtigia Rex cum proceſſione
" ſubſequens ante portas argenteas orationem primam ab vno
" Epiſcoporum noſtrorum ſuſcepit, & ſecundam orationem infra
" Eccleſiam in Rota ſuper eumdem Regem alius ex Epiſcopis no-
" ſtris dedit; orationem verò tertiam, & vnctionem tertius Epiſ-
" copus ante confeſſionem B. Petri eidem Regi nihilominus con-
" tulit.]

Peculiariter verò fuiſſe Boſonem probatur ex emptionibus, ac venditionibus quas idem Boſo Pontificis Camerarius Romanæ Eccleſiæ nomine ſtipulatus eſt. Nam in earum publicis tabulis, quas in ſedis Apoſtolicæ Archiuium intulerat, ibidémque hodie in codice Cencij Camerarij reperiuntur, tum perſonarum, tum caſtrorum pagorumque nomina; & pretia cum ijs planè conueniunt quæ in actis Adriani Papæ recitantur. Cæterùm eundem Boſonem auctorem quoque actorum Alexandri tertij fuiſſe illa demonſtrant, quod cùm Alexander Adriano Pontifex proximè ſubiectus fuerit, ſtylus, eloquutio, numerus, dicendi formæ vtrorumque actorum ita ſimilia ſunt, vt vno partu edita videantur. Idem ſatis apertum eſt ex eo quod, vt in vita Adriani, Friderici primi litteras inſeruit quibus Tyburtinos à fidei iureiurando abſoluit, concordiam inter Pontificem ac Regem Siciliæ, Baronum Siciliæ (quam vocant) fidelitatem, emptiones caſtrorum Campaniæ, Cordliani, Proceni, Ripeſſeni, Arcis ſancti Stephani, aliorúmque pagorum, adiectis perſonarum nominibus, illorúmque pretijs, quas ipſe, vti Camerarius, nomine Adriani Pontificis, ac ſedis Apoſtolicæ celebrauit; ita in Alexandro intexuit donationem quam fecit Raino Romanæ Eccleſiæ dimidij Ciuitatis Tuſculanæ: eiuſdem ciuitatis cum Monteſaliſco & Burgo ſancti Flauiani permutationem: priuilegium Belæ Vngariæ Regis pro Eccleſiarum immunitate: oblationem Alexandrinæ ciuitatis, eiuſque Romanæ Eccleſiæ viribus atque dominatui ſubiectionem à Conſulibus factam: oppidi Bretenorij poſt Comitis obitum ad ſedem Apoſtolicam deuolutionem, eiuſque

poſſeſſionem

poſſeſſionem, quam poſtea cùm Fridericus iam ſedi Apoſtolicæ reconciliatus vſurpaſſet, à Pontifice monitus, eidem reſtituit. Vt porrò ex publicis Cencij tabulis, quæ Boſonem inſcriptum habent, rectè conficitur, illa quæ in Adriano gemina ſunt, Boſonis eſſe; ita ex alijs tabulis apud eundem Cencium, quæ itidem Boſonis nomen præferunt, deducitur Boſonis pariter eſſe illa quæ eiſdem in Alexandro planè reſpondent. Illud præterea Boſonem Auctorem fuiſſe actorum Alexandri, argumento eſt, quòd ea ſcripta narrantur dum annus ageretur Alexandri Pontificatus duodeuigeſimus, vt in exordio traditur, productáque ſunt vſque ad Paſcha anni M.CLXXVIII. At Boſonem Cardinalem poſtremis Alexandri annis obijſſe teſtatur Ciacconius, hoc eſt, vt ego interpretor, eo ipſo anno M.CLXXVIII. quod ex Franco Camerario eodem anno iam ſuffecto, cuius nomen in tabulis cernimus, ſatis apertè colligitur. Vitam igitur Alexandri, morte præuentus, abſoluere non potuit. Certè eum Alexandro Pótifice ſcripſiſſe, tùm Adriani, tùm Alexandri acta, illud declarat, quod in Adriano Octauianum Cardinalem, qui poſtea tempore Alexandri Pontificatum inuaſit, ſpirantem ſeditionem & ſchiſma appellat.

[Venerat autem ad eam Octauianus tituli ſanctæ Cæciliæ " Preſbyter Cardinalis, non miſſus à Pontifice, ſed dimiſſus, iam di- " miſſus, iam ſpirans ſeditionis, & ſchiſmatis,] & Humbaldum " Cardinalem, qui poſteà electus eſt Epiſcopus Oſtienſis, ait tunc fuiſſe Cardinalem Preſbyterum ſanctæ Praxedis, nunc verò Oſtienſem Epiſcopum.

[Auditis [Adrianus Papa] huiuſmodi oblationibus, de com- " muni fratrum conſilio venerabilem virum Humbaldum tunc " Preſbyterum tituli ſanctæ Praxedis, nunc Oſtienſem Epiſco- " pum, Dominus Papa tranſmiſit vſque Salernum;] quod in ex- " ordio Alexandri, vt ſuprà notauimus, dicat eum iam ſediſſe annos duodeuiginti: quod narrãs quæ geſta ſunt anno M.CLXXVII. hæc verba ſubijciat

[Hoc tempore in Vigilia ſancti Matthæi Apoſtoli Alexander " Papa decimum-octauum ſui Pontificatus annum expleuit;] " quòd denique res ab Alexandro geſtas, tam dilucidè, atque enucleatè perſequutus ſit; vt alius qui non interfuerit, non dicam tantumdem, ſed ne exiguam quidem partem eius diligentiæ præſtare poſſit. Et ſanè cùm Cencius librum, de quo diximus, anno M.CXCII. hoc eſt poſt Boſonis Camerarij obitum decimoquar-

M

to, abſoluerit, in quo vt ipſe affirmar,

„ [Iura ſedis Apoſtolicæ quæ in tomis, carticinijs, & volumini-
„ bus regiſtrorum antiquorum Pontificum Romanæ Eccleſiæ, &
„ modernorum, & aliorum librorum quorundam, ſeu memoria-
„ lium veracium complexus eſt,] quis exiſtimet eum tabulas pu-
„ blicas à Boſone Camerario deceſſore ſuo confectas, & Adriani atque Alexandri acta, quibus iura poſt grauiſſimas controuerſias ſedi Apoſtolicæ nuper comparata, ipſæque eorum rabulæ partim fuse deſcriptæ, partim in ſummam collectæ comprehenduntur, prætermiſiſſe, qui tamen aliorum Pontificum vitas ex Pontificali, atque Ordine Romano & chronicis vndequaque collegerat? Hæc habui quæ de ſcriptore actorum Alexandri tertij in medium afferrem, ea (ſi cauillatione atque contradicendi ſtudio remotis agatur) ſatis vt in re non planè manifeſtâ oſtendunt, Boſonem Anglicum S.R.E. Preſbyterum Cardinalem titulo Paſtoris, qui Venetias Alexandrum proſequurus eſt, inibíque omnibus quæ cum Imperatore tranſacta ſunt, inrerfuit, Alexandri tertij Pontificis vitæ, de qua nobis in præſentia cum Vlmo controuerſia eſt, auctorem fuiſſe,

VLMVS.

PRO comperto habemus, illum in conſcribendis rebus geſtis eorum Pontificum qui Alexandrum tertium præceſſere, vſum eſſe aliquoties Petro Diacono Caßinenſi, aliquoties etiam Pandulpho, cuius fragmenta nobis à Baronio exhibentur; eumque prætermiſiſſe aliorum lucubrationes exſeribere; quod & ipſo initio actorum Alexandri tertij liquet, dum eius epiſtolam, magnam partem principij ſuæ hiſtoriæ fecit. Demonſtrabimus igitur à quibus nam Auctoribus quædam deſumpſerit, vt Lector perſpecta eius conſuetudine, res quas narrat, ab alijs excribendi, intelligat id ea de cauſa ab illo factum, quia ijs quæ litteris conſignabat, nequaquam interfuerat. In vita Paſchalis ſecundi planum eſt ab eo deſcripta eſſe ex cap. trigeſimo quinto lib. IV. *Petri Diaconi Caßinenſis verba quæ ſequuntur. Is enim poſt narrationem aduentus Henrici quarti in Etruriam hæc habet.*

„ *[Miſſis Romam in porticu ſancti Petri Nuncijs cum Petro Leonis*
„ *& alijs Domini Paſchalis Nuncijs hoc pactum deliberatum eſt. [Rex*
„ *ſcripto refutabit omnem inueſtituram omnium Eccleſiarum in manu*
„ *Domini Papæ in conſpectu Cleri & populi in die coronationis ſuæ,*
„ *&c.]*

Et

Et alia quæ ſatis fuſè in eodem capite ſubnectuntur, & nos hîc ad vitandum lectoris tædium, & quod à Diaconi libro impreſſo peti poſſunt, referre ſuperſedemus; à quo etiam mutuo accepit ex cap. XXXVII. *vbi ait.*

[Altera die obuiam dedit ei D. Papa. Miſit in Montem Gaudij, qui & Mons malus dicitur, ſigniferos cum bandis, ſcriniarios, Iudices, & ſcrutatores. Maxima etiam populi multitudo ei cum ramis occurrit. Duo iuxta priorum Imperatorum conſuetudinem iuramenta, vnum iuxta Ponticellum, alterum ante portam porticus Romanorum populo fecit.]

Et alia deinceps verba, quæ eadem omnino ſunt, atque Diaconi. Deinde eodem cap. ab illis [mox dexterã Pontificis tenens cum magno populari gaudio &c.] vſque ad finem, quantum ſpatium eſt vnius paginæ eadem omnino leguntur verba apud Incertum & Diaconum Caſsinenſem, & cap. XXXVIII. *vbi Diaconus ait. [Cùm iam dies declinaret in veſperam;] & narrationem terminans. [Capta eſt cum eo, & clericorum & laycorum numeroſior multitudo,] Incertus eadem vſurpat verba; & vbi paulò poſt Incertus ait. [Trahebantur inter hæc, & Clericorum & Laycorum nonnulli funibus alligati, &c.] ex cap.* XXXIX. *Diaconi exſcripſit; ſicut & alia [in hoc tandem plena deliberatione conuenit] vſque ad illa [nunquã anathema ponat;] & paulò poſt. [Reſtabat illa exactionis, & extorſionis portio] vſque ad illa, [Portis omnibus Romanæ Vrbis, ne ciuium multitudo ad eum accederet, obſeratis.] Longum nimis eſſet ſi omnia hîc producere atque inter ſe conferre vellem. Si quis autem dicat Caſsinenſem Diaconum ab Incerto ea mutuatum eſſe, non autem ab illo incertum, id facilè confutamus; Nam Diaconus hiſtoriam ſuam dedicat Raynaldo Caſsinenſi Abbati, cuius præcepto eam conſcripſerat, hoc eſt quartum librum chronico Caſsinenſi Leonis Oſtienſis additum; hîc verò, vt idem Diaconus teſtatur, Abbas electus eſt anno* M. CXXXVII. *Cùm autem in epiſtolæ inſcriptione appelletur Cardinalis, certúmque ſit eum in Cardinalium Collegium cooptatum ab Innocentio ſecundo, qui ſedere cœpit anno* M.CXXX. *& viuere deſiit* M. CXXXIX. *vtriuſque electionis Raynaldi tempora exiguo interuallo abfuiſſe inter ſe ſatis conſtat. Cæterum videtur Diaconus ipſo initio, quo ille Abbatis prouinciam ſuſcepit, eidem librum inſcripſiſſe; nam in eo Cardinalatus à Pontifice collati nullam facit mentionem; ex quo fortaſſe colligere poſſumus, Cardinalis nomen, quod impreſſo operi hodie præfixum legimus, ab aliquo poſteriori inſertum fuiſſe, cùm Diaconus ita ſolum inſcripſerit.*

[Patri in Chriſto venerabili, & ſemper recolendæ memoriæ Ray-

naldo ſacri Caßini Montis Abbati. Sed, vtcumque iſta ſe habuerint, nos tamen id ſtatuimus, cùm Incerti volumen tempore poſterius fuerit, Petri verò Caßinenſis anteceſſerit, incertum à Diacono, non hunc ab illo, multa deſumpſiſſe; ſolent enim ſcriptores æuo poſteriores, à prioribus, non priores à poſterioribus multa excerpere, atque in ſuas lucubrationes transferre. Quod ſi Incerto credendum eſt; in vita Alexandri tertij perſequitur res anni M.CLXXVIII. *quo tempore ait Pontificem ſolemni Paſchæ die regno indutum, & in vita Gregorij noni annum attingit* M.CCXXXIX. *Quî igitur fieri poteſt, vt Petrus Diaconus eum Auctorem excripſerit, quem poſt ipſum centeſimo floruiſſe anno pro comperto habemus? Et quamuis Mattheus Lauretus in notis ad Caßinenſe Chronicon referat Raynaldum, cui Petrus opus ſuum nuncupauit, obijſſe anno* M.CLXVI. *non tamen inde efficitur, eum ab Incerto aliquid deſcribere potuiſſe, qui in vita Alexandri, quam tamen imperfectam habemus, ad annum pertingit* M.CLXXVIII. *atque in actis Gregorij ad annum* M.CCXXXIX. *quæ duo tempora anno* M.CLXVI. *poſteriora ſunt! Incertus igitur (quod ſatis apertè oſtenſum eſt,) multa à Petro Caßinenſi Diacono ſumpſit: non contra ab Incerto Petrus.*

RESPONSIO.

AVCTOR vitæ Paſchalis ſecundi, ipſo Pontifice viuebat; vt enim ſuprà oſtendimus, vnà cum illo ab Henrici Imperatoris militibus comprehenſus eſt anno IV. Petrus verò Diaconus Caſſinenſis hiſtoriam ſcripſit anno M.CXL. Æquales igitur fuere hi duo ſcriptores. Vter ab altero narrationes & verba mutuo acceperit, equidem diuinare non poſſum; ſi tamen omninò diuinandum eſt, Petrum dixerim accepiſſe, quem ſcimus annis poſt Paſchalis obitum duobus & viginti ſuum opus edidiſſe.

VLMVS.

NEQVE ſolùm Caßinenſem exſcripſit; ſed etiam Pandulphum, cuius pauca quædam fragmenta Baronius ſuis Annalibus intexuit. Nos illud hîc proponemus, quod anno M.CXX. *ea quæ inibi ex Pandulpho afferuntur, & quæ in noſtro Incerti manuſcripto habentur, conferentes deprehendimus. Verba eadem omninò ſunt apud vtrumque de Calixto ſecundo, & recitantur à Baronio tom.* XII. *pagina* CXLII.

Habito

[Habito itaque conſilio communi cum Eccleſia Gallicana, vt ad «
vrbem Romam, & ad ſedem Apoſtolicam feſtinare deberet, &c.] «
pergitque pluribus vſque ad finem illorum. [Quocirca languidum «
eorum caput Burdinus Hereſiarcha in deſperationis lubrico poſitus, ſpe- «
rans ab ipſo Imperatore tueri, apud Sutrium confugium fecit.] «

Hæc eadem verba Pandulpho atque Incerto communia ſunt, à quo non vnius Alexandri tertij, ſed multorum Pontificum vitæ deſcriptæ fuere.

RESPONSIO.

PANDVLPHVM Calixti ſecundi ætate vixiſſe ſcimus; neque compertum nobis eſt quo tempore eius vitæ Auctor floruerit. Affirmat Vlmus eum ex Pandulpho aliqua deſcripſiſſe: nos id neque inficiari, neque dare poſſumus, qui vtrum Pandulphus ex illo, an ille ex Pandulpho deſcripſerit, ignoramus. Certum tamen eſt id argumenti qualecunque tandem ſit, nullam habere vim ad oſtendendum, ſcriptorem, qui ab alio narrationes exſcribit, eiuſdem æui non eſſe, cùm non rarò contingat, vt ab æqualibus qui priùs aliquanto ſcripſerunt, multa deſumamus. Minus adhuc valet ad probandum, ſcriptorem actorum Alexandri, qui longè diuerſus fuit, eius ætate, maximo interuallo poſteriorem fuiſſe.

VLMVS.

AD hæc animaduertendum exiſtimamus Auctorem incertum quamquam vt plurimum in narrationibus longior eſt ac verboſior, tamen ſæpè deficientibus rebus, quæ illi ab alijs ſcriptoribus ſuppeditantur, breuem ac ieiunum eſſe. Nam, vt de ijs ſolùm Pontificibus agamus qui Alexandrum proximè anteceſſerunt, narrationem rerum geſtarum Honorij ſecundi, quamuis plurima eſſent ſcribenda, in pauca admodum verba confert. De Innocentio ſecundo fusè & pluribus agit. Cæleſtinum ſecundum ſex lineis abſoluit. In Lucio ſecundo itidem breuiſſimus eſt. Neque in Eugenio tertio à breuitate diſcedit, quam mirificè ſectatur in Anaſtaſio. Adrianum, tametſi conſueta ſtyli verboſitate orditur, in eâ tamen non perſiſtit; ſed narrationem abrumpit anno M.CLVI. *vbi reditum Pontificis Romam explicat. [Cum gloria &* «
honore debito remeauit.] Quibus ſtatim ſubijcit Baronius. [Hucuſque «
acta anni huius periodum claudentia;] cùm perſpexiſſet multa in In- «

certo ad inſequentes annos pertinentia deſiderari, quæ ad eius notitiam minimè peruenerant. Nam etſi idem Incertus ſummatim quædam ab
„ *Adriano inſtaurata narrat, vt cùm ait [Hic Pontifex in Eccleſia*
„ *Beati Petri tectum ſancti Proceſſi, quod diſſipatum inuenit, optimè*
„ *reſarcivit,] & alia his ſimilia, quæ ſequuntur; factorum tamen narratione tres poſtremi eiuſdem Pontificis anni* M.CLVII. M.CLVIII. M.CLIX. *carent. Quod ſatis oſtendit omnia eiuſdem Pontificis facta illi nota haudquaquam fuiſſe. Quod ſi Alexandri, vt fingitur, æqualis eſſet, incredibile videri poteſt, eum trium annorum, qui proximè ipſius Alexandri Pontificatum præceſſerunt, res geſtas ignoraſſe. Cæterum Baronius, vt Adriani vitam abſolueret, neceſſe habuit ab aliis ſcriptoribus res memoratu dignas mutuò accipere. Hactenus igitur apertum eſt, Anonymum à Baronio allatum, multa ex Petro Diacono Caſsinenſi, alia ex Pandulpho, qui apud Baronium à Gelaſio Oſtiarium ſe anno* M.CXVIII. *electum tradit, excripſiſſe.*

RESPONSIO.

EX tanta ſcribendi diuerſitate, támque diſſimili narrandi forma colligere debuiſſet Vlmus non vnum illarum vitarum auctorem fuiſſe; ſed nimirum iam initio in animum induxerat fingere ſibi aduerſarium pro arbitratu, quò deinde in illum incurſaret vehementiùs. Quod ait de vita Adriani, cuius trium videntur annorum deeſſe narrationes, verum eſt in illâ plura deſiderari quæ ad res cum externis tranſactas pertinent, vt Baronius ad annum M.CLV. animaduertit. Nam quæ ad priuatas ſedis Apoſtolicæ narrationes, ſeu rem, vt ita dicam, domeſticam ſpectant, integrè & diligenter vſque ad ipſius Adriani obitum pertexuntur. Hoc autem ſolùm probat id quod vltrò concedimus, Boſonem Camerarium, cui illud propoſitum fuit vt quicquid Romanæ Eccleſiæ hoc tempore comparatum eſſet iuris, id litteris commendaret, in cæteris, quæ præcipui ſui inſtituti non erant, narrandis, multa omittendi licentiam ſibi vſurpaſſe.

VLMVS.

VLMVS.

SVPEREST oſtendendum eum etiam plura ex epiſtolis ipſius Alexandri Papæ deſcripſiſſe; id quod peculiariter de illa conſtat, quam ipſemet Pontifex Gerardo Bononienſi Epiſcopo eiuſque Canonicis miſit. Eius verba nos hîc ſubijciemus, atque è regione Incerti deſcriptionem, ſeu potiùs imitationem, ex quo ſatis planum fiet, eum nequaquam ſcriptorem eſſe primarium, ſed deſcriptorem; ac proinde neque eſſe eius antiquitatis quam illi aſſerere aduerſarij conantur. Nam etiam hac tempeſtate ex Alexandri epiſtolis aliiſque eorum temporum litterarum monumẽtis, ingenioſus quilibet ſcriptor eruere poſſet ea quæ ad illius vitæ hiſtoriam componendam pertineant, iiſque in vnum collectis vitam edere; ſed ipſam Alexandri epiſtolam ſubijciamus, iungamuſque Incerti ſcriptoris verbis, atque vtráque inter ſe conferentes, doceamus nihil clarius eſſe poſſe, quam ab eo Alexandri epiſtolam exſcriptam fuiſſe.

VERBA EPISTOLÆ ALEXANDRI PAPÆ, quæ habetur apud Baronium tom. 12. anno M. CLIX.

PORRO cùm Anteceſſor noſter bonæ memoriæ Anagniæ debitum naturæ ſoluiſſet, eo Romam adducto, & 11. Non. Septembris in Eccleſia Beati Petri præſentibus ferè omnibus Principibus tumulato, cœperunt fratres & nos cum eis, ſecundùm Eccleſiæ conſuetudinem, de ſubſtituendo Pontifice in eâdem Eccleſia ſtudioſius cogitare.

Et tribus diebus de ipſa electione tractãtes, tandem in perſonam noſtram inſufficientem huic oneri, & tantæ dignitatis faſtigio mini-

VERBA AVCTORIS INCERTI QVI EX aduerſa epiſtola didicit quæ ſibi narranda eſſent.

IGITVR ſepulto Adriano Papa, Epiſcopi & Cardinales tractare de ſubſtituendo ſibi Paſtore 11. Non. Septembris in Beati Petri Eccleſia pariter conuenerunt.

Et per trium dierum ſpatium ad inuicem de ipſa electione, ſicut moris eſt, pertractantes, tandem omnes quotquot fuerunt præter

mè congruentem, omnes, quotquot fuerunt, tribus tantùm exceptis, Octauiano ſcilicet, Ioanne de ſancto Martino & Guidone Cremenſe, concorditer atque vnanimiter conuenerunt.

Duo verò Ioannes & Guido quos prænotauimus, tertium Octauianum nominantes, in eius electionem pertinaciter intendebant.

Vnde & Octauianus in tantam veſaniam audaciamque prorupit, quòd mantum, quod nos reluctantes & renitentes, quia noſtram inſufficientiam videbamus, iuxta morem Eccleſiæ, Odo Prior Decanorum induerat, tanquam arreptitius à collo noſtro proprijs manibus violenter excuſſit, & ſecum aſportauit inter tumultuoſos fremitus.

Cæterum cùm quidam de Senatoribus tantum facinus inſpexiſſent, vnus ex eis ſpiritu diuino ſuccenſus, mantum ipſum eripuit de manu ſæuientis.

Ipſe verò ad quemdam Capellanum ſuum qui ad hoc inſtructus venerat & paratus, illicò flammeos oculos fremebundus inflexit, clamans & innuens, vt mantum quem fraudulenter ſecum portauerat, feſtinanter afferret.

Quo vtique ſine mora delato, idem Octauianus abſtracto pileo, & capite inclinato, cunctis fratribus, aut loco inde, aut voluntate remotis, mantum per manus eiuſdem Capellani & cuiuſdam Clerici

Ioannem tituli ſancti Martini, & Guidonem tituli S. Calixti Presbyteros Cardinales, in perſonam iam dicti Rolandi Cancellarij, authore Domino, vnanimiter concordarunt.

Duo autem quos nominauimus, Ioannes & Guido intendentes ad Octauiani electionem, ſecundariò eum procaciter nominarunt.

Vnde Octauianus qui ad Apoſtolicam iamdiu cathedram aſpirauerat, poſt vbi ſe ipſum vidit ſpe conceptâ ſic defraudari, in tantam veſaniam audaciámq; prorupit, quòd mantum ipſum à collo eius proprijs manibus violenter abſtulerit, & ſecum inter tumultuoſos fremitus aſportare tentauerit.

Porrò vnus ex Senatoribus qui aderat, cùm tantum facinus inſpexiſſet, contremuerunt renes eius, & audaciter in ſæuientem inſiliens, mantum ipſum de manibus eius eripuit.

Ipſe verò tactus dolore cordis intrinſecus illicò ad Capellanum ſuum, qui ad hoc inſtructus venerat & paratus, intorſit oculos, clamans ſicut phreneticus, & innuens vt mantum quem ſecum portauerat, celeriter ſibi afferret.

Quo ſine mora delato, quia tunc ſecum ad Cardinales aderat, pileum ſibi abſtraxit, caput inclinauit, & per manum eiuſdem Capellani & alterius Clerici ſui (heu, proh dolor!) mantum impudenter

Clerici ſui ambitioſus aſſumpſit.

Verùm ex diuino iudicio credimus contigiſſe, quod ea pars manti quæ tegere anteriora debuerat, multis videntibus & ridentibus, poſteriora tegebat.

Et cùm ipſe idem hoc emendare ſtudioſiùs voluiſſet, quia Capucium manti extra ſe raptus non poterat inuenire, collo fimbrias circumduxit.

Sicque factum eſt, vt ſicut tortæ mentis erat & intentionis obliquæ, ita ex tranſuerſo & obliquo mantum fuerit in teſtimonium ſuæ damnationis indutus.

impudenter aſſumpſit.

Sed diuino iudicio contigit quod ea pars manti quæ operire anteriora debuerat, videntibus cunctis atque ridentibus, poſteriora tegebat.

Et cùm ipſemet huiuſmodi ludibrium vellet ſtudioſiùs emendare, quia manti Capucium extra ſe raptus non poterat inuenire, inferiores fimbrias collo, ſicut potuit, applicauit.

In hoc igitur manifeſtè comparuit, quod ſicut tortæ mentis erat & intentionis obliquæ, ita mantũ ex tranſuerſo & obliquo in teſtimoniũ ſuæ damnationis acceperit.

Non pergam in teſte tantæ auctoritatis producendo. Illud tantùm dicam, Incertum, qui ab aduerſarijs tanquam primarius auctor nobis proponitur, deprehenſum eſſe Pontificiarum litterarum, & alienarum hiſtoriarum exſcriptorem; ac proinde non illum eſſe, qui ea quæ narrat oculis perſpexerit; ſed partim legerit, partim ab alijs deſcripſerit, partim etiam (quod huiuſmodi ſcriptoribus contingere ſolet) à fallaci vulgi rumore acceperit.

RESPONSIO.

NVLLÆ, vt exiſtimo, hiſtoriæ leges vnquam vetuerunt, ſi ſcriptor aliquam eius, de quo agit, lucubrationem ad manum habeat, modò in rem ſuam faciat, ne illâ vti poſſit. Neque inde aliud effici puto quàm huiuſmodi lucubrationem prius ab auctore emanaſſe, quàm eam in ſuam hiſtoriam vitæ ſcriptor inferret. Quid ergo mirum ſi is qui Alexandri res geſtas anno Pontificatus duodeuigeſimo ſcribere aggreſſus eſt, aliqua ex illius epiſtolis, quæ antea ſcriptæ fuerant deſumpſerit? Meminerit Vlmus eorum quæ paulò ante diximus, eum Alexandri iam inde à Pontificatus initio Camerarium fuiſſe & perfamiliarem.

V L M V S.

NEQVE contra hæc fuit, quod interdum res videatur diligenter ſcribere. Eius enim ſtylus moroſus eſt, non diligens: fucatus, non nitidus, ac Poëtæ magis, quàm hiſtorico accommodatus. Exempli causâ paucis apertè dicere potuerat, Pontificem Veſtâ Apuliæ oppido Iaderam Illyricum traieciſſe: ipſe tamen qui interpoſitarum inſularum ignarus non erat, finxit illum inter nauigandum duas earum præcipuas attigiſſe, in quibus portum cœperit, iactiſque anchoris è triremi in Pelaguſam, quæ prima in mari Adriatico obuia fuit, non leui ignobilis loci honeſtamento exſcendiſſe; atque vt Pontificem numeroſo comitatu inſtructum deduceret, tredecim triremium claſſem deportandis militibus, naualique prœlio aptiorem, quàm vehendo ſancto Pontifici, qui pactis iam ante conuentionibus pacis, negotio vltimam impoſiturus manum veniebat, ex ſuo capite illi attribuit. Sed tamen eundem parum fœlicem antea deſcripſerat, cùm propter difficile atque infeſtum mare, totis bachanalibus ferijs impeditam eius ſolutionem ex Apulia narrauit. Fortunatum verò facit die primo Quadrageſimæ, cum peracto Miſſæ ſacrificio, luſtralibuſque cineribus ſuſceptis, ſedatum mare, cœptamque nauigationem commemorat. Verùm vt illum in Pelaguſam deſcendere cogeret, nouas subortas fingit procellas, quarum causâ terram occupare ſtatuerit. Inde tamen cœnatum, tranquillo mari ſoluiſſe, noctéque atque inſequentis diei dimidio non vltra alteram inſulam quæ Alexia dicitur, progreſſum, vnde pariter cœnatus diſceſſerit: Mox alias Dalmatiæ inſulas præteruectum, Iaderam ſummo manè die Dominica prima Quadrageſimæ, neque maturiùs, neque tardiùs appulisſe tradit. Quæ omnia, aut ſolâ coniecturâ narrantur, aut ſine vlla coniectura finguntur; quemadmodum ab eodem ſcriptore leuiora quædam & minuta, quæ nuſquam contigerunt, deſcribuntur; quarum aliqua & ſi, quod humanis actionibus adiuncta eſſe ſoleant, vera reputari poſſunt; tamen quia illæ non rarò variare cernuntur, fieri potuit, vt nunquam in ijs locum habuerint; id quod de multis verum eſſe ducimus; præcipuè verò fabulam, ac ſomnium ab eo qui primus litteris conſignauit, excogitatum putamus, Pontificem tredecim Siculi Regis triremibus Venetias appuliſſe. Hoc enim non alia de cauſa dicitur, niſi vt mira quædam legenti oblectatio quæratur, dum locus eſt poëticè deſcribendi ingentem nauigiorum numerum ſecundis velis ventiſque aſpirantibus iter habentem. Hæc enim verba in noſtro manuſcripto leguntur.

“ [*Erat delectabile ad videndum ipſum naualem & glorioſum exercitum*

citum ſulcantem groſſum pelagus velis proſperis & propitio vento;] “
at verò in Baronij codice copioſius hæc dicuntur.

[Ita Rex Siciliæ auxit numerum galearum ad decorem Pontificis. “
Erat autem delectabile ad videndum naualem exercitum ſulcantem dor- “
ſum pelagi, velis protenſis proſpero vento.] “

Quibus auctor, vt Lectoris animum permoueat, rem ſtatim ſubijcit quæ tam ſecundam ac proſperam nauigationem turbare videtur,
[cadente enim circa meridiem Auſtro, Boreas ex aduerſo flare, mariſq; tempeſtatem excitare cœpit; ſed circa meridiem ſuperueniente Borea prorſus extinctus eſt Auſter, & illico facta eſt in mari turbatio maxima,] “
& quæ apud illum ſequuntur. Sic prorſus ſe res habet. Incertus Alexandri Papæ nauigationem tanto apparatu, eáque antithetorum varietate narrat, ac ſi Æneæ iter in Italiam deſcriberet, aut res ingenti aliqua admiratione dignas perſequeretur; videtúrque Pontificis greſſus, aſpectus, motus, vigilias, ſomnum, colloquutiones, ſilentium ita exactè obſeruaſſe, ac ſi numerauerit aut metitus ſit; quæ ſi quis artificiosè fuiſſe conficta noſſe velit, facilè ex totius narrationis ſerie quæ longiſſima eſt, maximéque putida, id conſequi poterit, dum in ea multiplicia dierum, menſium, atque annorum errata deprehendet; mirabitúrque vehementer qua ratione is qui nouit Alexandrum peculiariter certa nocte dormiſſe, móxque expergefactum è lectulo ſurrexiſſe, ignorauerit quoto Chriſti Domini anno Pontifex electus fuerit.

RESPONSIO.

QVOD actorum Alexandri ſcriptor compoſito quidem, ſed parum Latino ornatu res illius geſtas perſequutus ſit, rudi atque inerudito quo vixit ſæculo condonari debet. Diligentia, & conatus in eo opere adhibita, ſatis oſtendunt eum ſi in expolitam Oboniani fragmenti ætatem incidiſſet, & latinè, & grauiter, & cultè loquuturum fuiſſe. Verùm iſthæc ad abrogandam dictorum fidem nihil faciunt. Si Vlmus aliud non habet argumentum quo ea reijciat, parum in illo præſidij ad ſuæ cauſæ defenſionem inueniet; nam quæ de anno ſuſcepti ab Alexandro Pontificatus obijcit, paulò ante diluimus.

VLMVS.

HVNC enim ipſum, qui tam enucleatè fingit ſe noſſe dies, non ſolum fugit annus M. CLIX. *quo Alexander ad Pontificatum eſt euectus, quem falsò euectum dixit* M. CLVIII. *ſed etiam tempus cladis, qua Fridericus iuxta Comum affectus eſt; accidit enim anno Alexandri Pontificatus decimo ſexto, & ab Incerto malè reponitur decimo ſeptimo. Neque huic errato ſatis medetur annalium Auctor, dum ait cladem de qua loquimur, in Incerti volumine, quem apud ſe habuit, referri in annum* M.CLXXVI. *eidémque maximam habendam fidem, quòd res geſtas duplici chronologia notauerit; acta enim Alexandri Papæ facta iſta duplici chronologiâ conſignant, nempe Chriſti, atque Pontificis. Quamuis enim annus Chriſti* M. CLXXVI. *à decimo ſeptimo Pontificatus Alexandri non diſcordet; vterque tamen maximè diſcordat à vero cladis tempore; contigit enim anno ſal.* M.CLXXV. *Pontificatus Alexandri decimo ſexto; non anno ſalutis* M.CLXXVI. *& Pontificatus decimo ſeptimo. Si verò noſtrum manuſcriptum conſulamus, neque Incertum tueri poſſumus, vbi cladem ponit anno* M.CLXXV. *& Pontificatus* XVII. *neque ſi conſulamus manuſcriptum Baronij, vbi illam reponit anno* M. CLXXVI. *Pontificatus* XVII. *in noſtro enim ſolum errat in coniunctione anni Pontificatus cum vero anno Chriſti; at in codice Baronij, quamuis annos Chriſti & Pontificatus rectè coniungat, turpiter tamen fallitur; clades enim illata Friderico non eſt anno ſalutis* M.CLXXVI. *Pontificatus Alexandri decimo ſeptimo; ſed ſal.* M. CLXXV. *Pontificatus decimo ſexto, quod pluribus ſuprà oſtendimus. Incertus igitur eo tempore non vixit, quo, quæ ab illo narrantur, geſta ſunt; & quamuis in diebus numerandis, adnotandiſque diligens videatur; quod tamen in annis maximè decipiatur, omnis illi quam aduerſarij ab antiquitate conciliare conati ſunt, auctoritas abrogetur neceſſe eſt.*

RESPONSIO.

NIHIL eſſe facilius, quàm Librariorum incuria mendum in ſcripturam irrepere, vbi præſertim de numerorum notis agitur, optimè norunt quicunque criticam exercent: hi enim ſicubi veterum lucubrationibus corrigendis in numeros inciderunt, in erratorum plerunque latibula incidiſſe ſe arbitrantur. Baronius actorum Alexandri exemplum nactus eſt, ex Nicolai

Aragonij

Aragonij codice deſcriptum; nam ipſum Autographum Cencianum volumen inferiori Sedis Apoſtolicæ tabulario diligentiùs aſſeruatum, quod facilè nunquam potuerit ipſe, qui caſtigatum eius exemplum ſe habere putauit, minimè perquiſiuit. In eo Autographo fatemur ſcriptum legi, Fridericum ad Comum à Mediolanenſibus fuſum eſſe anno ſal. M.CLXXV. Pontificatus Alexandri XVI. quod Baronius Librarij errore deceptus, poſuit anno M.CLXXVI. Alexandri Pontificatus XVII. Nihil tamen eſt, quod propterea Vlmus magnum aliquid ſe obtinuiſſe exiſtimet; nam cum proſperâ Mediolanenſium pugnâ anni M.CLXXV. optimè ſtat ingentes Friderici ſpiritus planè concidiſſe: Prælatos ac Principes Germaniæ apertè illi denunciaſſe bellum cum Deo, non cum hominibus geri; proinde ſe tanti piaculi participes impoſterum eſſe nolle: milites tot cladibus fermè deletos: hoſtibus vires augeri: à populis religione deterritis auxilia neutiquam ſuppeditatum iri: omnes intelligere Alexandrum verum Chriſti Vicarium immeritò tamdiu vexari: Fridericum his maximè permotum de pace, omni depoſitâ ſimulatione, ſeriò cogitaſſe. Quod ſi à pugna vſque ad Alexandri Pontificis iter Venetias ſeſquiannus interceſſit, mirandum non eſt, id temporis, in rerum quas tum Imperator à Pontifice iure poſtulare poſſet, quaſve eidem concedere deberet, cognitione inſumptum, tum in itinere Legatorum Cæſaris ad Pontificem, tum in Anagninis eorumdem apud Alexandrum de pace diſputationibus & decretis: prætereà in illorum regreſſu ad Cæſarem, in legatione Humbaldi, & Raynerij Cardinalium ad Fridericum, vt iureiurando publicam fidem pro ijs qui Pontificiarum erant partium, ab eo acciperent: denique in tranſmiſſione Pontificij Nuncij Anagniâ Panormum: tùm vt Vvihelmus Rex de ijs quæ à Pontifice, cum Cæſaris legatis acta fuerant, doceretur: tùm, vt duos in Lombardiam Oratores deſtinaret, qui ipſius nomine pacis conuentionibus intereſſent. Neque à veri ſimilitudine abeſt (quod in arduis huiuſmodi negotijs contingere plerumque ſolet) miſſos ſæpe fuiſſe vltrò citróque Nuncios ac litteras, vt difficultates vel antea propoſitæ, vel recens ſubortæ expedirentur. Scimus autem leuiſſimæ rei occurſum non rarò impedimento eſſe, quominùs grauiſſima negocia, de quibus antea conſtitutum erat, celeriter perficiantur. Quod verò Vlmus ab Auctore actorum Alexandri ait malè coniungi annum decimum ſeptimum Pontificatus cum anno ſalutis M.CLXXV. id quidem meliùs in Librario, quàm in illo reprehendat; nam, vt

in ſuo manuſcripto videri poteſt, Fridericus quintùm in Italiam venit die XXIX. Septembris anno M.CLXXIII. Alexãdri Pontificatus XV. decimo verò Kal. Aprilis Indictione X. Pontificatus XVIII. Alexander Venetias ſe contulit, atque die XX. Septembris anni M.CLXXVII. ſui Pontificatus annum duodeuigeſimum expleuit. Ineat rationem per otium, & ex ijs quæ actorum ſcriptor de Alexandri annis notauit, videbit, annum ſalutis M.CLXXV. Librario, non illi XVII. Pontificatus fuiſſe.

V L M V S.

SED, vt aliorum errorum examen perſequamur, aperta in illo repugnantia deprehenditur, quæ in noſtro, & Baronij manuſcripto eadem eſt. Vtrobique enim narratur Fridericum Ticini circa finem Iunij exercitum ex Germania, vt auctis viribus cum Lombardis iterum decertaret, expectaſſe: [Circa finem menſis Iunij, dum Fridericus expectaret in conſtituto termino exercitum;] ſed paulò poſt ſubijcit, primo Sabbato eiuſdem menſis à Mediolanenſibus alijſque Mediolano egreſſis fuſum, fuga ſibi conſulere coactum, qui dies fuit pugnæ, quam nos ſuprà oſtendimus contigiſſe anno M. CLXXV.

[Sed Mediolanenſes, vbi aduentum celerantis aduerſarij certiſſimè cognouerunt, non expectarunt alias ciuitates; ſed cum Placentinis & Centurionibus electorum militum de Verona, de Brixia, Nouaria, & Vercellis exierunt, extra Mediolanum in primo Sabbato menſis Iunij, cũ Caroccio ſuo. &c.] & poſt hæc verba, ipſius pugnæ narratio ſubiicitur. Hic Incerti error ſimilis eſt Sigonij errori, atque procul dubiò apertiſſimus, quòd pugnantia complectatur; nam à primo Iunij Sabbato, eiuſdem menſis finem anteuerti neceſſe eſt, niſi quis fortè dicat, eo anno duos menſes Iunios continuatos fuiſſe. Pugnat etiam Incertus cum antiquis ſcriptoribus; nam Gotifredus Monachus qui illis viuebat temporibus, ait, Philippum Colonienſem Archiepiſcopum ex Germania menſe Maio cum exercitu rediſſe. Expectauit igitur Fridericus exercitum menſibus Aprilis & Maij eiuſdem aduentum præcedentibus, cùm ante ab Alexandrinis prælio victus fuerit menſe Aprili, vt idem Gotifredus narrat. A quo tempore exercitum expectauit, qui Maio deinde nondum elapſo peruenit? Neque incerti Auctoris error excuſari poteſt, qui duobus in exemplis cernitur: multominùs emendari, cùm valde inter ſe differant voces Maij & Iunij, vt vna loco alterius per incuriam excidiſſe dicatur. Verùm ad illud tuendum, atque ad tempora, quæ ſubuertit, ordinanda, dici poteſt ſcripſiſſe, à Friderico exercitum ex-

pectatum

peccatum eſſe circa finem menſis Iunij, & Mediolanenſes aduersùs ipſum caſtra mouiſſe primo Sabbato menſis Iulij: hoc enim nullam in temporum ſerie reprehenſionem patitur, & leuis vnius litteræ N in L mutatio per oſcitantiam Librarij facilè committi potuit. Verùm, ſi hæc dicamus, maius abſurdum ſequitur: nam Friderici pugna maturiùs ponitur, quàm reuerà fuerit; vt enim Robertus antiquus auctor teſtatur, ipsâ Pentecoſtes hebdomadâ, cuius ſolennis dies eo anno M. CLXXV. *in primam Iunij incidit, pugnatum eſt; neque is dies feſtus quantumuis ſerò redeat, vltra Iunij dimidium ferri poteſt, aut vllo vnquam tempore Iulium attingere. Relinquitur ergo, Incertum manifeſti erroris conuictum, longè ab eorum factorum ætate abfuiſſe, quæ, quo tempore, quo-ve modo acciderint, ignorauit.*

RESPONSIO.

EQVIDEM non putabam ſcriptorem actorum Alexandri adeò tardum, ac ſtipitem ab Vlmo exiſtimari, vt crederetur ignorare, primum Sabbatum menſis Iunij in ſerie temporum ante eiuſdem menſis extremum numerari. Quis non videt Librarij hoc eſſe erratum, Iunij pro Iulij ſcribentis; atque Vlmum, qui huiuſmodi nugis lectorem detinet, eius patientiâ nimium abuti? At Gottiffredus Monachus (inquit Vlmus) Philippum Colonienſem Archiepiſcopum menſe Majo ex Germania cum exercitu veniſſe ait: ego vero Monacho Boſonem Cardinalem oppono, qui vno poſt menſe veniſſe affirmat. Vtrius tandem auctoritas maior erit? nam quod ex Roberto addit, ipsâ Pentecoſtes hebdomadâ pugnatum fuiſſe, dico Robertum nulla in eo dignum fide videri, quod ſcripſerit à Friderico acceptã ad Comũ cladẽ M. CLXXVII. hoc eſt duobus poſtquam reuerà accepta eſt, annis; qui enim à vero tempore (quantumuis illum Vlmus excuſare conetur) duobus aberrauit annis, mirum non eſt ſi paucis aberrauerit diebus.

VLMVS.

NEC leuiter peccat, dum epiſtolæ quam Alexander Papa Angliæ Epiſcopis aliiſque Prælatis miſit, oppoſita loquitur. Is enim ait, die 21. Iulij *Venetiis, Friderici* Imperatoris *nomine, pacem iuratam fuiſſe à filio Marchionis Alberti, alioque Imperatoris Camerario.* Incertus *verò narrat iuraſſe Dedonem filium C. Marchionis; qua in re aduerſatur & ficto Romualdo, qui hunc non Dedonem, ſed Henricum Comitem de Dieſſa appellat.*

RESPONSIO.

HVIVSMODI obiectum commodiore loco, cùm de Romualdo agetur, explicabimus.

VLMVS.

PRÆTEREA, aut ipſe, aut Sigonius fallitur; hic enim ait ſtatutum fuiſſe, vt Pontifex Bononiam, Fridericus Mutinam concederet; ille verò narrat, Fridericum,non Mutinam, ſed forum Cornelij ſibi delegiſſe.

RESPONSIO.

INSTITVTVM meum hoc loco non eſt,ſcriptorem actorum Alexandri cum Sigonio, aut alijs hiſtoricis conciliare; ſed ab Vlmi obtrectationibus defendere. Sigonium qui Alexandro quadringentis annis poſterior eſt, ſicuti ab illius ætatis ſcriptore diſcrepauerit, hallucinatum fuiſſe, quod humanum eſt, aut à poſterioribus in errorem inductum, facilè credam.

VLMVS.

ADhæc vbi Pontifex Veſtam ad mare Adriaticum peruenit, Incertus ait inibi ſeptem Siculi Regis triremes præſto fuiſſe: Hîc tamen interrogare velim, ſi ſeptem fuere, quomodo poſtea tredecim euaſerunt?

RESPONSIO.

MIRAM rem & factu difficilem interrogat Vlmus, quî, cùm prius triremes, quæ Alexandrum Veſtæ præſtolabantur, ſeptem eſſent, tredecim poſtea euaſerint. Ne miretur. Quatuor poſtea ſummiſſæ ſunt, quibus aliæ duæ onerariæ, annonæ albiſque equis conuehendis adiectæ. Id quidem ex actis videre potuit; ſed cauillandi ſtudium huiuſcemodi obiectionum materiam præbet.

VLMVS.

VLMVS.

SVBIICIT, *Pontificem nauigare cœpiſſe die nona Martij, cum Sigonius diem nauigationis dicat vigeſimum tertium Februarij. Incertus ait prima Dominica Quadrageſimæ, hoc eſt die decima tertia Martij Pontificem Iaderæ fuiſſe, vbi, vt narrat, celebri equitatu deducebatur: Sigonius verò cum Venetijs fuiſſe in ſancti Marci templo ſacris ſolemniter operantem. Si igitur Venetijs in ſancti Marci ſacrificium offert, quî Iaderæ eques circumducitur? deinde* Incertus *ait, Pontificem Ferraria Venetias repetiiſſe die nona Maij: Sigonius verò, exeunte Maio. Atqui, menſem nunquam exeuntem dicimus, niſi ſaltem eius dimidium ſit elapſum.*

RESPONSIO.

PAVLÒ ante dixi, me nihil laborare, vt acta Alexandri cum Sigonio cohæreant.

VLMVS.

PRÆTER *hæc idem Incertus narrat Venetiarum Ciuitatem, vt locum tranſigendo pacis negocio aptum, dum Pontifex Ferrariæ moraretur delectam fuiſſe.* Iam *quæro, quorſum igitur Pontifex Venetias prius appulit? Augetur dubitandi ratio; nam idem auctor ait, conuentum prius fuiſſe, dum Pontifex adhuc Anagniæ eſſet, vt ipſe Bononiam, Fridericus verò forum Cornelij ſe conferret.*

[*Diu eſt* [*Pontificem Venetijs ita loquentem inducit,*] *quod mediantibus Fratribus noſtris* Imperator *conuenit, vt ipſe in* Imola, *& nos in Bononia debeamus pariter conuenire;*] *ſed cùm Papa, vt Bononiam accederet, iter Corum verſus intendere deberet, Cæciam, Veſtam petens, longius ab ea centum paſſuum millibus digreditur. Quænam obſecro eſt* Pontificij *itineris ratio, vt Anagnia Bononiam contendat? Niſi fallor, inſtituendum erat Anagniâ Narniam inde Aretium: hinc Florentiam: denique Bononiam, quod terra commodiſſimum & breuiſſimum erat: Ex aduerſo tamen itur Anagnia Beneuentum, Troiam, Sipontum, ad montem Garganum, Veſtam ad mare Adriaticum; deinde ipſum mare traiicitur: viſuntur inſulæ* Pelaguſia *& Alexia: hinc* Iadera: *legitur non ſine magno periculo ora Dalmatiæ atque Iſtriæ: demum Venetias acceditur, vt ex ciuitate Anagniæ*

Bononia petatur. Quid ex his aliud conficitur, quàm Pontificem Friderici ſibi infenſiſſimi hominis metu (vt meliùs Obo animaduertit) non Bononiam rurſùs properaſſe, quemadmodum inter ipſos conuenerat, ſed in regiones tutiores ſe recepiſſe? atque id cauſæ fuit, cur ad mare fugeret, indeque Iaderam nauigaret: denique Venetias alieno veſtitu ſe conferret. Ibi celebri pompa, vt aduerſarij fingunt, nequaquam receptus eſt; (nam, & Veſta Romualdo Salernitano, atque Rogerio Comiti, quod in tanto periculo nemini fidendum arbitraretur, cælauerat ſe;) ſed aliquot diebus obſcurus, quod ſuo careret comitatu, delituit, quod & Incertus confirmat, dum ait, Siponto Bononiam ſex Cardinales quos apud ſe detinebat, præmiſſos fuiſſe, atque ad eos dimittendos,
„ ſuis aliorumque equis vſum; [Sex de fratribus ſuis Cardinalibus, à
„ Siponto vſque Bononiam, cum ſuis, & aliorum fratrum equitans præ-
„ miſerat.] Sine comitatu igitur Pontifex remanſerat; atque argumenti vis contra Incertum non elanguit? Si ſtatutum eſt, vt Pontifex Anagniâ Bononiam veniat, cur ipſe tanto incommodo Venetias petit? Equidem nihil habeo quod reſpondeam, niſi illum fugâ ſibi conſulere. Id enim ex aduerſarijs ipſis colligitur, qui tam deuium, atque aberrans Alexandri iter commemorant.

RESPONSIO.

ADVERSARII argumentum, Pontificis in eo itinere conſilij explicationem petit, cuius nos rationem haud grauatè in præſentia reddemus. Alexander Pontifex, qui non minus pietatis ac religionis, quàm prudentiæ laude excelluit, Friderici mores, atque ingenium diuturno vſu, aſſiduáque illatarum ab eo iniuriarum patientiâ edoctus, optimè perſpecta habuit. Inter cætera, quorum iure de illo ſuſpicionem conceperat, conſtantia erat, & fides. Nam Mediolanenſium ciuitatem contra promiſſi obligationem deuaſtauerat: Alexandrinos falſæ pacis ſimulatione in exitij periculum adduxerat: Pontificios vanâ concordiæ ſpe non ſemel deluſerat. Ad hæc meminerat Alexander, quæ Paſchalis II. non ante multos annos in Baſilica Principis Apoſtolorum à periuro Imperatore Henrico paſſus eſſet; neque memoria exciderat, Fridericum iracundiâ inflammatum ſacramento confirmaſſe, ſe nunquam cum ipſo in gratiam rediturum: prætereà ſecùm reputabat, Latium, & finitima vrbi loca Pſeudo-Pontificis factioni obnoxia, Etruriam, ac Picenum Cæſareis armis iamdiu occupata ſibi in Lombardiam commeanti haud ſatis tutum ab inſidijs

inſidijs iter præbitura. Quid faceret? eò, & publica vtilitas ſtabiliendæ pacis, & promiſſi fides vocabant; contra verò periculi inſidiarum, quod omninò ſubeundum fuiſſet, metus reuocabat. Hunc Gordij nodum ſapientiſſimus ſenex ita diſſoluit. Partim terra per Apuliam amici, & vectigalis Regis Prouinciæ: partim mari eiuſdem Regis claſſe, aſcitis in comitatu duobus Proceribus illius legatis, confecto itinere, hoſtium conatus, ac fraudes, ſi quæ paratæ erant, eluſit. Hoc conſilio Alexander longo ſanè diuerticulo Venetias petijt, vnde poſtea Bononiam ad condictum colloquij locum proficiſceretur. In tam tuto atque honeſto itinere, quem locum habere potuerit veſtis mutatio, quem fuga & latibula, omnes vident.

V L M V S.

SED, vt alios Incerti errores perſequamur, non leuiter in hiſtorico munere deliquiſſe videtur cùm ignorauit quiſnam proprius Venetiarum ea tempeſtate Prælatus eſſet; erat enim proculdubiò Epiſcopus, cuius ab eo, ac ſi nuſpiam eſſet, nulla ſit mentio. Hoc autem ſuſpicionem inducit illum ignoraſſe, vtrum Venetiæ tunc Epiſcopo, an Patriarchæ parêrent. Dum verò Patriarcham nominat, nunquam ait Gradenſem fuiſſe, illúmque cum Aquileienſi confundit. Alia Incerti errata diſputationibus quæ ſequuntur, à nobis detegentur. Quæ hactenus breuiter adnotauimus leuis quædam delineatio atque adumbratio erit multorum pugnantium atque à veriſimili abhorrentium, quæ nullo ſatis firmo nituntur fundamento: ſimul oſtendent anonymum auctorem Alexandro ætate poſteriorem, multarum rerum nullam certam nactum eſſe notitiam; atque in ijs narrandis coniectorem potius, quam hiſtoricum egiſſe.

RESPONSIO.

SI mentionem non facere alicuius rei eſt illam ignorare; multa ignorauit Obo, multa Vlmus, quæ ignorare non debuerant. Quo iure obſtrictus erat Auctor actorum Alexandri, Venetum Epiſcopum nominare, quem nec ſuorum præcipui vllibi nominaſſe reperiuntur? Quod verò addit de Patriarcha Gradenſi, & Aquileienſi, refutare melius nequeo, quàm vt dicam eum Alexandri acta non ſatis attentè legiſſe, vbi non ſemel duos eſſe dilucidè oſtenditur.

VLMVS.

Sed incertus auctor poſt Lombardorum victoriam quædam de pace breuiter tranſacta narrat, quæ vno aut altero colloquio abſolui poterant; ex quibus tamen id commodi exiſtit, quod Fridericus, neque Pontificem, neque vllum ex eius fœderatis à ſe offenſum iri adhibita ſponſione ſatisdedit. Sed ſi hæc ſtatim poſt pugnam acta ſunt, cùm ea primo Iunij Sabbato anni M.CLXXV. *vt ſuprà demonſtrauimus, commiſſa fuerit, annus* M.CLXXVI. *nihil omniũ rerum geſtarum narratione vacat. Neque credibile videtur integrum fermè biennium, antequam pax ſtabiliretur, arma penitus ceſſauiſſe. Accedit quod noſter Incerti manuſcriptus codex pugnã ad Comum reponit anno* M.CLXXV. *ſtatimque poſt illam de pace agi cœptum narrat. Hæc autem quæ tunc de pace agebantur in annum inſequentem reijcere nemo iure poteſt; cùm Incertus poſt eam pugnam ab omni annorum, menſium, ac dierum enumeratione abſtineat vſque ad annum Pontificatus Alexandri duodeuigeſimum, quem in meo volumine eumdem facit, atque annum Domini* M.CLXXVI. *apud Baroniũ verò iungit cũ anno* M.CLXXVII. *Hæc ſi ita ſe habent,* I*ncertus totum fermè biennium ſilentio traducit: imo extra rem digreſſus, bellum ab Emanuele Conſtantinopolitano* I*mperatore in oriente ſuſceptum commemorat, Pontifice interim in maris littore ab anno* M. CLXXV. *vſque ad annum* M.CLXXVII. *relicto. Cæterum rerum per hæc tempora geſtarum ſeriem ita pertexit. Pontificem primò Sipontum ducit, vnde ab eo ſex Cardinales Bononiam tranſmiſſos affirmat. His ſtatim ſubijcit victoriam de Emanuele in Oriente reportatam: mox quæ de pace agitata ſunt, & dolorem quo ea de cauſa Pſeudo-Pontifex eſt affectus; atque iterum quæ de pace ſunt acta commemorat: deinde oblitus, Pontificem Siponti à ſe relictum, eum Anagniæ morantem facit, qua ex ciuitate ait miſſos ab eo Mutinam duos Cardinales ad Cæſarem, vt ea quæ de pace, tum à Pontifice, tum à Germanis Prælatis propoſita, atque expenſa fuerant, ad exitum perducerent: quę omnia cum alijs quę ijs adnectuntur falſa planè, & commentitia ſunt.* I*n ſingulis tamen narrandis mirum eſt temporum ſilentium, cuius ſolùm mentionem facit, dum tandem narrat, Alexandrum anno ſui Pontificatus duodeuigeſimo, menſe Martio Venetias appuliſſe; quod verum eſt, contigitque anno* M. CLXXVII. *Ex quibus ſequitur ſi noſtro manuſcripto fidimus, in quo congruenter veritati pugnam iuxta Comum* Incertus *ponit anno* M. CLXXV. *eum res toto duorum ſupra viginti menſium ſpatio geſtas in ſua hiſtoria præterire;*

præterire; nam inter eam pugnam atque Pontificis aduentum Venetias nullam medij temporis narrationem apud Incertum *reperimus; ſed ſi permittamus (quod tamen concedendum non eſt) pugnam accidiſſe anno* M.CLXXVI. *adhuc in* Incerto, *decem menſium narrationes deſiderantur, quo vitio etiam Sigonius laborat; neque eius rei cauſa eſt, quod poſt Comenſem pugnam vſque ad Pontificis nauigationem Venetias, nihil memoratu dignum acciderit; ſed quia ab aduerſarijs ſilentur ea, quæ narrat Obo tum anno* M.CLXXVI. *de irruptionibus Friderici in Etruriam, atque in Apuliam Tarentum vſque; quibus addit adornationem naualis belli ipſius Friderici aduerſus Emanuelem Græcorum* Imperatorem, *tum anno* M.CLXXVII. *de prælio à Ziano Duce contra Othonem Friderici filium commiſſo, déque eiuſdem Othonis capti deductione, atque de Laudonis quarti Pſeudo-Pontificis electione, aliaque non pauca, quæ & ſi ab aduerſarijs prætermittuntur, non tamen ex eo fit vera non eſſe, vt ab Obone anni* M. CLXXVI. & MCLXXVII. *narrantur; immò id nobis ipſi aduerſarij beneficij contulerunt, quod ea prætereuntes, geſta tamen fuiſſe minimè negant; tantumque planè temporis hiſtoriâ vacuum relinquunt, quantum ad amuſſim ipſis Obonianis narrationibus ſuppleri queat.*

RESPONSIO.

SATIVS eſt (quod actorum Alexandri ſcriptori ſolemne eſſe video) quando res memoriâ dignæ deficiunt, pauca narrare, quàm ad celebris oſtentationem hiſtoriæ falſa iuxta & vera congerere. Fridericus fractis viribus, quâ milite deſtitutus, quâ Principibus Germanis tam pernicioſi belli diuturnitate defeſſis, componendis rebus in ſpeciem ſaltem intentus, nihil moliebatur quod nouam diſcordiarum ac belli materiem præbere videretur; ac proinde nihil mirum, ſi pacem mox ſequuturam induciarum ritu, interpoſita ſuâ ſponte ab armis quies præceſſit. De ijs, quæ in Alexandri actis deſiderari ait, ſupra ſatis reſpondimus; quo loco ea enumerauimus in quæ ſeſquianni tempus inſumptum eſt. Habeat igitur ſibi Vlmus Obonis fabulas: nos commentitiarum narrationum ſupplemento non indigemus. Cætera quæ hîc adduntur, quod ad cauillationes ſpectant, miſſa facimus.

VLMVS.

TOT à nobis allatis argumentis aliud eo maioris momenti accedit, quod ex ipſius Friderici Cæſaris, & Chriſtiani Moguntini eius Ducis diplomatibus erutum eſt. Inter fragmenta rerum memorabilium Firmanæ ciuitatis, legitur illam à Chriſtiano Moguntino Archiepiſcopo Friderici Cancellario, menſe Septembri, anno M.CLXXVI. *occupatam, direptam, atque incenſam fuiſſe; idque colligi etiam tradunt ex priuilegijs à Friderico, & Chriſtiano eidē conceſsis anno* M.CLXXVIII.
„ *[Imperante Friderico Barbaroſſa, Dux exercitus illius, & Cancella-*
„ *rius Chriſtianus Archiepiſcopus Moguntinus venit in Italiam, vbi*
„ *multas varijs calamitatibus affecit ciuitates, ipſamque Firmanam vr-*
„ *bem menſe Septembri, anno Domini* M.CLXXVI. *occupauit, & vi-*
„ *ctori exercitui ſuo deſtruendam, ac penitus comburendam tradidit.]*
Idem colligitur ex priuilegio ipſius Friderici conceſſo huic vrbi, anno Domini M.CLXXVIII. *& ex priuilegio ipſius Chriſtiani Archiepiſcopi. Hinc liquet quàm falsò Incertus cæterique aduerſarij affirment, Fridericum, vbi ad Comum menſe Iunio fuſus eſt, ſtatim de pace ineunda cogitaſſe; nam quæ ab* (*bone dicuntur, Cæſarearum litterarum teſtimonio confirmātur, dum dicitur, menſe Septēbri, anno* M.CLXXVI. *à Chriſtiano Firmanam ciuitatem direptam atque incenſam fuiſſe. Vtrùm hæc pacis ſint, an continuati belli indicia, iudicent qui legunt.*

RESPONSIO.

DVo ſunt priuilegia à Chriſtiano Archiepiſcopo Moguntino anno Domini Incarnationis M.CLXXVII. Firmanis conceſſa, quæ diligenter in eius ciuitatis tabulario aſſeruantur. Vtriuſque apud me ſunt exempla, publici Tabellionis manu deſcripta, ſignóque communita. In altero corroſæ ac penitùs obliteratæ ſunt menſis notæ: alterum datum liquet tertio non. Ianuarij. In neutro mentio reperitur, quonam tempore ab eodem Moguntino ea ciuitas diruta fuerit, cùm tamen dirutam fuiſſe conſtet. Quod laudatum fragmentum ait ex Moguntini diplomatis colligi, eam deuaſtatam fuiſſe anno ſal. M.CLXXVI. id verò ego, qui ea vidi, conſtanter pernego. Præterea, his exceptis, nullum Firmani oſtendunt priuilegium ab Imperatore conceſſum. Fides igitur eius rei erit pænes auctorem, qui fragmentum illud conſcripſit. Is, vt errauit, dum vnius tantùm à Moguntino priui-

legij

legij meminit, & fortaſſe, dum eorum alterum Imperatoris eſſe credidit; ita errare potuit, dum ait ciuitatem dirutam fuiſſe anno Domini M.CLXXVI. menſe Septembri; niſi dicamus eum de anno ab Incarnatione, non de anno à Natiuitate fuiſſe loquutum; nam ſi intelligat annum ab Incarnatione M.CLXXVI. erit à Natiuitate M.CLXXV. quo tempore quamuis Fridericus à Pontificis & Lombardorum inſectatione abſtinuiſſet; tamen à ſimilitudine veri non abhorret, peculiares hoſtes, à quibus anteà extra communem fœderatorum cauſam ſe offenſum exiſtimabat, vexare non ſtatim deſtitiſſe; quamquam nihil obeſt, Imperatore de pace cum Pontifice facienda cogitante, eius Ducem, Pontificiæ ditionis ciuitates vi cepiſſe; vel vt idem ad commodiores conditiones compelleretur; vel vt prædâ militum inopia ſuſtentaretur.

VLMVS.

SED Baronius ſine ratione loquitur; facit enim apud Incertum *inchoari annum* M.CLXXVII. *antequam ille dicat effluxiſſe* M.CLXXV. *nimiſque multa omittuntur dum à vera prælij narratione anno* M.CLXXV. *& conſequuta ſtatim pacis tractatione tranſitus ſit ad annum* M.CLXXVII. *neque id in hiſtorico tolerandum videtur. Alius præterea in Incerto eſt error; nam in eadem Pontificis Anagnina commoratione, cuius ipſe bis mentionem facit, variè loquitur; primò enim ait, ab eo ſubminiſtratis equis ſex Cardinales Bononiam miſſos; vbi tamen de ea iterum loquitur, duos ſolùm ad Cæſarem profectos narrat; ſed demus duos ad certum aliquod munus, alios verò ſex ad aliud deſtinatos; in priori tamen narratione ſeptem reperiuntur triremes: in poſteriori terdecim, quod eſt variè admodum & repugnanter loqui; itaut dicere fas ſit, aut Incertum valde obliuioſum fuiſſe qui eorum quæ ſola interiecta pagina narrauit, non meminerit; aut illud opuſculum non vnius parentis fœtum eſſe.*

RESPONSIO.

BARONIVS, qui ſcriptoris actorum verba refert, nihil peccat; neque ſcriptor, qui ſingulos annos enumerare non recepit, contra veritatem peccare dicendus eſt, ſi ſæpe illos prætermittat. Potuit clariùs (fateor) potuit diſtinctiùs hiſtoriæ ſeriem pertexere; ſed hæc ſcripta Obonis fortunam nacta non ſunt, vt præcedenti ſæculo, hoc eſt docto, atque erudito naſcerentur. De ijs

quæ omiſſa fuiſſe tam ſæpè Vlmus conqueritur, non ſemel reſpondimus: quod verò addit, Incertum narrare ſex Cardinales Anagnia in Lombardiam à Pontifice præmiſſos, falſum eſt; ait enim ſex miſſos fuiſſe Sipóto, & diuerſo tempore duos Anagnia. De triremium, quæ Vlmo tantùm faceſſerunt negotij numero obiectum ſuprà diluimus.

VLMVS.

SED Incertus apocryphus eam defectionem (Cremonenſium & Dertonatum) antea accidiſſe ſcribit, Pontificique de ea nunciatum (vt codex habet Baronij) apud Vaſtum in mari Adriatico vadum: (vt meus) apud Veſtam. Concedere facilè poſſumus Pontificem, quoad occultus latuit, ea de re nihil reſciuiſſe; ſed primò audiſſe poſtquam publicè agnitus fuit Venetijs, aut poſtquam Ferrariam nauigauit. Tamen cùm diuturnam Veſtæ Pontificis commorationem ſuprà ex ipſius litteris quæ illum eo tempore Anagniæ fuiſſe docent refutauerimus; ſine vlla hæſitatione affirmabimus, Incertum etiam hac in re mentiri, atque Oboni qui ſingula diligenter narrat, auctoreſque eius defectionis nominat, vt in alijs, in quibus ſemper conſtantiſſimus eſt, ita etiam in huius
« *rei explicatione fidem habendam. [Interea prope Dominicam Lætare*
« *nunciatur Dertonates, & Cremonenſes à principibus ordinum præſidij,*
« *quod Imperator Papiæ diſcedens impoſuerat, ſollicitatos defectione à*
« *ſocijs facta ad Friderici partes tranſiſſe.] Accedit codicum Incerti varietas, quorum vnus ait apud Veſtam, alter verò apud Vaſtum in mari Adriatico vadum, & explicare poſſumus huiuſmodi Vaſtum maris Adriatici vadum Venetias eſſe, vbi verè ea primùm Alexandro nunciata ſunt.*

RESPONSIO.

VATICANVM Autographum habet, apud Veſtam: neque aduersùs hæc Vlmus quicquam obiicit præter ſuas atque Obonis fabulas.

VLMVS.

VLMVS.

FABVLÆ etiam loco habemus id quod Incertus ait, Alexandrum Romanorum qui tamen eius imperio ſubiecti erant, metu, Romam ingredi ſuperſediſſe, quid regalia (quæ appellant) aliaque quæ occupauerant, contra ius retinere conarentur; hoc enim eſt multum de Venetæ pacis laude detrahere; perinde quaſi in re maximi momenti quæ inter Pontificem & Romanos ingentium diſcordiarum materia eſſe poterat, nihil ſtatutum fuerit. At verò neque id fuiſſe prætermiſſum oſtendemus tabulis, quæ ab aduerſarijs ſummæ exiſtimantur auctoritatis, & à nobis non omninò reijciuntur. Eæ ſunt pacis conuentiones Anagniæ confectæ, atque à Sigonio contra nos allatæ, in quibus vnum caput eſt, à Romanis eam pacem confirmandam eſſe. [Plerique nobi- "
lium Romanorum & Capitaneorum Campaniæ hanc pacem confirma- "
bunt;] & nos in Elencho eorum qui Venetijs paci interfuere, quinti teſtimonij loco ex vetuſtis annalibus adducto reperimus Leonem de Monumentâ Romanum Principem, in cuius comitatu erant viri duodeuiginti, vt in fine huius operis videre licet. Hic certè non alia de cauſa Venetias adijt niſi vt Romanorum nomine, pacis conuentionibus intereſſet, quorum iura & poſtulata credibile eſt toto temporis ſpatio, quod inter XXV. Martij vſque ad XVI. Octobris (ſeptimeſtre id fuit) interceſſit, excuſſa diligenter atque examinata fuiſſe; ac proinde negandum non eſt, Pontificem recto itinere Romam, cuius erat Dominus, petijſſe; alioqui pax confecta eſſet illo ſuâ præcipuâ ciuitate extorre; quod creditu maximè abſurdum eſt. Quod ſi Friderico infenſo, Pontifex profugus, atque errans fuit, eo placato atque beneuolo, Româ diutiùs abeſſe debuit, cùm in iiſdem Anagninis Tabulis aliud etiam inſertum ſit, vt Pontifex, atque Imperator ſibi mutuo adiumento forent? [Imperator "
& Pontifex ad honorem, & iura Eccleſiæ atque Imperij conſeruanda "
ſe inuicem adiuuabunt;] neque alia de cauſa appendix ait Moguntinum à Cæſare in Romano agro relictum, [Moguntino Archiepiſcopo "
circa partes Vrbis ad Papæ Alexandri obſequium derelicto.]. "

RESPONSIO.

PONTIFEX neque Anagniæ, neque Venetijs pacem cum Romanis fecit; nec tabulæ Anagninæ à Sigonio allatæ id oſtendunt, quarum germana verba hæc ſunt. [Principales etiã de no- "
bilibus Romanis Capitaneis Campaniæ hanc eamdem pacem "

iuramento firmabunt;] non enim de Romanis generatim,atque vniuersè loquuntur: ſed de ijs tántùm Romanis, qui in Hernicis militum ductores erant; hoc eſt, vt ego interpretor de ijs, qui Alexandri partes ſequuti, militum præſidijs, tum ad Pontificis, tum ad illius prouinciæ defenſionem præerant; ab ijs, quod militarem præfecturã gererent, Germani pacem iurari voluerũt; ſed in ijſdem Anagninis tabulis alia verba cõtra Vlmum maximè faciunt, [ſaluo omni iure Romanæ Eccleſiæ aduerſus detentores rerum B. Petri,] quæ planiſſimè oſtendunt in ijs pacis conuentionibus plures non contineri, qui B. Petri (quę appellant, regalia vſurpauerant. Accedit aliud non leuis ad idem probandum coniecturæ à Romualdo notatum, quod Vlmus tanquam verum admittit, Archiepiſcopum Moguntinum cum militibus in agro Romano à Cæſare relictum, vt Pontifici ad debellandos Eccleſię hoſtes præſto eſſet.

ROMVALDI ARCHIEPISCOPI SALERNITANI AVCTORITAS DEFENSA.

VLMVS.

NON minùs facilè oſtendere poſſumus Romualdum auctorem non fuiſſe narrationis quæ illi tribuitur, quàm oſtenderimus falſam eſſe Incerti antiquitatem. Qua in re demonſtranda ſicut plures deteximus errores, qui illum integrarum narrationum ex aliorum hiſtorijs exſcriptorem fuiſſe patefecerunt; ita hoc capite confidimus nos tum teſtimonijs, tum exemplis planè oſtenſuros, ſi ille alter ab alijs hiſtoriam ſuffuratus eſt, hunc alterius perſonam per fraudem induiſſe. Qua in re Incertum fortaſſe à culpa liberare poſſumus, ſi dicamus, eum centonibus confarcinandis intentum, non minus ex ficto Romualdo multa falſa excerpſiſſe, quàm ex chronico Petri Diaconi Caſſinenſis, ex Pandulpho, atque ex Alexandri epiſtolis multa excerpſerit vera. Romualdi porrò non eſſe fragmentum, quod tomo XII. *annalium eius nomine Baronius edidit, nos qui omnia attentè conſiderauimus, ſperamus non magno negotio alijs perſuaſuros. Si enim fæliciter nobiſcum actum eſt, cùm Incerti aduerſarij exemplum offendimus; non minùs fortunatè aliud Pſeudo-Romualdi exemplum præteritis diebus, Illuſtriſſimi atque Excellentiſſimi Equitis Aloyſij Cornelij ſereniſsimi Ducis Religioſiſſimiq; Principis filij beneficio conſequuti ſumus, quod ipſe, vti affirmat, dum apud Catholicum*

Catholicum Regem pro Veneta Republica in Hiſpania Oratorem ageret, à Siculo viro litterato, qui ea tempeſtate regius erat Hiſtoriographus, accepit. Credibile autem eſt hoc exemplum idem, atque Salernitanum eſſe, cùm certum ſit à Siculo in huius eruditiſſimi Senatoris manus perueniſſe, qui cùm Principis filius, atque Cardinalis frater ſit, nec quiſquam à ſereniſsimæ ſuæ Domus religione degenerans, tantæ eſt auctoritatis vt de illius exempli veritate nulla apud quemquam reſidere dubitatio poſſit; id quod ad rem quam tractamus plurimum conducit. Ab integro enim huius auctoris exemplo in multarum rerum cognitionem venimus, quæ ab annalium ſcriptore euulgatæ non ſunt; ac proinde latior aperitur campus in errores animaduertendi, quos niſi totâ perlectâ hiſtoriâ detegere in promptu non fuiſſet.

RESPONSIO.

ROMVALDVS Guarne Archiepiſcopus Salernitanus, is, qui à Vuilhelmo iuniore Siciliæ Rege vnà cum Rogerio Andriæ Comite ad Alexandrum tertium Orator miſſus, Venetijs, Pontificis & Friderici primi reconciliationi, ſui Regis nomine interfuit, Chronicon rerum ab orbe condito geſtarum ad ſua vſque tempora ſcripſit, quod Salernitanum vulgò appellatur. Eius exemplar vetuſtiſſimum Longobardis litterarum notis exaratum, cùm vſque ad annum M. DCXIX. in Salernitana Eccleſia aſſeruatum eſſet, in Bibliothecam tandem Vaticanam, permutatione cum exemplo haud paris antiquitatis factâ, tranſlatum eſt. Huius chronici exempla ad plures emanarunt, ex quibus illud fuit, cuius partem Baronius ſuis annalibus intexuit. Bonum factum. Vlmus antequam Romualdum confutare aggrediatur, ait, ſe gaudere, quod integrum illius exemplum nactus ſit; multa enim ex præcedentibus hauriri, quæ ad redarguenda ſubſequentia facere poſſint. Vtinam aduerſarijs veniſſet in mentem integrum fingere Obonem. Profectò non aliundè quàm ex ipſo, omnium criminationum confutatio petenda fuiſſet; ſed hoc potius optandum erat, quàm ſperandum, cùm Vlmus illum ipſum quem Bardus mutilum dederat, quod videret ſuæ narrationi haudquaquam congruere, adhuc multum detruncauerit.

VLMVS.

DICIMVS igitur in eo manuſcripto de quo agimus, haberi titulum anni M. CLXXVI. menſis Februarij, & indictionis nonæ: nihil tamen referri, quod vel menſe Februario, vel Martio, vel inſequentibus vſque ad Decembrem, quo aduentus Alexandri Pa-
„ pæ Venetias narrari incipit, geſtum ſit. [Anno Dominicæ Incarnatio-
„ nis M.CLXXVI. menſe Februario: indictione nona: Papa autē Alexan-
„ der in Lombardiam iturus ante feſtum Natiuitatis, &c.] Atque hæc eadem ſunt, quæ Baronius ſuis Annalibus inſeruit anno M. CLXXVII. titulo anni M. CLXXVI. prætermiſſo. Cùm ergo totus ferme annus M. CLXXVI. ſine vlla narratione omittatur; non leue hinc ſuboritur indicium, menſe Februario anni M. CLXXVI. Siculam Romualdi hiſtoriam terminari, atque ab aliquo poſterioris æui ſcriptore, qui Venetorum gloriam obſcurare, & Vvilhelmi Siculi Regis ac Romualdi Salernitani laudem amplificare conatus ſit, ea quæ ſequuntur adiecta fuiſſe. Quod vel ex eo patet, quia appendicis ipſius verba cum prioribus minimè continuantur; ſed longo interiecto plurimarum rerum, quæ decem menſium ſpatio contigere, ſilentio ſeparantur. Neque huiuſmodi ſeparatio leuis eſt, quæ tempora ac proinde res ipſas diſiungit. Quâ de causâ credibile non eſt eiuſdem eſſe auctoris hiſtoriam & appendicem.

RESPONSIO.

QVÆRIT Vlmus ſuo iure, cur à menſe Februario anni M. CLXXVI. quem Romualdi notat inſcriptio, vſque ad Decembrem, nullius in illo chronico rei geſtæ narratio reperiatur. Huic interrogationi antequam reſpondeam, aio, Romualdum Pontificis iter, & reliqua Venetijs ab eo geſta quibus ipſe interfuit, narraturum, veluti nouo ſumpto operis exordio, anni ac menſis titulum, à quo tempore ea inchoantur, præpoſuiſſe.
„ [Anno Dominicæ Incarnationis M. CLXXVI. menſe Februa-
„ rij, indictione nonâ. Papa autem Alexander in Lombardiam itu-
„ rus, ante feſtum Natiuitatis, Humbaldum Oſtienſem Epiſco-
„ pum & Raynerium Cardinalem in Lombardiam præmiſit.] Atque illa verba [ante feſtum Natiuitatis] ad illa eſſe referenda [in Lombardiam iturus] non ad alia [Cardinales in Lombardiam præmiſit;] vt ſenſus ſit, Alexandrum qui ante feſtum Natiuitatis anni M. CLXXVI. in Lombardiam ſe iturum receperat, menſe

menſe Februario eiuſdem anni duos Cardinales ad Imperatorem anticipatò præmiſiſſe. Iam vt Vlmi dubitationi ſatisfiat, dico nouem ferè menſium ſpatium duorum Cardinalium legationi ad Cæſarem & Nunciorum tranſmiſſioni in Siciliam ad Vvilhelmum Regem datum; at (inquies) eodem tempore Legati & Nuncij ad diuerſa loca mitti potuere: cur ergo tantùm nectitur moræ, niſi vt Romualdus narratione carere non videatur? ſed fallitur quiſquis ita ratiocinatur; nam Alexander vir prudentiſſimus, antequam à Siciliæ Rege Oratores poſtularet, ſcire voluit, quonam modo Cardinales ab Imperatore excepti fuiſſent, quidve cum illo de publica fide, deque alijs quæ in mandatis habuerant, tranſegiſſent. Vbi autem animaduertit omnia ritè ac rectè procedere, tùm demum ad Vvilhelmum Nuncios deſtinauit. Neque his actorum Alexandri ſcriptor repugnat, qui ſolùm duos Cardinales à Pontifice, antequam Anagniâ diſcederet, ad Imperatorem & à Siculo Rege Oratores ad Pontificem, antequam mari ſeſe committeret, miſſos memorat. Multò minùs obſunt alia verba, quæ paulò inferiùs Romualdus habet. [Papa verò antequam iter arriperet, Nūcios ſuos ad Regem Vvilhelmum in Siciliam miſit, &c.] Non enim, vt malè Vlmus interpretatur, inſtante diſceſſus die id factum fuiſſe ſignificant; ſed quod ad tempus pertinet, indiſtinctè oſtendunt miſſos fuiſſe antequam Alexander ſe in viam daret: quare aduerſarij de adiecta ab alio appendice iudicium ex hoc capite vanum eſt. Accedit quod eloquutio eadem eſt ac in reliqua Chronicorum parte, & codex vtrobique eandem præfert vetuſtatem, iiſdemque Longobardis litteris eſt conſcriptus. Neque eſt quòd quiſquam miretur à ſcriptore actorum Alexandri, atque à Romualdo ea quæ oculis hauſerunt, hoc eſt Pontificis nauigationem Venetias, & ipſius ac Cæſaris reconciliationem diligentiùs atque enucleatiùs, quàm alia quibus minimè interfuere, litteris commendata fuiſſe; ita enim res fert, vt eorum quæ præ manibus habuimus ſingula attributa atque adiuncta accuratè exponere libeat: cætera quæ minimè videmus, leuiùs percurramus.

VLMVS.

SED clementer periodorum inter ſe diſiunctarum culpam in regium Hiſtoricum conferamus: quamquam ignoramus quid cauſæ fuerit, cur ille tanto Lectorum damno iſthæc mutila & manca deſcripſerit. Omittamus prætereà illud perpendere quod non leuem iniÿcit admirationem: cur Baronius in Comenſi Lombardorum pugna, anno M. CLXXV. *aut* M. CLXXVI. *explicanda Romualdo vſus non ſit; id enim perſuadet in aliÿs etiam huius ſcriptoris exemplis eundem hiatum reperiri.*

RESPONSIO.

IN Vaticano volumine, quantumuis Vlmi codex labem ac hiatum fecerit, nihil mancum, nihil hians reperitur. Si Baronius in Lombardorum explicanda pugna Romualdo vſus non eſt, id fecit quia acta Alexandri tantùm illi ſufficiebant materiæ, quantum ſatis erat; nam eius certaminis narrationem in Romualdo non deſiderari videbit lector in noſtro quem exhibuimus.

VLMVS.

ALIA tamen afferemus, quæ diuerſos hiſtoriæ atque additamenti auctores oſtendant: præcipuè verò vbi appendicis ſcriptor dixiſſet, dum Pontifex Siponto Anagniam diſcederet (quod contigiſſe Incertus narrat XIV. *Decēbris* M CLXXVII.) *duos Cardinales diē obiÿſſe, ſtatim ad initium anni* M. CLXXVIII. *gradus fit; applicaturque Lunæ*
« *defectio* XV. *Martÿ, quam Baronius prætermiſit.* [*Anno Dominicæ In-*
« *carnationis* M. CLXXVIII. *Luna paſſa eſt Ecclypſim* XV. *die intrantis*
« *menſis Martÿ in ſigno virginis.*] *quod extra locum turbatâ rerum ſerie narratur; nam quæ præmitti debuerant, poſtponuntur; quarum aliqua feriÿs Bacchanalibus contingerunt, vt Rogerÿ Andriæ Comitis reditus in Apuliam, alia die* XII. *Martÿ ante Quadrageſimæ dimidium, hoc eſt Pontificis reditus in vrbem. Illud tamen mirandum videtur quod in Ecclypſis explicatione, nominato anno* M. CLXXVIII. *iterum auctor ad annum longè anteriorem regreditur, dum ait, anno* M. CLXXVIII. *à Calixto Pſeudo-Pontifice menſe Auguſti ſchiſma eiu-*
« *ratum fuiſſe.* [*Anno Dominicæ Incarnationis* M. CLXXIII. *menſe Au-*
« *guſto* XI. *indictione* IV. *ſtante eiuſdem menſis, videlicet in feſto Decolla-*

tionis

tionis B. Ioannis Baptiſtæ, Ioannes de Struma, qui & à ſuis Calixtus appellatus eſt, reatum ſuum agnoſcens, &c.] Hic tamen ingenuè fatemur, mendum in anni notam Librario excidiſſe, & loco anni M.CLXXIII. *reponendum eſſe* M. CLXXVIII.

RESPONSIO.

SI ab alio præter Vlmum narrationis ordo & rerum diſcendarum diſpoſitio in Romualdo requireretur, ferendum vtique eſſet; ſed ab eo exigi, qui Obonianæ fabulæ defenſionem, tam inuolutè atque implicatè, tamque peruersè tractauit, hoc verò intolerandæ licentiæ eſt. Verùm quotuſquiſque erit tam delicati faſtidij, vt non patiatur hiſtoricum aliquando prætermittere, quæ poſtea geſta ſunt, ne aliarum rerum maioris momenti ſeriem cogatur interrumpere?

VLMVS.

SED illud ſine animaduerſione prætereundum non ducimus; ſuperuacaneam nimirum eſſe eiuſdem anni qui paulò ante nominatus fuerat, repetitionem quæ oſtendat eius voluminis ſcriptorem, qui annum paulò ante expreſſum ignoret, non vnum fuiſſe, ſed plures; quorum alter ecclypſim, alter narrationem tempore perturbato, ac rerum ſerie peruerſa afferat.

RESPONSIO.

DVM Romualdi dictis ſua conſtet fides, libenter Vlmo permittemus, vt quædam in illo reprehendat, quæ inculti ac rudis ſæculi vitia potius fuere, quam hominis.

VLMVS.

IN noſtro præterea exemplo finis reperitur quem Baronius innuit, atque Frangipanius. Quomodo ſe habeat ſcire vehementer cupit; hiſce verbis imperfectè admodum exaratus. [Tertio autem decimo die intrantis menſis Septembris Indictione XII. *ſol in ſigno Virginis circa horam,] quibus ſtatim ſubijcit Librarius [cætera vſque ad finem deſunt.] Qui locus, præter ea quæ deſiderantur, mendoſus eſt; dum pro indictione* XI. *ponitur* XII. *Hoc autem indicat, eas ecclypſes ab aliquo poſte-*

riori aſtronomicarum tabularum ſtudioſo, indictionum tamen ignaro, adiectas fuiſſe.

RESPONSIO.

CVR faciliùs & veriſimiliùs non dicat mendum eſſe in numeralem notam à Librario profectum, vt in ſcriptoribus, qui ſuæ cauſæ fauent, tam indulgenter facere ſolet? cùm præſertim ſciat ex indictione x. qua Romualdus notauit annum M. CLXXVII. effici vt ſequens M. CLXXVIII. vndecima notari debeat.

VLMVS.

SED in hac appendice alios plures detegemus errores. Si autem poſt huiuſmodi hiſtoriæ excuſſionem apertum erit illius artificium, atque impoſtura, qui mendaci narratione Veneti nominis gloriam obſcurare, Siculique Regis ac Romualdi res extollere tentauit; illud fortaſſe conſequetur Obo Rauennas vir ab omni ſtudio odioque remotiſſimus, vt qui candidiſſimè ſcripſerit quemadmodum ex puriſſima eloquutione liquet, candidos etiam lectorum animos reddat; cùmque altera ex parte idem ſtet Obo ſemper ſibi conſtans ac ſtabilis, nunquam antiquis ſcriptoribus, Apoſtolicis, aut Cæſareis litteris repugnans, ſed cum veteribus cuiuſque generis monumentis optimè conſentiens: ex altera verò duo auctores apocryphi alieniſſimis narrationibus referti, quibus neque cum veritate, neque inter ſe ſatis conuenit; fatebuntur optimi quique Lectores, argumenta quibus clandeſtinus Venetias Alexandri Pontificis acceſſus probatur, ſincera & firma eſſe, eadémque ab aduerſariorum inconſtantia mirum in modum roborari.

RESPONSIO.

DE Obonis candore, déque eiuſdem conſtantia, & cum veteribus ſcriptoribus conſenſu, alibi diximus.

VLMVS.

VLMVS.

PRIMVS igitur error aut repugnantia: quam in Pſeudo-Romualdo, ſiue in appendice eidem ſubiecta adnotamus, illa eſt, quod cùm prius dicat duos Cardinales ab Alexandro Anagniâ in Lombardiam paulò ante feſtum Natiuitatis Domini dimiſſos, quo tempore ipſe Anagniâ Beneuentum diſceſſit, ibidem vſque ad diem feſtum Epiphaniæ moraturus, poſteà cùm narrauit eundem Beneuento abyſſe, veniſſeque Troiam & Sipontum, atque inde Veſtam, affirmat ab eo miſſos ad Imperatorem aliquos Cardinales, qui à Chriſtiano Moguntino in Piceno excepti, Rauennam ad Cæſarem deducti ſint. Nam ſi conſideremus vndenam Cardinales fuerint dimiſsi, incertum vitæ Alexandri ſcriptorem habemus, qui eos miſſos ait Siponto, non Veſtâ: ſi autem re ſpiciamus quò iter intenderint, idem Incertus ait Imperatorem ab ijs Mutinæ, non Rauennæ conuentum fuiſſe. Hi igitur ſcriptores pugnantia inter ſe loquuntur.

RESPONSIO.

VLMVS duas Cardinalium dimiſſiones confundit, in quarum priori duo Anagniâ dimiſſi Imperatorem iuxta Mutinam inuenerunt; quod auctor actorum Alexandri teſtatur, neque abnuit Romualdus, qui loci vbi cum Imperatore congreſſi ſunt, non meminit. In poſteriori ſex Siponto dimiſſi Rauennam ad Imperatorem à Chriſtiano Cancellario deducti ſunt, quod teſtatur Romualdus, nec abnuit actorum ſcriptor, qui loci vbi Imperatorem offendêre mentionem prætermiſit. Supereſt difficultas, cur ſi Veſtâ dimiſſi ſunt, vt videtur dicere Romualdus, Siponto ab actorum ſcriptore dimiſſi narrentur? Ea diſſoluitur, ſi dicamus id quod verum eſt; à Romualdo quidem eorum miſſionem narrari, vbi narratum eſt Pontificem Veſtam veniſſe: non tamen eos Veſtâ dimiſſos tradi. Verba ita ſe habent. [De hinc " per Troiam & Sipontum Veſtam venit, & Vvilhelmum Portuenſem Epiſcopum, & Hyacinthum Cardinalem ſanctæ Mariæ de ſchola Græca, & quoſdam alios Cardinales per terram præmiſit.]

V L M V S.

IN appendice præterea narratur aliquid quod fieri nulla ratione poſſe apertiſsimum eſt. Cùm enim initio dixerit. [*Papa autem Alexander in Lombardiam iturus ante feſtum Natiuitatis.*] *repetieritque ibi:* [*Papa verò antequam iter arriperet.*] *quæ de tempore diei Natalis Domini anni* M. CLXXVI. *proximo quo Pontifex Beneuentum mox iturus erat, omnino intelligenda ſunt; docet eo ipſo tempore à Pontifice Anagniâ ad Vvilhelmum Regem in Siciliam (qui procul dubio Panormi ciuitate regia tunc erat) nuncios deſtinatos, vt Oratores ad ſe mitteret, qui ijs quæ de pace tranſigenda erant, ipſius nomine intereſſent: Regem acceptis Pontificis poſtulatis Romualdo Salernum ad mare inferum, & Rogerio Comiti Andriam ad mare ſuperum litteras dediſſe, quibus præciperet, vt compararent ſe, quo honeſtè cum Pontifice in Lombardiam proficiſcerentur. Iam ex his in hunc modum argumentari licet. Fieri non poteſt, vt longinquum Nunciorum Pontificiorum iter Anagniâ Panormum, litterarum Panormo à Rege Andriam ad Rogerium, & Salernum ad Romualdum (loca tanto inter ſe interuallo diſsita, quanta totius Italiæ latitudo eſt) miſsio, atque vtróque regiorum tabellariorum acceſsio: deinde vtrinque duorum Oratorum, vbi compararunt ſe, Anagniam ad Pontificem, & inde cum ipſo verſùs mare Adriaticum profectio, tam breui temporis ſpatio comprehendi potuerint, vt triduum, aut quatriduum non exceſſerint. Si enim hiſtoriæ leges ſeruare velimus, fateri neceſſe eſt, & Siculos Oratores ante acceptas à* Rege *litteras domo non diſceſsiſſe, & Pontificem conueniſſe antequam Anagniâ proficiſceretur. Si enim, vt appendix ait, ipſe de pacis negotio abſque Siculo* Rege *conſenſurus non erat. (Papa enim firmiter in ſuo habebat propoſito nequaquam cum* Imperatore *ſine rege Vvilhelmo pacem facere) Anagniâ ad eam ſtabiliendam diſcedere non debuit, antequam eò regij Oratores quibus cum loqueretur, venirent. Oportuit igitur primò Oratores à* Rege *mandatum accepiſſe, deinde ſe ad Pontificem priuſquã Anagniâ proficiſceretur contuliſſe. Niſi fortè Pontifex (quod nemo dicet) ſe ad eos conferre debuerit. Et quia Pontifex tunc ſolùm Anagniâ diſceſsit, cùm erat in Lombardiam iturus, idque contigit ſub feſtum Natiuitatis Domini ante feſtum Natiuitatis; efficitur tridui, aut quatridui ſpatium ante Domini Natiuitatem fuiſſe, quo vt appendicis auctor tradit, & Nuncij Anagniâ Panormum, & Panormo Salernum atque Andriam proficiſcuntur, & Oratores honorificè comparant ſe, & Anagniam ad Pontificem deducendum veniunt,*

niunt, vt Pontifex cum ijs Beneuentum ad Natalitia Domini feſta celebranda progrediatur; quæ omnia tantum temporis ſpatium requirunt, quantum earum rerum periti propriè iudicare poſſunt; neque credibile eſt, minori quàm bimeſtri interuallo peragi potuiſſe. Ea tamen ipſo quatriduo confecta videntur.

RESPONSIO.

MIRVM eſt quàm citò Vlmi aduerſus veritatem machinationes diſſoluantur. Falſum eſt Nuncios ad Vuilhelmum Regem paucis ante Domini natiuitatem diebus miſſos, quod ſuprà oſtendimus, cùm germanam Romualdi verborum ſententiam afferremus; ſed vt eius argumenti leuitas magis extet, demus Vlmi interpretationem (quod tamen falſum eſt) Romualdi verbis congruere. Nego illum propterea id, quod ſummo conatu nititur, obtinere. Quæ enim Romualdus docet hæc ſunt: Alexandrum antequam Anagniâ diſcederet, Nuncios ad Vuilhelmum Regem miſiſſe, petitum vt aliquos Regni Proceres ad ſe tranſmitteret, qui Legatorum munus obirent, paciſque conuentionibus, vbicumque demum ſtatuerentur, eius nomine intereſſent. Regem verò Romualdo ſecundo Salernitano Archiepiſcopo, & Rogerio Comiti Andriæ per litteras præcepiſſe, vt honeſto cum comitatu Pontificem in Lombardiam proſequerentur, ſuóque nomine ijs quæ de pace cum Imperatore tranſigenda erant, intereſſent. Alexandrum dehinc Anagniâ diſcedentem per Campaniam Beneuentum veniſſe, inde Epiphaniæ feſto celebrato Troiâ, & Siponto Veſtam, & maris Adriatici littus tranſiſſe, vbi commodam nauigationem vnà cum aliquibus Cardinalibus, & Vuilhelmi Regis Legatis expectauit vſque in diem nonum Martij. En Romualdi abſurda: en pugnantia quæ Vlmo iudice loquitur. Vnde habet tam ſeueri ſupercilij cenſor, Alexandrum tribus, aut quatuor ante feſtum Domini Natalis diebus Panormum Nuncios ad Vuilhelmum miſiſſe? Vnde legatos Anagniam veniſſe ante idem feſtum? Difficultatem quam illi ſine cauſa tanti facit, ſic explico. Alexander Anagniâ diſceſſit circa diem decimum quintum Decembris anni M. CLXXVI. Aliquot ante diſceſſum diebus, hoc eſt circa diem octauum eiuſdem menſis, Nuncios in Siciliam miſit. Ab hac die vſque ad nonam Martij anni M. CLXXVII. qua nauigatio cœpta eſt tres integri intercedunt menſes, quibus Nuncij Panormum mitti, dari litteræ à Si-

cilia ad Legatos, illi expedire ſe itineri, Veſtam ad Pontificem venire, ibique aliquot dies nauigandi opportunitatem expectare potuerunt. Si Vlmo hæc ratio non placet, afferat aliquod noti & probati auctoris teſtimonium quo contrarium euincat; nam coniecturæ quibus paginas implere ſolet, quod nullum pondus habeant, facilè difflantur.

VLMVS.

SED maior in Pſeudo-Romualdo reperitur error, qui oſtendit, quàm appendicis auctor longè ab ijs temporibus abfuerit, quorum res narrandas ſuſcepit, quámque ſupinè eas ignorauerit. Cùm enim prius dixiſſet Pontificem Anagniâ profectum Beneuenti à die Natalis Domini vſque ad Epiphaniam fuiſſe, indeque Veſtam tranſiſſe, ſubijcit eum inibi moratum vſque in diem nonam Martij, interclusâ ob maris difficultatem nauigatione; atque hac ratione, ſi appendici credimus, Anagniâ abfuit à die Natalis Domini anni M.CLXXVI. *exeuntis, vſque ad nonam Martij anni* M.CLXXVII. *ſubſequentis, hoc eſt duobus menſibus cum dimidio. At Sigonius diligens tabulariorum, veterumque monumentorum perquiſitor, affirmat ſe Bononiæ legiſſe Breue Apoſtolicum Alexandri datum Anagniæ Canonicis ſancti Saluatoris die vigeſima tertia Ianuarij anno* M.CLXXVII.

„ *[Ita Alexander principio ſequentis anni (hoc eſt* M.CLXXVII.) „ *Anagniâ, vnde decimo Kal. Febr. diplomata data, Bononiæ apud Ca-* „ *nonicos ſancti Saluatoris leguntur, Beneuentum petijt.] Erat igitur Pontifex, quod negari non poteſt, Anagniæ die vigeſima tertia Ianuarij; id quod ex tempore quo litteræ datæ inibi ſunt, oſtenditur. Falſum ergo narrat qui ſe Romualdum Salernitanum fingit, cùm nimis diligenter omnes Pontificis greſſus metitus, ait, eum Anagniâ profectum à die Domini Natali, Beneuenti vſque ad Epiphaniam anni* MCLXXVII. *commoratum, atque inde Troiâ & Siponto Veſtam veniſſe: Veſtæ denique ſubſtitiſſe vſque ad diem nonam Martij, quæ in Feriam quartam Cinerum eo anno incidit. Eius hæc ſunt verba.*

„ *[Alexander igitur Papa ab Anagnia ſe mouens, & per terram Labo-* „ *ris Beneuentum veniens, à feſto Natiuitatis vſque in Epiphaniam* „ *ibidem eſt demoratus: dehinc per Troiam & Sipontum Veſtam venit* „ *&c.] quo ex loco ait ab eo miſſos aliquot Cardinales Legatos ad Cæſarem. Tum ſubijcit quantum temporis Veſtæ moratus ſit.*

„ *[Apud Veſtam vſque in quartam Feriam quando ieiunium inchoa-* „ *batur, nono ſcilicet die intrantis menſis Martij demoratus.] En detectum*

tectum mendacium. Pontifex ſuis litteris teſtatur ſe eſſe Anagniæ. Is qui Romualdi perſonam induit, poëticis figmentis enucleatáque ac minutâ, ſed tamen falsâ diligentiâ contendit fuiſſe Veſtæ, vbi maritimorum fluctuum ſonitum, ventorumque ſtrepitum vnà cum aliis Cardinalibus exciperet; quibus etiam ſe, Rogeriumque Comitem, Legationis ſocium interfuiſſe comminiſcitur, [cùm prænominatis Regis Nuncijs.] «
Romualdus igitur non eſt qui iſthæc ſcribit; ſi enim in eo itinere Comes fuit Pontificis indiuiduus, vt de ſe prædicat, qua ratione ignorare potuit, vbi nam locorum ille eſſet? Dicam amplius. Qua ratione vbi nam ipſemet verſaretur ignorauit?

RESPONSIO.

SIGONIVS hîc diligens ac ſedulus eſt, dum affert aliquid, quod in rem Vlmi eſſe putetur aduersùs Romualdum: cæteroqui, cùm ab Obone diſsidet, hebes ac plumbeus. Si Vlmus intellexiſſet ſe à diplomate de quo Sigonius loquitur, nihil iuuari, eius puto laudationem prætermiſiſſet. Anagniæ quidem datum, impreſſum legitur inter priuilegia Canonicorum Lateranenſium, annumque habet ab Incarnatione Domini M. C L X X V I I. indictionem XI. & annum Pontificatus vndeuigeſimum, quæ reſpondent anno à Natiuitate M. CLXXVIII. non M. CLXXVII. ſed, quantum coniicio, Vlmus ignorauit id quod in Pontificijs diplomatibus vulgare ac tritum eſt, annum ab Incarnatione inchoari poſt tres menſes ab exordio anni à Kal. Ianuarij, vel à Domini Natiuitate, treſque poſt illum menſes finiri. Ignorauit præterea annorum ab Incarnatione numerationem non ab illo ipſo die quo Chriſtus Dominus incarnatus eſt, ſed à primo eiuſdem anniuerſario cœptam eſſe. Quo fit vt annus extremus ab Incarnatione cum prioribus ſubſequentis à Natiuitate menſibus ſemper cohæreat: quod & hîc factum eſt, cùm annum M. CLXXVII. ab Incarnatione Domini, die XXIII. Ianuarij ex indictione ac tempore Pontificatus congruere videmus cum anno à Natiuitate M. CLXXVIII. Conceſſum itaque eſt hoc priuilegium ab Alexandro poſtquam, compoſitis cum Imperatore rebus, Venetijs Anagniam redijt.

VLMVS.

REPVGNAT præterea Pſeudo-Romualdus non ſolùm litteris Apoſtolicis, ſed etiam Imperatoriſ ipſius epiſtolis, quarum vna à Sigonio in publicis tabularijs inſpecta, data legitur Venetijs die decima-ſeptima Septembris. Neque verò exiſtimandum eſt illum Venetijs ſtatim eodem die à ſcripta epiſtola profectum: falſus tamen Romualdus Fridericum die decima-tertia eiuſdem menſis Venetijs diſceſſiſſe ſcribit. Iam quatriduò Venetijs abeſſe, & Venetijs commorari, litteraſque ibidem conſcribere, duo ſunt quæ ſe mutuò perimunt, falſitatiſque atque ignorationis eum conuincunt, qui contra quàm litteræ loquuntur, aliquid ſcriptis mandauerit.

RESPONSIO.

VLMVS, quantum video, Romualdi verba non ſatis conſiderauit. [Interea dum Imperator per totum menſem Au-
» guſti, & aliquam partem Septembris eſſet Venetijs demoratus,
» acceptâ à Papa licentiâ, tertio-decimo die eiuſdem menſis à Ve-
» netijs recedens Rauennam venit.] Illud enim [die decimâ-tertiâ Septembris] optimè reſpicere poteſt tempus veniæ diſcedendi per Imperatorem à Pontifice petitæ, nec reſpicere cogitur tempus diſceſſus. Sententia itaque erit: Imperator poſt obtentam die XIII. Septembris à Pontifice diſcedendi facultatem, poſtea diſceſſit. Geminam loquendi formam habet idem author, cùm ait:
» [Eâ autem die quartâ Auguſti Nuncij Regis, acceptâ à Papa &
» Imperatore licentiâ, cum galeis ad Monaſterium ſancti Nicolai,
» quod dicitur ad littus, peruenerũt.] Cùm ergo ex Romualdo non conſtet de die diſceſſus Imperatoris; neque ex eodem conſtare poterit eum die XVII. Septembris, qua litteræ ſcriptæ ſunt, Venetijs abfuiſſe. Quamquam ſi quis dicat Librarij culpâ pro die XXIII. cùm fortaſſe Imperator Venetijs diſceſſit, leui mutatione poſitum fuiſſe XIII. non magnoperè repugnauero.

VLMVS.

VLMVS.

QVARTVM, haud ſcio vtrum errorem an calumniam dixerim; qui enim ſe Romualdum fingit, Venetorum famæ maculam aſpergere conatus, affirmat Venetos aliquos ex populo, dum Imperator Clodiæ eſſet, ipſum adiſſe, hortatoſque vt Venetias abſque Pontificis venia ſe conferret, eumque id facturum fuiſſe niſi Siculi Regis Legati, quorum erat alter Romualdus, quâ auctoritate, quà minis Duci intentatis, id conſilij diſcuſſiſſent. Pro comperto habeo hoc turpe eſſe mendacium à Veneti nominis hoſtibus euulgatum, cuius famam in Alexandri & Friderici pacificatione obſcurare, contra verò Siciliæ Regis gloriam in maius augere tentarunt, cùm callidè operam dedêre, vt illi omnis confectæ pacis laus tribueretur. Sed Venetorum ingenuæ pietatis teſtem habeo locupletiſſimum Alexandrum ipſum Pontificem, qui apud Dandulum in epiſtola ad Iaderenſem Archiepiſcopum, qua illum Gradenſi Patriarchæ ſubijcit, affirmat Venetam Ciuitatem Catholicæ conſenſionis ſemper amantiſsimam fuiſſe, patuiſſeque veluti aſylum Epiſcopis alijſque Prælatis, qui turbulentis ſchiſmatis temporibus ſuas deſerentes ſedes, eò ex Lombardia, Ethruria, Piceno confugiebant: adijcitque credibile eſſe eum non latere quanto Veneti adiumento atque honori ſedi Apoſtolicæ fuerint.

[Venetia in vnitate Catholica laudabilis ſtetit, & fuit ciuitas re- «
fugij Epiſcopis & alijs Eccleſiarum Prælatis qui de Lombardia, Thu- «
ſcia, & Marchia à ſedibus proprijs inſtante ſchiſmate illuc diuertere «
voluerunt. In reformatione quoque Eccleſiæ & imperij qualiter ſedem «
Apoſtolicam adiuuerint & honorauerint ad tuam eredimus notitiam «
perueniſſe.] Commendat Alexander Venetorum conſtantiam, & re- «
peritur obtrectator, qui illis hanc adimere gloriam, eáque Siciliæ Regem ornare velit. Cui nam maior habenda eſt fides: an apocrypho libello pluribus erroribus referto: an verò epiſtolæ illius Pontificis, qui eam in ſe recipiendo, exornandóque beneuolentiam, quam litteris teſtatam reliquit, expertus eſt? ſed & alia extat apud Rogerium Anglum eiuſdem Alexandri epiſtola duobus Anglis Epiſcopis miſſa, qua Friderici Venetias aduentum perſequitur. In ea, dum ſchiſmatis finem exponit, narrátque Friderici iuſſu Venetijs coram ſe Alberti Marchionis filium & Cæſaris Camerarium die XXI. Iulij (qua in re conſentit Obo) pacem iuraſſe, ſubijcit ipſum Fridericum die XXIV. ad ſanctum Nicolaum in littore veniſſe: quò quamquam Obo eum perueniſſe ait die XXIII. id tamen de veſpertino illius diei tempore intelligendum eſt.

Pontifex autem cùm diem XXIV. *nominauit, ad eum reſpexit, quò ex*
„ *condicto Cæſar venturus erat, vt ex illis verbis patet* [*ſicut tractatum*
„ *fuerat, & diſpoſitum;*] *at Obo eum expoſuit, quo Imperator anticipato aduentu acceſsit veſperi diei* XXIII. *atque ita tam ab Obone, quàm à Pontifice dicitur die* XXIV. *bene manè eò Cardinales illum à Cenſuris exolutum veniſſe, eoque ipſo die Fridericum vnà cum comitatu Venetias ingreſſum, vbi ante ſancti Marci Templum ad Pontificis pedes ſe abiecerit, vt Obo fuſius, Alexander verò preſsiùs narrat: deinde poſtridie, qui dies fuit ſancto Iacobo ſacer, Pontificem in eodem ſancti Marci templo ſolemni ceremonia ſacrum feciſſe, aliáque adduntur, quæ tum apud Obonem, tum apud alios legere eſt, quæque à Pontifice omiſſa minimè ſunt. Vt ergo Pſeudo-Romualdi mendacium planè detegamus, prætereundum non eſt, eum in ſuo volumine, diei quo Fridericus Clodiam appulit, non meminiſſe; cuius tamen Obo meminit, qui omnia probè nouit, atque fuiſſe die* XXI. *Iulij, & ſanè vero admodum ſimile eſt vt quo die eum Venetias duo Germani Proceres pacem iuraturi præcedebant, eodem ipſe appropinquaret, quo celerius poſtea præſens eandem confirmaret. Atque hac ipſa de cauſa Obo tradit Petrum Zianum Sebaſtiani Ducis filium ei ad Volane Padi oſtium occurriſſe, celebrique pompâ Clodiam deduxiſſe. Ex quibus prudens Lector elicere poterit Cæſaris aduentum Clodiam veſpertinum fuiſſe; aliter enim per tempus à Petro Ziano in occurſu atque deductione inſumptum minimè licuit. Subdit ergo Pontifex eodem die, duos Cæſaris Proceres ſacramento interpoſito pollicitos eſſe Cæſarem promiſſa ſeruaturum; quos (quantumuis Pſeudo-Romualdus deblateret) certum eſt idcirco Venetias pacis conuentiones iuratum veniſſe, quia Fridericus à filio inductus eos Volane, antequam Clodiam veniret præmiſerat. Iam verò ſi die* XXI. *Friderici Oratores eius nomine Venetijs pacem iurant, eodemque die Cæſar tam egregia publici ſuorum Oratorum iuriſiurandi ſponſione Clodiam appellit, quodnam tempus medium interijci potuit, quo Venetijs turbæ in populo excitarentur? itaut, quemadmodum pſeudo-Romualdus ait, aliqui Duci referrent, Imperatorem dudum Clodiæ expectando feſſum ingenti aëris calore, pulicibus, culicibus, muſcis, infeſtum habere domicilium, eaque de cauſa operam dederint, vt contra Ducis iuſiurandum abſque Pontificis venia Venetias introduceretur. Dicere hoc loco prætermittimus haſce turbas cùm in infimâ plebeculâ, cui ſemper plurimi ex peregrinis admixti fuere, concitæ ſint, auctores facilè habuiſſe Germanos, aut ſaltem aduenas Cæſari obnoxios. Omittimus etiam (quod fabulæ ſcriptor fatetur) à Duce ac Senatu, quibus mirum in modum diſplicuerant, ſedatas fuiſſe, publicóque Edicto vetitum, ne quis de Cæſaris admiſſione*

admiſſione ſine Pontificis conſenſu Venetias verba faceret, commentum tamen manifeſti mendacij conuictum dabimus. Cùm igitur Pontifex grauiſſimâ epiſtolâ tam perfidum mendacium reijciat, quippe qui candidiſſimè narrat die XXI. *Iulij, quo tempore fortaſſe Cæſar nondum Clodiam traiecerat, omnia ſumma conſenſione, prout deliberatum fuerat, tranſacta, cùm eodem die Cæſaris Oratores pacem iureiurando firmaſſent; quomodo pſeudo-Romualdus nobis imponat, ſomnietque Imperatorem tot difficultatibus Clodiæ circumuentum detineri? Sanè* XII. *Kal. inſtantis menſis, ita Pontifex loquitur.* [*De mandato cariſſimi in Chriſto filij noſtri Friderici, &c. Filius Marchionis Alberti & Camerarius ipſius* Imperatoris, *&c. præſtiterunt tactis ſacroſanctis Euangelijs iuramentum, quod poſtquam idem Imperator veniret Venetias &c. pacem Eccleſiæ &c. in anima ſua & etiam à* Principibus *ſuis faceret &c. iuramento firmari.*] *Si igitur pax die* XXI. Iulij *iuramento pacta erat, quid cauſæ ſupererat cur* Imperatoris *aduentus Venetias differetur? Deinde quis credibile ducat, Fridericum antequam Clodiam veniret, ignoraſſe quot demum dies eo hoſpitio vſurus eſſet? Neque verò propinquus Imperatoris ad* Pontificem *acceſſus interdicta progreſſione vllam habuiſſet vtilitatem, cùm neque decori ratio, neque magnorum* Principum *conſuetudo obtineat, vt aliquò proficiſcantur, niſi prius optimè nouerint quo loco res ſint, quidve deinceps conſequuturum iudicetur. Idcircò Fridericus die* XXI. Iulij *Clodiam venit, certus ſe & inibi nonniſi vno die duabuſque noctibus immoraturum, & die* XXIII. *apud ſanctum Nicolaum in littore, demum* XXIV. *Venetijs exceptum iri; ita enim ex condicto prius vtrimque ſtatutum fuerat; quod ſatis apertè ſignificat* Pontifex *dum ait.* [*Nono verò Kal. Auguſti (hoc eſt die* XXIV. *Iulij) Præfatus Imperator, ſicut tractatum fuerat, & diſpoſitum, venit ad Eccleſiam B. Nicolai.*] *Si igitur tractatum, & diſpoſitum fuerat, vt* Imperator *die* XXIV. *quemadmodum explicauimus in littore eſſet, quid illi dubitandum erat ne Clodiæ detineretur? Ad hæc, quando ſingula iam antea decreta fuerant, ſi die* XXIV. *Venetijs futurus erat, quorſum populares eidem addicti ob moram quæ nulla erat tumultus excitaſſent? Accedit quod quindecim milliariorum interuallum, quo Clodia Venetijs abeſt, non patitur vt tam breui tempore tumultus auctores Venetijs eò ire, ibi ad Cæſarem admitti, cum illo hac ipſa de re per otium tranſigere, Venetias regredi, multitudinem plebis ſibi conciliare potuerint. Nam tumultus coram libero* Principe, *atque in libera Ciuitate, in qua neque Imperator, neque Siculi Regis Legati præſcribere poterant, quomodo Veneti cum* Pontifice *quem ſemper maximopere coluerant ſe gerere deberent, non ſine certiſſimo ſupplicij periculo concitari poterant. Non ergo loci diſtantia, aut*

temporis quo Fridericus, prout inter Oratores conuenerat, Venetias venturus erat, ſcientia vllo modo permittunt, vt tam apertæ falſitati fides habeatur. Detecta igitur ſunt mendacia: etiam pulices, ac muſcæ quæ ſordido atque inquinato ſtylo Imperatori moleſtæ eſſe Clodiæ fingebantur, læſæ Maieſtatis falsò inſimulantur. Contra verò integra Obonis eminet fides, Venetique Ducis & Senatus, ac Populi innocentia illuſtris eſt, quorum pietatem & fortitudinem in ſe contra inſtructiſſimam Cæſaris claſſem propugnando Alexander egregia Apoſtolicarum litterarum teſtificatione aduerſus obtrectatores eſt remuneratus; ſed vt huiuſmodi mendacium penitus profligetur, dicendum eſt, neque verum, neque verò ſimile eſſe, Ducem aliquando iureiurando promiſiſſe, ſe non permiſſurum, vt Fridericus Venetias accederet; primo quia cum ſingula tempora réſque ijs temporibus prouidè multo ante conſtituta fuerint, omne Ducis iuramentum, quo ea tollerentur ſuperuacaneum fuiſſet.

RESPONSIO.

HIC Vlmus omnes exerit ſuæ eloquentiæ vires, vt oſtendat Venetorum gloriæ falsò atque iniuria à Romualdo notam inuri; ſed illam quâ ratione diluat, adhuc non video. Dilueret ſanè, ſi id quod Obo ait, verum eſſe oſtenderet, Fridericum ante diem XXI. Iulij Clodiam non veniſſe; cùm enim Venetias appulerit die XXIV. eiuſdem menſis, ex temporis anguſtiis colligeretur eiuſmodi ſeditioni ac turbæ locum non fuiſſe. Verùm cùm id neque argumentis, neque vllo idoneo teſte probetur, nos qui Romualdi auctoritatem magnifacimus, concedere nequaquam poſſumus; neque his aduerſantur Alexandri litteræ, quibus teſtatur Venetias, non ſine ingenti commendatione Catholicorum partibus conſtanter adhæſiſſe, & perfugij ciuitatem fuiſſe ijs qui à Friderici inſectatione in totum ſe recipere volebant. Nam & ea populi coniuratio ad pleroſque non pertinuit, vt paulò poſt edicto ſedata impedimento non fuit quominùs omnia quorum causâ Pontifex & Imperator conuenerant pacatè ac tranquillè peragerentur. Multò minùs vrget aliud quod à Pontifice dicitur, Fridericum Venetias veniſſe, quemadmodum anteà conſtitutum fuerat; nam tunc conſtitutum intelligit, cùm Imperator Clodiæ Veneti tumultus ſpe fruſtratus, Pontificijs Legatis aures præbuit.

VLMVS.

DEINDE quia appendix refert eo tempore à Duce Venetijs iuratum, quò ipſe Ferrariæ Pontifici aderat: præterea à Pontifice ait duos Cardinales Venetias miſſos [vt à Duce & populo Venetiæ ſecuritatem reciperent, &c.] Ducem autem plurimoſque Senatores Ferrariam cum Pontifice petijſſe, non ſolùm Obo, ſed etiam Blondus & Sigonius tradiderunt; at ſi hoc verum eſt, Cardinales Ducem quæſiſſent vbi non erat, cùm Ferrariâ vbi aderat diſceſſiſſent.

RESPONSIO.

SI Vlmus memor eſſet eorum quæ de Gottifredo & Sigonio dixerat, nimirùm ex recentiorum ſcriptis veteres auctores corrigendos non eſſe, ſed contrà ex veteribus recentiores; non obtruderet nobis Blondum, & Sigonium, vt ſcriptorem actorum Alexandri, & Romualdum antiquos hiſtoricos redargueret. Zianum Ducem Ferrariæ cum Pontifice non fuiſſe colligimus præterea ex publicis tabulis eodem tempore Ferrariæ confectis, quas alibi dedimus.

VLMVS.

NEQVE verò difficile erit oſtendere Romualdum huiuſmodi narrationum ſcriptorem non fuiſſe, ſed eas additamenti loco eidem ab alijs appoſitas. Sciunt enim qui in re hiſtorica verſati ſunt, non deeſſe ſæpe plures, qui non modò hiſtoriæ, ſed etiam eloquentiæ, prudentiæque laudem affectantes, tam in ſuis, quàm in alienis narrationibus ſermones qui nunquam habiti ſunt, intexunt, ac perſonas inter ſe mutuò colloquentes fingunt, quæ ijs de rebus nunquam egerunt, interloquutoribus non aliâ de causâ adhibitis, niſi vt (quod ſimplici narratione facere ſe poſſe diffidunt) dictis fidem aut abrogent aut adiiciant; iiſque vtuntur ſuarum animi perturbationum, rerumque quas intendunt conſequendarum adminiſtris, qui ſi viuerent, ſcriptori mendacium apertè exprobrarent. Huiuſmodi mendaciorum non exiguum numerum exempli causâ in medium afferre poſſemus, niſi lectorum, quos huius diſceptationis, quæ veritatis ſolùm gratiâ fit, iudices delegimus, tædium vitare conſilium eſſet. Geminum tamen appendicis Romualdi detegemus commentum apud Petrum Caſſinenſem Diaconum; libro enim

quarto chronici quem ipſe Leoni Oſtienſi adiecit, inſertum ab alio eſt caput decimum ſupracenteſimum apocryphum, quod quatuor aut ſex alia eiuſdem farinæ conſequuntur, quæ diſceptationem complectuntur coram Lothario imperatore habitã a Gerardo & Guidone Cardinalibus, qui poſtea ambo Pontifices fuere, vnà cum alijs Sedis Apoſtolicæ nomine. Pro *Caßinenſi verò Eccleſia ab Henrico Duce,* Imperatoris *Genero, alijſque Ducibus &* Proceribus *amplificatur latè diſputatio, nouarum perſonarum introductione, quæ variè ſubſequentibus capitulis loqui finguntur, atque omnia tam enucleatè ac diligenter referuntur, vt primo (quod aiunt) aſpectu ita planè vti narrantur geſta fuiſſe exiſtimentur; cùm tamen* Petrus *Caſsinenſis, non dicam, non viderit, aut ſcripſerit, ſed ne ſomniauerit quidem. Nos hîc aliquam eius diſputationis partem dabimus, interim lector, Cardinalis Baronij aliorúmque eruditißimorum hominum de ea iudicium præſtolabitur, quod infrà afferemus.*

LIBER QVARTVS

CHRONICI CASSINENSIS.

Quomodo Gerardus Cardinalis pro parte Sedis Apoſtolicæ diſceptare cœpit contra Abbatem & Monachos coram Imperatore, ipſo tamen Monachorum partem defendente.

CAPVT CX.

IN *nomine Domini, & Saluatoris noſtri* IESV-CHRISTI*, anno ab* Incarnatione *eius* M.CXXXVIII. *indictione primâ, ſeptimo* Idus *Iulij, anno Imperij D. Lotharij Cæſaris ſeptimo: reſidente eodem inuictiſsimo Principe ad aquas Penſiles: conſedente etiam Peregrino Patriarchâ Aquileienſi, cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus quampluribus, cauſidicus pro Romana Eccleſia directus eſt Gerardus Cardinalis titulo S. Crucis, & Guido Cardinalis, qui ambo poſteà Romani fuere Pontifices: Aimericus Cancellarius, & Diaconus Cardinalis Preſbyter, Balduinus Cardinalis, qui poſt Piſanus Archiepiſcopus fuit, & Robertus Clareuallenſis Abbas, & alij plurimi Romanæ vrbis nobiles; ex parte Caßinenſis Eccleſiæ auditores fuere Henricus Dux*

Dux Imperatoris Gener, Conradus Dux, qui poſt Imperij ſceptra tenuit: Otho Imperatoris conſobrinus, Fridericus Marchio Anconitanus, Malaſpina Marchio Liguriæ, Henricus Epiſcopus Ratiſponenſis, Hanno Epiſcopus Baſilienſis, Hanno Abbas Luneburgenſis, Galfridus Paladinus Romani Imperij iudex. Facto itaque ſilentio, Imperator dixit. [Non modò præſentium & temporalium, verùm futurarum æternarúmque rerum in hoc conuentu diſcuſsio erit, &c.] «
Deinde Conradus Dux ab Imperatore defenſor datus, inquit. [Copia «
Imperialium verborum me fecit fandi inopem, &c.] Poſt hæc eligitur Gerardus Cardinalis ſanctæ Crucis, qui pro Romana, & Petrus Diaconus, qui pro Caſsinenſi reſponderet Eccleſia, &c. & alia ibi fusè explicata, quæ ſi hùc transferrentur nimiùm lectori moleſtiæ afferrent: tota autem diſputatio habetur apud eumdem ſcriptorem impreſſ. Pariſijs anno M.DC.III. *& ſanè, quò ſingula magis enucleatè narrantur, eò maiorem conciliare ſibi videtur fidem, qui ea Petri volumini inſeruit; cùm præſertim ita naturâ comparatum ſit, vt homines bene morati, quemadmodum falſa pro veris vt alijs venditent nunquam adducuntur, ita fabulas ac mendacia ab alijs narrata, à veritate abhorrere minimè ſuſpicari poſsint. Sed lectorem ad impreſſum volumen interim ablegantes, confirmamus id quod à Baronio anteà dictum eſt, totam eam diſputationem fabuloſam eſſe, neque vnquam à Petro Caſsinenſi conſcriptam. Intexta tamen circumfertur eius operi ſummæ alioqui auctoritatis, niſi illam aliquâ ex parte tam alienæ fabulæ additio imminueret, in qua non ſolùm fingitur idem Petrus narrator, ſed etiam colloquutor, & diſceptator cum Lothario Imperatore aduersùs Cardinales; cùm tamen iſthæc ne diuinando quidem vnquam ſuſpicatus ſit. Quamquam autem huius fabulæ materies multùm ab ea differt, quam in Romualdi appendice præ manibus habemus; quippe quæ, & perſonas diuerſas, & tempora annum* M.CLXXVII. *antecedentia complectatur, vtráque tamen fictio in eo conſentit quod hîc Petrus, ibi verò Romualdus ea loqui & ſcribere traduntur, quæ ipſis in mentem venire nunquam potuerant; ſed Baronij verba afferamus; quódque ipſe de ficto Petro Caſsinenſi Diacono affirmat, idem de Pſeudo-Romualdo vnuſquiſque aptiſsimè dictum putet.*

[Cuius acta [Caſsinenſis Diaconi] de diſputatione Cardinalium «
cum ipſo Petro coram Lothario Imperatore ab aliquo pro arbitrio conti- «
nuata, cùm multipliciter arguantur falſitatis, indigna putamus quæ «
Annalibus intexantur. Ita Deus mentienti reſiſtit, vt quamuis vafer «
& callidus ſit qui orditur telam mendacij, eius obſcuret velut faſcina- «

« tio intellectum, ut videre non ſinat, quæ alijs ſunt perſpicua, ut ſic
« inde poſsit redargui falſitatis :] nec magnâ difficultate oſtendit idem
Baronius Petrum Caſsinenſem eorum mendaciorum auctorem non fuiſ-
ſe; cùm ea & falſitatis conuincat, & alterius ſcriptoris fœtum eſſe pro-
bet, id quod nos ſtatim de Pſeudo-Romualdo præſtabimus. Interim ne-
ceſſe fuit impoſturam quæ in Petri Caſsinenſis Diaconi libro reperitur,
præmittere, ut lectores, cùm perſpexerint quibus artibus (quod nun-
quam arbitrati eſſent) falſum pro vero in probatis auctoribus interſe-
ratur; idem factum fuiſſe credant in eo cui nos adiecta mendacia pro-
bare contendimus. Matthæus Lauretus Abbas Hiſpanus Baronij ver-
bis excitatus, in Petro Diacono mendacis additamenti fraudem depre-
hendit; cùm enim eius manuſcriptum codicem in Caſsinenſi Bibliotheca
attentiùs conſideraſſet, diuerſas cognouit litterarum notas in ijs quæ à
falſario adiecta ſunt, atque in ijs quæ ab ipſo Diacono ſunt conſcripta.
Dum ergo Lauretus eâ de re Baronij iudicium ipſis eius verbis refert,
quid ipſemet ſentiat in notis ad Caſsinenſe chronicon ita ſcriptũ reliquit.
« [Hûc uſque Cardinalis Baronius, qui in conſequentibus plures craſ-
« ſos errores quibus acta illa (mendacia & ſuppoſita ſcripta) referta ſunt,
« demonſtrat. Mihi certè, cùm primùm ea legi, fateor diſplicuiſſe, cùm
« autem iterùm ac denuò perlegiſſem attentiùs, & vniuerſa quæ in eis
« tractantur maturiùs conſideraſſem, manibus pedibúſque in ſententiam
« conſenſi Cardinalis Baronij : iudicauíque à quopiam prorsùs indocto,
« & penitùs otioſo pro animi arbitrio, ſeu potiùs abſque alio arbitrio fuiſ-
« ſe conficta & concinnata.] Falſæ igitur hiſtoriæ reperiuntur antiquis
atque optimis ſcriptoribus à temerarijs hominibus per fraudem inſertæ,
neque omnes libros qui titulum præferunt auctoris, rerum & temporum
de quibus agit, æqualis, certum eſt nihil complecti, quod illius non ſit,
« cùm aliud ſit dicere exempli causâ. [Romualdus anno M.CLXXVII.
« erat inter viuos] & aliud [Romualdus ſcripſit Alexandrum Pontifi-
« cem Venetias tredecim Siculi Regis triremibus delatum veniſſe;] fieri
enim poteſt ut eo tempore viueret, ſed fieri etiam poteſt ut nullam vn-
quam ſcripſerit hiſtoriam. Nec ſi eam ſcripſit, quæ de rebus Siculis illi
tribuitur, conſequens propterea eſt, ut quæcumque in volumine ipſius
nomine inſcripto continentur ea omnia ab ipſo, vel dictata, vel con-
ſcripta fuerint. Nam impoſtores minimè deſunt, qui ſcripta, ſcriptoréſ-
que vitiant ac deprauant : res quæ nuſpiam extiterunt, oonfingunt,
mendacia nundinantur ijs, ut habeatur fides bouorum ſcriptorum lu-
cubrationibus intermiſcent; quemadmodum Petro Caſsinenſi Diacono,
duorum noſtræ ætatis magni nominis ſcriptorum teſtimonio accidiſſe do-
cuimus. Geminam eſſe Petri Diaconi & Romualdi impoſturam oſten-
dent

dent errores, & quos hactenus attigimus, & quos deinceps in medium afferemus; cùm vero-ſimile non ſit, Archiepiſcopum qui rebus interfuit Pontificis atque Imperatoris, pugnantia loquutum; cùm enim ipſi dicũt ſe eſſe alicubi, is eos alibi fuiſſe narrat; pręter alia plura in eo opere, quę ſcriptorem haud quaquam Romualdum eſſe indicant, vt nos gradatim in conſequentibus aperiemus.

RESPONSIO.

TOT Vlmi verbis breuiter reſpondeo, eum nihil efficere, niſi probet, quod recepit, in Romualdi chronico ab aliquo poſteriori ſcriptore illarum rerum ignaro, narrationes ſuppoſitas fuiſſe: id quod adhuc non probauit.

VLMVS.

QVINTVS igitur cuiuſcumque tandem ſit, error numeratur perſonæ quę Cęſaris nomine pacem iurauit, ignoratio. Neque enim hac in re cuiquam fas eſt ab Alexandri Pontificis *litteris diſcedere qui ait iuratam à duobus* Principibus *Cæſaris nomine & periculo, hoc eſt à filio Marchionis Alberti, & ab Imperatoris Camerario: Appendix verò tradit ſolùm iuraſſe Henricum Comitem de Dieſſa nomine Imperatoris, & Colonienſis nomine Principum. Nam quamuis demus Comitem de Dieſſa Alberti Marchionis (quod tamen ignoramus) filium fuiſſe; adhuc tamen ab appendice ſiletur ſocius Camerarius Cæſaris, eiuſque loco ſupponitur Colonienſis Archiepiſcopi Capellanus, ab alijs omnibus, & præſertim à Pontifice prætermiſſus, qui nomine Principum Imperij iuſiurandum præſtitiſſe dicitur. Vtque omnia bellè ſe habeant, repugnat etiam appendix Incerto, qui apertè ait, eum, qui pacem iurauit non fuiſſe Henricum, quem diximus fortaſſe filium Alberti Marchionis; ſed Dedonem, aut Dedum filium C. Marchionis, quem nos Conradum interpretamur, cum Alberti nomen littera C quam ipſe ponit, non prænotetur. Quo loco duos à Baronio allatos ſcriptores, & pugnantia inter ſe loqui, & quod grauiùs eſt, Pontifici aduerſa narrare palam eſt.*

RESPONSIO.

SI ea, quæ tùm ab Alexandro tertio, tùm à Romualdo, atque auctore actorum dicuntur, attentiùs inter ſe conferantur, repugnantia quàm Vlmus obijcit facilè conciliatur; nam primò Pontificis litteræ à Romualdo non diſſident, quod fieri potuerit vt Henricus Comes de Dieſſa Alberti Marchionis filius fuerit, & quod vtrobique Germanorum Principum nomine ab alio iuratum ſit. Neque perturbare quemquam debet, quod Romualdus Imperatoris Camerarium prætermiſerit; eum enim ſolùm nominaſſe ſatis habuit, cui ab Imperatore præcipuum iurandi munus demandatum eſt. Prætereà in eo conueniunt litteræ & acta Alexandri, quod Camerarium Imperatoris iuraſſe affirmant. Super eſt quærendum, quomodo concilientur ſcriptor actorum Alexandri & Romualdus; quorum alter ait iuraſſe Dedonem Comitem filium C. Marchionis: alter verò Henricum Comitem de Dieſſa. In actis Alexandri, vbi mentio incidit Henrici Comitis de Dieſſa, aliquando habetur [Comes Henricus Dedes,] vel Dedens] interdum verò [Comes Dedo;] ſic prorſus, vt Comes Henricus Dedes, vel Dedens, & Comes Dedo vnus idémque ſit. Neque id vno, aut altero actorum exemplo animaduerti; ſed in octo voluminibus quos ſummâ diligentiâ perlegi. Verùm quia Vlmus eorum fortaſſe teſtimonium reijciet, dabimus aliud quod proculdubiò admittet, hominis Germani qui quod vſpiam eſt Pontificiarum rerum maximoperè auerſatur. Is Melchior eſt Goldaſtus damnatus auctor, qui in Conſtitutionibus Imperialibus Dedonem vocat Comitem de Dierſa, vel Dieſſa; ſed adhuc reliqua eſt difficultas non leuis; nam hic Comes Henricus Dedo de Dieſſa in litteris Pontificijs dicitur filius Marchionis Alberti: in actis verò filius C. Marchionis, quæ inter ſe non ſatis aptè cohærent. Eam hunc in modum explicandam puto. Apud illius ætatis ſcriptores non rarò propria perſonarum nomina priore tantum littera maiori exprimere conſueuerat; cùm porrò facilis admodùm ſit vnius litteræ in aliam mutatio, mirandum non erit, ſi littera A. quæ Albertum ſignificabat in C. degenerauerit, vel contra. Accedit errandi facilitas ex Longobardis litterarum notis, in quibus A. & C. vix inter ſe differunt. Hæc de priori iureiurando; nam de altero coram Pontifice atque Imperatore nullam puto ab Vlmo excitari controuerſiam; cùm acta Alexandri

dri præſtitum referant à Comite Henrico Dedo, vel Dedes: Romualdus à Comite Henrico de Dieſſa; litteræ verò Pontificis nullum nominent, ſed ſolùm iuratum confirment.

VLMVS.

SED neque ſine animaduerſione præteriri debet ſextus error, quem ex quibuſdam verbis, quæ à Baronio, ac ſi Romualdi eſſent, anno Domini M.CL. *referuntur, deprehendimus. In eius enim chronico habetur Rogerium Siciliæ Regem tertiam duxiſſe Vxorem Beatricem Comitis de Reteſte filiam, ex qua natam ſuſceperit quam Conſtantiæ nomine appellauit; [de qua [inquit Chronicon] filiam habuit; quam Con-* "
ſtantiam appellauit.] Si Rogerius filiam Conſtantiam nominauit, vti- "
que id fecit poſtquam nata eſt, atque in ipſo ſacro fonte. At verſus extant, qui Gottifredo Viterbienſi Friderici primi Imperatoris Cancellario tribuuntur, quibus dicitur Rogerium *vxore adhuc grauida, nondum fœta deceſſiſſe, eique poſthumam filiam natam eſſe; dum enim de Henrico eius ſponſo loquitur, hæc habet.*

Fit Regis Siculi filia ſponſa ſibi,
Sponſa fuit ſpecioſa nimis Conſtantia dicta,
Poſthuma poſt patrem materno ventre relicta.

Ex quibus colligitur quo nitantur fundamento qui id chronicon à Ro*mualdo conſcriptum fuiſſe contendunt, cùm etiam anno* M. CL. *Gottifredo Viterbienſi, qui eo tempore procul dubio floruit, repugnet.*

RESPONSIO.

VT inter ſcriptores non conuenit quonam anno Rogerius Siciliæ Rex è vita diſceſſerit, cùm aliqui eum obijſſe tradant anno ſal. M.CLII. alij verò anno M.CLIV. quod notauit Baronius, ita non conuenit vtrum Conſtantia eius filia parenti poſthuma nata ſit; plures enim non deſunt qui eam ante patris obitum in lucem editam affirment. Fieri potuit, vt paulò ante parentis deceſſum nata, à multis poſthuma crederetur, vel, vt in Romualdi Chronico, vbi legitur, [de qua filiam habuit; quam Conſtantiam appellauit,] emendatè legendum ſit, [quam Conſtantiam appellarunt.]

VLMVS.

NEQVE ſatis teſtatum videtur aliud, quod in eodem chronico traditum eſt, Venetijs Concilium celebratum fuiſſe; qua in re Incerto, & appendicis ſcriptori parum conuenit; ille enim celebratum refert die XVII. *Auguſti anno* M.CLXXVII. *hic verò die* XIV. *eiuſdem menſis; ſed vterque errauit; non enim tunc Pontifex Venetijs Concilium celebrauit; nam ſi celebratum eſt, vbinam extant eius acta? Refert Obo Pontifici quidem id in animo fuiſſe; ſed tamen peractum negat, cui omni ex parte fidem habemus; nam Prælati tot præcedentibus occupationibus defatigati, ac defeſſi erant. Sed appendicis auctorem excuſamus, quod fortè Rogerij Angli exemplo Concilium appellauit totum illum conuentum, qui Venetijs cœpit à die* XXI. *Iulij, perdurauítque vſque ad Pontificis diſceſſum, hoc eſt vſque in dimidium menſis Octobris. Sed illi certam aſſignare diem, hoc verò aduerſariorum inuentum eſt.*

RESPONSIO.

DE hac re pluribus diximus aduerſus primum Vlmi teſtimoniũ, at (inquit) de die Concilij ſcriptori actorũ Alexandri & Romualdo non conuenit. Hanc Vlmus occaſionem carpendi non prætermittit; ſed quærat opportuniorem; inanis enim, & friuola eſt, cùm omnia acta manuſcripta habeant eamdem diem XIV. Auguſti; atque in Baronio impreſſoris vitio pro XIX. Kal. poſitum eſt XVI. poſterioris numeri nota (quod facillimum factu fuit) per errorem euerſa.

VLMVS.

OCTAVVS appendicis error eſt, dum ait Calixtum ſchiſma eiuraſſe Tuſculi anno M. CLXXVIII. *hoc enim Romæ factum eſt, non ante annum* M. CLXXIX. *in Lateranenſi Concilio, vt Abbas Stadenſis eius temporis ſcriptor tradit.*

RESPONSIO.

NISI Romualdus neget Calixtum Romæ in Concilio Lateranenſi, & Stadenſis Tuſculi pſeudo-Pontificatum abdicaſſe, contrarij inter ſe non ſunt; cùm fieri potuerit vt bis abdicauerit,

cauerit, ſemel priuatim, iterùm publicè fecit Petrus de Corbaria, qui Ioanne XXII. Pontifice, Nicolaus V. dictus eſt. Fecit Ægidius Mugnotius, qui poſt Benedictum XIII. Pſeudo-Pontificem, Pontificatum inuaſit, & Clemens VIII. eſt appellatus.

VLMVS.

NONVS ſuppoſiti auctoris error eſt, cùm ignorat Patriarcham qui Venetijs eâ tempeſtate commorari ſolitus erat, Gradenſem fuiſſe; dumque ait Pontificem ante S. Marci ædem Imperatorem opperientem [cum Epiſcopis ſuis aut Cardinalibus, cum Patriarcha « Aquileiæ, &c.] ſe rerum Venetarum parum peritum prodit. Hic enim « Patriarcha qui à Pontifice ſemper ſtetit, Gradenſis fuit; cùm Aquileienſis ſchiſmaticos ſemper ſectatus ſit, & Friderico, cuius erat familiaris & conſanguineus, adhæſerit.

RESPONSIO.

ERRAT Vlmus, non Romualdus, qui optimè nouit, Patriarcham Gradenſem (qui & Venetus, quòd Venetijs degeret, dicebatur) ab Aquileienſi longè diuerſum eſſe. Audiat ipſum de vtroque diſtinctè loquentem. [Alterâ autem die Dux Ve- « netiæ cum magna nauium & populi multitudine, & Patriarcha « Venetiæ ſimul cum Patriarchâ Aquileiæ, & omnibus ſuis ſuffra- « ganeis, &c.] & infrà. [Dux autem Venetiæ, cognito quod Im- « perator ab excommunicationis eſſet nexibus abſolutus, cum Pa- « triarchâ, magnâ Cleri & populi multitudine ad Eccleſiam ſancti « Nicolai illi obuiàm venit, quem in naui ſua recipiens, vſque ad « littus ſancti Marci ſatis honorificè & pomposè deduxit. Impera- « tor autem de naui deſcendens ſimul cum Duce, Patriarchâ, & « Epiſcopis ſuis, & Clero, & populo Veneto, ipſum cum vexillis « Cruce proceſſionaliter præcedente, vſque ad Eccleſiam ſancti « Marci, ante cuius atrium Alexander Papa cum Epiſcopis ſuis & « Cardinalibus, cum Patriarchâ Aquileiæ, Archiepiſcopis & Epiſ- « copis Lombardiæ, Eccleſiæ more ornatis, honorificè reſidebat, « pedes acceſſit.] At (inquies) Patriarcha Aquileienſis, Impera- « toris, non Pontificis partes ſequebatur. Qui igitur cum Pontifice, non cum Imperatore eſſet? Dicam id quod verum exiſtimo. Vbi pacis negotium proſperè procedere animaduertit, cum Pontifice in gratiam rediјt, eúmque deinceps ad ſolemnia munia pro-

deuntem, vnà cum alijs Epiſcopis aſſectatus eſt.

VLMVS.

ATQVE illud indubiæ fidei ſuſpicionem appendicem non leuiter adducit, quod à Frangipanio obſeruatum eſt. Nam Baronius ad marginem ſuorum Annalium ait, Salernitanum volumen ijs verbis finiri [ſol in ſigno Virginis] in contextu verò hiſtoriæ nuſpiàm eadem verba tanquam poſtrema affert, ſed illus terminari docet [de cætero Alexander Papa eum, & in curiâ, & in menſâ honorificè habuit.] quibus ſtatim ſubijcit, [hactenus Romualdus; hiſque finem ſuæ ponit hiſtoriæ.] Quoties in Salernitano codice hæc terminatur hiſtoria, in Romano finiri dicitur; cùm Pontifex die beatæ Virginis Annunciationis in ſancti Marci templo ſolemni ritu ſacrum fecit, [& in ea Miſſam publicè decantauit.] in Salernitano verò finitur ſæpius ſemel ibi [ſol in ſigno Virginis,] iterùm ibi [in menſâ ſuâ honorificè habuit.] Aut igitur Baronius, quod Frangipanius animaduertit, in contextu hiſtoriæ, verba quibus ecclypſis explicatur, reponere oblitus eſt; aut reponere noluit, aut de margine per incuriam non deleuit. Nos hîc, vtrùm in ſigno Virginis, quoue anno ſol ecclypſim paſſus ſit, inueſtigare ſuperſedebimus: dicimus tamen id à nobis minimè obſeruari, quod promittitur; narratur enim Romualdi hiſtoria in Salernitano codice, ecclypſi terminari, & paulò poſt oſtenditur illis finiri, vbi dicitur, à Pontifice Ioannem Strumenſem, qui Calixtus Pſeudo-Papa fuerat, ad menſam adhibitum. Sanè in noſtro exemplo poſtremis verbis ecclypſis mentio habetur, non tamen ſine mendo, cùm notetur duodecima indictio die XIII. Septembris, dum agebatur vndecima; atque huiuſmodi mendum fortaſſe fuit in cauſa, cur illa verba edita non ſint; nimirum ne auctori abrogaretur fides.

RESPONSIO.

FRVSTRA laborat Vlmus; nam Salernitanus codex Longobardis litteris conſcriptus, de quo ſuprà diximus, finitur ijs verbis [ſol in ſigno Virginis circa horam] alijs quæ ſequuntur corroſis, & vetuſtate conſumptis; neque Baronius vnquam dixit, poſtrema eius codicis verba ab his alia eſſe. Indictionis mutatæ erratum Vlmus Librario condonare ſolet.

VLMVS.

SED vt codicis adulterationem proſequamur, affirmamus ibi dubiæ fidei ineſse ſuſpicionem, vbi exquiſito nimis & putido artificio quæritur. Quid enim aliud agit eius appendicis auctor dum ſumma ope lectori perſuadere contendit nihil hæſitandum, quominus quæcunque in eo continentur libro, pronis animis tanquam veriſsima accipiantur? Ita enim Romualdus loquitur.

[Hæc autem omnia quæ prædiximus ita geſta fuiſſe nulli dubita- “ *tionis vel incredulitatis ſcrupulum moueant; quia Romualdus ſecun-* “ *dus Salernitanus Archiepiſcopus, qui vidit & interfuit, ſcripſit hæc,* “ *& ſciatis quia verum eſt teſtimonium eius;] nam ſi volumen inſcri-* “ *bitur hiſtoria Romualdi, ſi quæ complectitur ante annum* M.CLXXVII. *illius eſſe exiſtimantur, quorſum de Alexandro Pontifice acturus à lectoribus tantam fidem exigit? Cur non priùs id tentatum? quo quis impenſius laborat, vt ſibi præſtetur fides, eo maiorem mendacij ſuſpicionem creat; quique veretur ne alij credant, quæ ab ſe dicuntur, alicuius rei ſibi eſt conſcius ob quam de eorum credulitate iure dubius eſt; atque hoc apertum eſt corrupti ab eo codicis atque adulteratæ veritatis indicium. Vitiatus igitur ab alio eſt Romualdi liber, támque diligens ſtudium perſuadendi lectori ea ab ipſo Romualdo, non ab alio fuiſſe conſcripta, aperit nobis viam ex notatis erroribus cognoſcendi, volumen de quo agimus, haudquaquam integrum, ſed planè corruptum eſſe.*

RESPONSIO.

ROMVALDI prudentiam, vt opinor, laudabit quicunque verba ab Vlmo malignè traducta eo conſilio dicta intelliget, vt à lectoribus, in ijs peculiariter quæ ad Alexandri & Friderici reconciliationem pertinent, quibus ipſe interfuit, eam exigat fidem, quæ oculatis teſtibus debetur. An non id iure ſuo poſtulat? Atqui nó poſtulauit in alijs. Ita eſt. Neque poſtulare eodem iure poterat; non enim interfuerat. Hinc quomodo deducat Vlmus eum falſa narrare; neque ipſe video, neque viderit Lynceus.

VLMVS.

EANDEM adulterationem oſtendit frequens vbique & glorioſa ſui ipſius commendatio; non enim, ſapientum opinione, prudens Prælatus id vnquam commiſiſſet. Aliquot obſeruabimus loca in quibus corruptoris artificium manifeſtum eſt, nam non modò perſuadere conatus eſt Romualdum eius narrationis auctorem eſſe; ſed etiam eum miris extulit laudibus; ſcilicet vt ſingula cumularet nomina, quibus fidem mereri poſſet. Ait igitur Pontificem cùm Venetijs in Patriarchalium ædium maiori aulâ, Pontificiâ Sellâ ſederet, Imperatorem antè omnes Epiſcopos & Preſbyteros Cardinales ſedere iuſsiſſe ad dexteram: Romualdum verò ante Diaconos Cardinales ad ſiniſtram.

» [In cuius Palatij aula longa ſatis & ſpatioſa, Papa in eminentiori loco poſitus in faldiſtorio ſuo reſedit, & Epiſcopis ſuis, & Cardinalibus hinc inde circumſtantibus, Imperatorem quidem in ſua dextera ſuprà Epiſcopos & Preſbyteros Cardinales: Romualdum verò Salernitanum Archiepiſcopum in ſiniſtra ſuprà Diaconos Cardinales reſidere pręcepit.] Omitto aulam quæ hodieque viſitur, itâ anguſtam eſſe vt pudere debeat appellare [longam ſatis & ſpatioſam:] eam ob cauſam quidam annales affirmant conuentus ſæpe in templis fieri conſueuiſſe. Sed quærimus vbinam ſederet Gradenſis Patriarcha, qui domi hoſpitem Pontificem habebat: vbi alter Aquileienſis qui dignitate Archiepiſcopum anteibat: vbi tot Germani Archiepiſcopi quorum aliqui etiam Principes erant; num Salernitanum ante ſe ſedere paſsi fuiſſent? Quid Colonienſis, quid Moguntinus, quid Magdeburgenſis, Treuerenſis, Salisburgenſis, Viſuntinus, Iaderenſis, Mediolanenſis, Viennenſis, Rauennas, alijque feciſſent? Credibile non eſt à Pontifice Romualdum illis tanto dignitatum ipſorum detrimento antelatum fuiſſe, aut illos, ſi tentaſſet, fuiſſe paſsuros. Inſertum igitur hoc eſt Romualdi chronico ab alio; nam ipſe ſine ambitionis & iactantiæ nota, ne dicam ſine mendacij ſuſpicione, tam aliena de ſe nunquam ſcripſiſſet.

RESPONSIO.

VBINAM illi ſederint, de quibus Vlmus percontatur, Romualdus non docet; ſi tamen is per ſe conſideretur, Archiepiſcopus fuit, & quemadmodum Vlmo placet, illuſtris Regis auunculus: ſi verò, vt alterius nomine ijs quæ agebantur, intererat, perſonam ſuſtinuit prępotentis Regis, ad quem ea conuentio maximè pertinebat: quare dubitandum non erat, quin alijs Antiſtitibus præferretur.

VLMVS.

VLMVS.

DEINDE cùm in eodem volumine narratur Pontificem Romualdo eiúſque ſucceſſoribus crucis præferendæ facultatem conceſſiſſe, id eo ſolùm nomine factum dicitur quòd prudens & litteratus eſſet. [Alexander autem Papa prudentiam & litteraturam Romualdi Salernitani Archiepiſcopi diligenter attendens, &c. ipſi & ſucceſſoribus eius vſum & dignitatem portandæ Crucis, &c. Apoſtolicâ auctoritate conceſſit.] Hæc ab alio de induſtria intexta fuiſſe ex eo maximè conficitur, quod ſine ingenti cuiuſque reprehenſione à Prælato grauitate & prudentiâ inſigni, de ſe minimè prædicarentur; glorioſa enim ſunt alia quæ de eodem Archiepiſcopo codicis vitiator appoſuit, vt cùm Imperator eum ſtantem ſedere iuſſit. [Cúmque Romualdus Salernitanus Archiepiſcopus de faldiſtorio ſuo ſurgens ſtans, loqui voluiſſet, Imperator eum ſedentem loqui præcepit.] Alibi fingitur Cæſar dicere ſe ex prudentia atque integritate Romualdi & Rogerij maximam conijcere in Siciliæ Rege qui eos Oratores miſit ſapientiam. [Quod autem tam idoneas & elegantes perſonas ad pacis noſtræ colloquium deſtinauit, noſtræ excellentiæ gratum reſidet & acceptū; quia ex Legatorū ſuorum ſciētiâ, probitate ſimul & ſapientiâ, Domini delegantis auctoritatē perpendimus, & à nobis meritò in numero ſummorum Principum reputatur, qui talibus & tātis perſonis præeſſe dignoſcitur.] Deinde de ſe, déque ſuo Collega agens, ſic ait. [Ipſi autem ſicut viri ſapientes & prouidi.] & alibi de iiſdem perſonis Siciliæ Regem ita loquentem facit. [Archiepiſcopi & Comitis ſuper hoc fidem & prudentiam plurimùm commendauit.] Hæ autem tam multæ Romualdi commendationes oſtendunt appendicem ab aliquo Salernitanæ ditioni ſubiecto compoſitam, qui tot intermiſſis aſſentationibus hiſtoriam produxit, vt hinc opinio apud lectores excitaretur, Salerni tam claros viros editos atque educatos fuiſſe. Illud præterea fictis rerum à Vvilhelmo Rege, eiúſque Oratoribus geſtarum amplificationibus contēdit vt omnes ſibi perſuadeant, quicquid concordiæ ſtabilitum eſt, quicquid commodi in Pontificem redundauit, id totum ab illis profectum eſſe. Propterea initio fictas triremes ſubminiſtratas fuiſſe tradit: contra verò nihil omittitur quod Venetorum gloriam obſcurare poſſit. [Veneti ingratitudinis filij & Regiæ liberalitatis obliti, volunt Domino noſtro mala pro bonis rependere.] pluraque adduntur conuicia quæ apparent maximo ſtudio conficta, vt lectores ſibi perſuadeant, non Venetos, ſed Oratores Siculos fuiſſe in causâ, cur Fridericus cum Pontifice atque cum Eccleſiâ, perpetuâ factâ

pace, in gratiam rediret. Immo ad idem probandum adiicitur nunquam futurum fuiſſe, vt Pontifex cum Imperatore reconciliaretur, niſi idem
“ Imperator cum *Vvilhelmo Rege concordiam iniret. [Papa enim firmiter*
“ *in ſuo habebat propoſito nequaquam cum Imperatore ſine Rege Vvilhel-*
“ *mo pacem facere.] & tamen apertum eſt, maximum omnium præſidium Pontifici in Lombardis fuiſſe, qui tandiù, magnâ etiam ſanguinis effuſione aduersùs Cæſarem Pontificiam dignitatem tutati ſunt, quos, ſi ficto auctori credimus, videtur Pontifex omiſſurus fuiſſe, dummodo Siciliæ Rex, qui belli ſocius vix fuerat, à pacificatione non excluderetur; nihil enim Vvilhelmus plus auxilij Pontifici attulit, quàm vt eidem anno* M.CLXVII. *pecuniam duáſque triremes commodaret, quibus Tyberis alueo delatus, Româ aufugeret: ſi tamen vera ſunt quæ Incertus ſcribit, qui ſubijcit Pontificem triremibus nequaquam vſum, eas in Siciliam remiſiſſe, cui fictus conſentit Romualdus, cùm ait, Pontificem mutatâ veſte, peregrinatoris indumentis clàm cum paucis terreſtri itinere Româ exceſſiſſe. [In habitu peregrini cum paucis vrbem exijt.] Et quamquam eiuſdem* P*ſeudo-Romualdi teſtificatione videatur Vvilhelmus anno* M. CLXXVI. *Friderici filiam iniuſſu Pontificis vxorem ducere, atque cum illo pacem facere abnuiſſe; id tamen (ſi vera narrantur) fecit, quia & Eccleſiæ vectigalis erat, & Angliæ Regis filiæ (cuius ſucceſſionem regni ſperare poterat, Imperij omninò expers) nuptias peroptabat; neque aliud quicquam* P*ontifici ab illo præſtitum perhibetur. Nobis tamen incumbit onus probandi, cum neque tredecim triremes ad* P*ontificem Venetias tranſuehendum miſiſſe, in quo totius cum aduerſarijs controuerſiæ difficultas ſita eſt. Quod ſi Vvilhelmus, cognomento* P*rauus, Eccleſiæ infenſus fuit, nihilo eo melior aut obſequentior filius exiſtimandus eſt, qui etſi Boni appellationem inuenit,* P*atris tamen deterioris comparatione, eam ſolùm eſt aſſequutus. Quę dicimus à* P*etro Bleſenſi confirmantur, qui in epiſtola ad Vvilhelmi iunioris Capellanum oſtendit quàm parum Eccleſię bonus ac proficuus Vvilhelmus ipſe Rex eſſe poßit, cuius immunitatem ac libertatem violabat, Agrigentino Epiſcopatui peculiariter infe-*
“ *ſtus. [Diu eſt, quod rumor inſonuit, & publicè iam crebreſcit, quod*
“ *Dominus tuus Rex Siciliæ, ſalutis ſuæ & paternę traditionis oblitus,*
“ *cum Comite Lorotelli in ruinam & deſolationem Agrigentinæ Eccleſiæ*
“ *coniurauit.] & paulò poſt. [ô deteſtanda operatio! ô adoleſcentia de-*
“ *ploranda! Filius Eccleſiæ quare ſe erigit contra Matrem? Cur abijcit*
“ *conſilium pietatis, & abijt in concilio impiorum?] Deinde. [Doleo*
“ *quod inter primitias dominationis ſuæ, & inter initia vnctionis Regię*
“ *hoc præſumit.]* P*oſt hæc. [Et quis ille miſerabilis adoleſcens in theſauros*
“ *Eccleſiæ, conſilio malignorum, manus rapaces inіecit? Vereor ne in eum*

Dominus

Dominus excandeſcat. [Denique non decebat eum manus laïcas ad ſacra porrigere.] Vt rem in ſummam colligamus, parum & ipſe in Eccleſiam æquus fuit, neque tantas meretur laudes quantas in eum Pſeudo-Romualdi hiſtoria congeſſit; cùm præſertim in Pontificem nihil valde laude dignum contulerit. Patet igitur eum qui tot commendationum artifex eſt, aſſentatorem eſſe, non Romualdum, qui (ſi prudens fuit) in volumine cui ipſius nominis titulus eſſet præfixus, tot ſuas ſuique Regis laudes minimè perſequutus eſſet. « «

RESPONSIO.

HIC duo perſequitur Vlmus: alterum quod ad Romualdum: alterum quod ad Vvilhelmum iuniorem Siciliæ Regem pertinet. Quod ad Romualdum attinet, non eſt quod Vlmus magnopere miretur; nam illi cùm res vti geſtæ erant poſteriorum memoriæ mandare decreuiſſet, nihil æquè cordi fuit atque ſimpliciter & ſine fuco quæ ad cuiuſcunque laudem, aut vituperationem facerent, in medium afferre; nec deſunt optimorum virorum exempla qui ea quæ ſibi laudi darentur, nihilominus, quàm alia ſcriptis expoſuerunt. Hos ingenuè imitatus Romualdus ſi Vlmi reprehenſionem incurrit, an propterea falſitatis, mendacij, impoſturæ reus iudicandus erit? Equidem Vlmi accuſationi non ſubſcribo; neque (vt puto) ſubſcribent ij qui intelligunt fieri poſſe vt qui res aliorum geſtas deſcribit, multa commemoratione digna patrauerit. Quod ad Vvilhelmum Regem ſpectat; neque Romualdus, neque nos omnia eius facta reprehenſione carere contendimus; ſed illi maximæ laudi damus quod Eccleſiæ perduellibus infenſus ſemper hoſtis fuerit: quòd ſchiſmaticos, qui non ſemel eum ab Alexandro auocare conati ſunt, conſtanter reiecerit: quòd Friderici Imperatoris minas nihil timuerit: quòd eiuſdem affinitatem parum Pontifici gratam ſpreuerit: quòd Alexandrum pecuniâ, claſſe, milite iuerit: quòd eius partes ſummâ ſemper fide, & conſtantiâ tutatus ſit: quòd eiuſdem in Lombardiam iter honorificâ ſuorum Procerum Legatione cohoneſtauerit: quòd eorum quæ ad illius dignitatem facere arbitratus eſt, nihil prætermiſerit. Hæc verò ſi laudem non merentur, nihil à quoquam laude dignum effici vnquam poterit. Neque verum eſt vel à Romualdo Lombardorum merita extenuari, vel ab eo Pontificem induci perinde quaſi illorum nullam habeat rationem. Vt enim quiſque ſuis locis videre poteſt, quæ-

cunque illi pro Alexandro laudabiliter fecerunt, honorificè ab eo commemorantur, & Pontifex apud illum, neque locum colloquio, neque pacis conditiones, niſi prius exploratâ eorum voluntate, conſtituit. Quòd ſi præcipuæ rei confectæ laus (quemadmodum Vlmus voluiſſet) ad Venetos non pertinet, accuſandi hiſtorici non ſunt, qui nullo ſtudio nullóque partium odio inducti, omnia vti ſe habuere, litteris commendarunt.

VLMVS.

SED ne accuratam rerum excluſionem quæ in mendacibus dijudicandis hiſtorijs adhiberi ſolet, prætermittamus, fabulam eſſe dicimus à Pſeudo-Romualdo excogitatam, Conradum Cardinalem qui Archiepiſcopus fuerat Moguntinus, apud Pontificem expoſtulaſſe quod is Archiepiſcopatus Chriſtiano deferretur; id enim accuratus eius hiſtoriæ lector concedere nequaquam poteſt; nam Conradus, qui Cardinalatus dignitate à Pontifice inſignitus fuerat, haud tàm facilè illi repugnantem ſe præbuiſſet; & quanquam ipſe prior Moguntinum Archiepiſcopatum adeptus fuerat, & Chriſtianus ſchiſmatis tempore iniuria ſuffectus eam regebat Eccleſiam. pro comperto tamen habetur illum pro Eccleſiæ vtilitate, & pro communi concordiâ multum laboraſſe, quod cauſa fuit cur in eius conuentionibus illud inter cętera poneretur, vt ipſi Moguntinum Archiepiſcopatum, quem tunc obtinebat, per Pontificem retinere liceret. Confirmabimus hæc ipſis pacis tabulis, quæ à Sigonio afferuntur anno M. CLXXVI. *in quibus huiuſmodi caput videre eſt.*

„ *[Chriſtiano Cancellario Moguntinus Archiepiſcopatus, Philippo*
„ *Colonienſis concedetur, & pleniſſimo iure firmabitur. Primus Archi-*
„ *epiſcopatus qui in Theutonico Regno vacauerit, Conrado auctoritate*
„ *Pontificis & auxilio Imperatoris deferetur, qui idoneus videatur.]*

Has tabulas quanquam diximus non quo ad ſingula vim habuiſſe; quod ad hoc tamen ſpectat, ſicuti & quo ad alia plura, omni ex parte valuiſſe ſcimus, conceſſúſque eſt Conrado Archiepiſcopatus Salisburgenſis; quod & ipſi aduerſarij minimè abnuunt. Iam verò cum certum ſit ad omnes Pontificis conſultationes Conradum, non minùs quia charus fuit ſed etiam, quia ab eo Cardinalatu donatus, adhibitum fuiſſe, quâ ratione ſtabilita vnquam pax eſſet, niſi Chriſtianum Moguntinum potentiſſimum hominem qui præcipuus Cæſaris defenſor fuerat, ſibi demereri maximopere ſtuduiſſent? Idcircò in omnibus pacis conditionibus illud conſtitutum fuerat vt Chriſtiano Moguntinus Archiepiſcopatus

epiſcopatus relinqueretur, vt ex Anagninis tabulis liquet, neque Conradum qui conſenſerat, hæc fugere poterant. Ex quibus ſatis apertum eſt Pſeudo-Romualdum *expoſtulationes & colloquia fingere, quę* Conrado *in mentem nunquam venerunt; neque veritate, ſed ſimilitudine tantum veri innixum fuiſſe, dum ſcriberet. Verùm non alia deceptioni aperta magis via, quàm ſi quis pro veritate ſimilitudinem ac ſpeciem veri ſectetur: id prudens lector vbi animaduertit, cautè, & ſuſpenſo (quod aiunt) gradu hiſce narrationibus fidem prębere ſolet. Intereà (Pſeudo-Romualdi verba ſunt.)*

[Chriſtianus Cancellarius, qui pro conſeruatione pacis plurimum la- “
borauerat, nacta opportunitate temporis, cœpit per Imperatorem, & “
Principes ſuos dare ſtudium & operam diligentẽ vt Papa Alexander “
Moguntinum illi Archiepiſcopatum auctoritate Apoſtolica cõfirmaret.] “
Hæc facta narrantur poſt pacem inter Pontificem *& Cæſarem, atque inter hunc & Siciliæ Regem ac Lombardos confirmatam, ad quam peruentum nemo dicet, niſi priùs ſtatutum eſſet vt Moguntinus Archiepiſcopatus tam inſigni Cæſareæ factionis viro demandaretur; & tamen ac ſi antea nunquam ea de re actum eſſet, inducitur Chriſtianus pace factâ per Imperatorem ac Prinçipes id negotij aggredi.*

[Cœpit per I*mperatorem & Principes ſuos dare ſtudium, & operam* “
diligentem, &c.] & perinde hæc poſtulatio Çonrado noua atque ino- “
pinata accideret, fingitur moleſtè ferre.

[Quod preſentiens Conradus qui in Moguntina Eccleſia prius ele- “
ctus & conſecratus fuerat, ad Papam accedens ait. Nouit veſtra “
Sanctitas, venerande Pater: nouit vniuerſa hæc Romana *Eccleſia* “
quòd ego veſtræ perſonæ intuitu Moguntinam Eccleſiam, in qua ca- “
nonicè electus fueram, inſcio Imperatore reliqui, & honorem meum, “
parentes & patriam pro Dei amore deſerui & ad vos in Franciam fe- “
ſtinus acceſſi: exilium patriæ prępoſui, & in labores, & anguſtias, quie- “
tem meam, & otium commutaui. Benè poteſtis recolere, quantum Ca- “
tholicæ Eccleſiæ meus aduentus contulerit, & qualiter partem ve- “
ſtram adhuc nutantem & debilem, plurimum roborauerit. Nunc au- “
tem (vt audio) vultis Chriſtiano Cancellario, qui Moguntinam “
Eccleſiam per violentiam inuaſerat, eundem conuerſo Religionis ordine “
confirmare, &c.] Nemo ſanę mentis credet, aut à Conrado beneficia “
Pontifici *exprobrata, aut eum tantùm ſibi tribuiſſe, vt ſuo aduentu, & Eccleſiam adiutam, & Pontificis partes confirmatas tam glorioſè dixerit; ſed neque credet eundem ignoraſſe Moguntinum Archiepiſcopatum, prout multò ante deſtinatus fuerat, Chriſtiano collatum; dicetque verba illa, [Nunc autem, vt audio, vultis, &c.] merum* “

eſſe figmentum hiſtorici inducentis Conradum pro re, quæ iam ipſius conſenſu decreta fuerat, tanquam pro inexpectato aliquo euentu conquerentem. Maneat igitur totam hanc conqueſtionem planiſſimam eſſe fabulam, quæ ex præcedentibus rebus callidè à Pſeudo-Romualdo ac verisimiliter concinnata eſt; Imperator enim, Prælati ac Principes qui Venetias firmandæ pacis gratiâ acceſſerunt, eò ſe non contulere priuſquàm ſingula, quæ in controuerſiam venire poterant, & probè noſſent, & ſeorſim ſtatuiſſent; nam id Venetijs confirmatum eſt, quod priùs diligenter in capita redactum, Legatorum vltro citroque commeantium induſtriâ ſtabilitum fuerat. Hinc (vt exiſtimo) Lector cautior effectus intelliget, colloquia & rerum quæ nuſpiam contigerunt euentus confingi, apertiſſiméque diſcet aut à Romualdo chronicon haudquaquam ſcriptum, aut ſi ſcriptum fuit, ab alio poſteriori vitiatum fuiſſe.

RESPONSIO.

ESTO, In Anagninis pacis conuentionibus illud fuerit, vt Chriſtiano Moguntinus Archiepiſcopatus tribueretur, quod tamen Conradus ſciret eas Venetijs, vbi poſtremò confirmandæ erant, mutationem pati poſſe, non ſine cauſa priſtinæ ſedis recuperationem tentauit. Quid eſt quod Vlmus reprehendat? num quod Conradus maxima à Pontifice beneficia accepiſſet, propterea illi iure ſuo vti non licuit? imò prouidè & prudenter fecit; ſi enim conatus ex animi ſententia non ſucceſſiſſet, Epiſcopatu, vt Pontifici obſequeretur, dimiſſo, maximam apud illum gratiam initurus erat.

VLMVS.

ATQVE hoc malum multis ſcriptoribus commune eſt, cui aliud accedit, quod incertorum auctorum chronica per fraudem nomine donantur ab ijs qui ſcriptorem diuinare, quàm noſſe malunt. Neque alij deſunt qui, vt rebus quæ narrantur priuatis rationibus adducti fidem comparent, certi alicuius auctoris opus eſſe mentiuntur, quod tamen alterius fœtum eſſe probè ſciunt. Sed demus chronicon à Romualdo conſcriptum; quis tamen neget illud à falſarijs amplificari & vitiari potuiſſe? Hæc enim pernicies eſt, quæ omnes ferè hiſtoricos inuaſit; nam, vt prætercam id quod diligentiſſimâ Cardinalis obſeruatione in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis adnotatum eſt, multa ſacris ipſis

Eccleſiæ

Eccleſiæ Doctoribus falsò tributa ſunt, quæ nunquam Cyprianus, Athanaſius, Baſilius, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Beda, aliȷque pro ſuis agnouiſſent. Hæc vnà hiſtoricis ferè omnibus peculiariter contigiſſe idem doctus Cardinalis narrat, ita vt paucos planè incorruptos in manus ſumere liceat; nam libri qui circumferuntur Egeſippi de excidio Hieroſolymæ (floruit is anno CLXXVII.) *illius non ſunt: Euſebio Cæſarienſi, qui vixit anno* CCCXXVI. *Ruffinum aliqua detraxiſſe, aliqua addidiſſe ait. De Theodoreto, qui ſcripſit anno* CCCCXXX. *tradit epiſtolam ad Ioannem Antiochenum indignam eſſe quæ Theodoreto, aut cuiuis Chriſtiano attribuatur: de Beda qui inter viuos erat anno* D. CCXXXI. *eius non eſſe aliquot ſanctorum vitas, earumque auctorem nominat: de Paulo Diacono, qui floruit anno* D. CCLXXIV. *docet hiſtoriæ Romanæ libros, quos Eutropio adieciſſe dicitur, alterius eſſe: de Simeone Metaphraſte qui viuebat anno* D. CCCL. *aliquot ſanctorum vitas à poſterioribus illi abditas: Aimonij opus oſtendit, non vnius eſſe ſcriptoris, ſed duorum: Reginoni ſupplementum additum ab anno* D. CCCCVIII. *vſque ad annum* D. CCCCLX. *Luitprandi Ticinenſis qui vixit anno* D. CCCCXLVI. *refert Baronius non eſſe quæ illi tribuuntur à capite ſexto libri ſexti vſque ad finem. De Glabro qui ſcripſit anno* M. XL. *ait ab alio vitiatum, vbi dixit Conradũ Imperatorem obiȷſſe anno* M. XLI. *cùm obierit anno* M. XXXIX. *de Sigeberto & Mariano qui ſcripſere circa annũ* M. CX. *cùm de Martino Polono loquitur, affirmat narrationem Ioannis Papæ fœminæ falsò illis tributam; nihil enim ipſos de illa ſomniaſſe, ſed ab aliquo poſteriori duobus iȷs auctoribus ex Martini Poloni mendacȷs inſertum; aitque conſtanter ipſe Bellarminus, atque ante illum Onuphrius Panuinus eiuſmodi fabulam in veteribus eorum manuſcriptis minimè reperiri. In Othone Friſingenſi, dum vniuerſarum rerum hiſtoriam complectitur, obſeruauimus, quo loco Pontificum atque Imperatorum nomina vſque ad Adrianum quartum, & Fridericum primum refert recentiorem fuiſſe qui vſque ad Leonem decimum & Carolum quintum ſuppleuerit, & caput ſextum ſupra trigeſimum, quod poſtremum eſt, mendacis alterius auctoris eſſe conuincitur, cùm narret res geſtas anno* M. CLXXIX. *in Concilio Lateranenſi, quod Romæ ab Alexandro tertio Pontifice celebratum eſt, & Henrici coronationem ac nuptias perſequatur, quæ contigerunt anno* M. CLXXXVI. *Atqui hæc à Friſingenſi ſcribi minimè potuere, qui viuere deſȷt anno* M. CLVIII. *De Gotifredo Viterbienſi ſuprà fusè ſatis oſtendimus appendiculam de Henrici nuptȷs ſolutâ oratione alterius eſſe ſcriptoris. In Conrado Vſpergenſi pugnãtia inter ſe loca non deſunt, quæ (vt Bellarmino videtur) apertè*

probent, quod de Aimonio dictum eſt in eo libro, non vnius tantùm lucubrationes contineri. Ex his efficitur Romualdum ita extra omnem cæterorum aleam non fuiſſe, vt eius operi multa ab alijs mendacia intexi non potuerint, qualia nos plura tum in illo oſtendimus, tum in alijs hiſtoricis à grauiſſimis viris obſeruata propoſuimus; vt mirum non ſit idem apocryphæ rerum ab Alexandro geſtarum narrationi contigiſſe. Nos igitur Romualdi falſitatis atque impoſturæ minimè inſimulamus; ſed tamen ſi quis adhuc contendat, eum totius narrationis auctorem eſſe, veritatem, quæ ſuprà à nobis ſatis apertè demonſtrata eſt, mendacio apponemus. Verùm quia ſcimus non defuiſſe etiam illorum temporum ſcriptores, qui falſa pro veris narrarent; aliquos hîc exempli cauſa afferemus. Otho Morena rerum à Friderico geſtarum ſcri-
» *ptor, hoc nomine à Baronio reprehenditur anno* M.CLIV. [*Extat &*
» *Laudenſe ſcriptum antiquum chronicum hoc anno inchoatum ab au-*
» *ctore temporis huius Othone Morena, qui præſens aderat, & abſolu-*
» *tum ab eius filio Acerbo Morena de rebus geſtis à Friderico Imperato-*
» *re in Italia vſque ad annum Redemptoris* M.CLXVIII. *ſed quod ſchiſ-*
» *maticę eſſet factionis homo, & addictiſſimus ſchiſmatico Imperatori,*
» *ſæpè altero pede claudicare dignoſcitur.*] *Huiuſmodi claudicatio præcipuè à Baronio notatur anno* M.CLXIV. *Cùm enim probati Scriptores affirment Octauianum Pſeudo-Pontificem miſerando exitu vitam terminaſſe; Morena ait ab eo poſt mortem patrata miracula, quod ſanè nimis impiè dictum omnia excedit mendacia quæ in Romualdi libro reperiuntur; minùs enim erratur in narratione celebris, vel clandeſtini acceſſus Pontificis Venetias, quàm in miraculorum à ſchiſmatico poſt mortem editorum affirmatione. Morenæ tamen prauitas tanta fuit, vt huiuſmodi mendacium pro vero ſcribere, non dubitauerit; cùm ex oppoſito Baronius allati ſancti Thomæ Cantuarienſis Nuncij litteris oſtendat, eum & impænitentem, & alienata mente deceſſiſſe. Octauianus autem quindecim diebus antequam moreretur phreneticus effectus eſt continuè & in tantam verſus veſaniam, vt nec Dei ſui memor eſſet; & anno* M.CXCV. *tradit Baronius à Pontificatu Cæleſtini vſque ad Innocentium plurimos falſarios extitiſſe.* [*Increbuit his*
» *quidem temporibus Cæleſtini vſque ad Innocentij Papæ primordia*
» *falſariorum ingens numerus, qui nomine Sedis Apoſtolicæ, quas vel-*
» *lent litteras ſcriberent,*] *& anno* M.CXCVII. *idem Baronius Mat-*
» *thæum Paris eius temporis Scriptorem falſitatis conuincit.* [*Hæc Ro-*
» *gerius eius temporis ſcriptor. Ex quibus atque in primis ex Cæleſtini*
» *recitato diplomate mendacij redarguas Matthæum Paris, qui car-*
» *pendi tantum cauſà Romanos Pontifices viſus eſt ſuſcepiſſe prouin-*
ciam,

ciam, &c.] & paulò poſt. [Vidiſti lector cùm legiſti Paris ingenium animique malè compoſiti malam ſententiam res fingere verbáque formare, &c.] Non ergo difficile creditu putandum eſt, cùm ea tempora plurimarum rerum euentu illuſtria fuerint, multáque tum pro Pontifice aduersùs Imperatorem, tum pro Imperatore aduersùs Pontificem patrata ſunt, non defuiſſe aliquos qui præcipuorum geſtorum auctores haberi voluerint.

RESPONSIO.

NISI Vlmus, quod hactenus minimè fecit, oſtendat Romualdi chronicon inſertis ab aliquo poſteriori mendacijs adulteratum fuiſſe, nobiſcum non pugnat, ſed theſim ad oſtentandam eorum quæ Bellarminus & Baronius collegere, eruditionem nemine contradicente perſequitur.

VLMVS.

INTER eos numeramus Romualdum, qui ſe ipſum tanquam principem pacis auctorem celebrare voluit, vt poſteritas crederet Siciliæ Regem ſororis ſuæ filium eiúſque Oratores, quorum alter ipſe erat, Catholicæ Eccleſiæ tantum beneficium contuliſſe, quantum eſt reſtituta eorum operâ Alexandro Pontificia dignitas. Liberum porrò cuique fuit ijs temporibus quibus Typographia nondum reperta erat, pro arbitratu quæcunque ſcribere. Cùm enim ſcripta Bibliothecis incluſa vſque ad eorum qui ea quæ narrabantur nouerant, mortem laterent, à nemine falſitatis redargui poterant, donec ijs extinctis, ſine iudice ac reprehenſore publicè euagata, falſa pro veris nemine repugnante euulgabant. Cæterum, quod exiſtimatur, Romualdi opus præteritis ætatibus publicum nunquam aſpexit; ſed Salerni ipſis quadringentis triginta annis veluti ſepultum deliuit, quamuis medio hoc tempore exempla Romam tranſmiſſa, & præteritis annis quædam eiuſdem fragmenta Baronianis annalibus intexta ſint. Quæ omnia perſuadent illud integrum atque incorruptum, vt à ſuo auctore conſcriptum eſt, haudquaquam eſſe. Atque huiuſmodi noſtrum eſt de eodem opere iudicium, nimirum quadringentorum eoque amplius annorum ſpatio ingentes paſſum eſſe mutationes.

RESPONSIO.

HOc enimuerò eſt Romualdi chronicon propius impetere, & à theſi ad hypotheſim gradum facere, ſed cùm Salernitani chronici adulteratio nullis argumentis probetur, inania verba refutare conſilium non eſt.

VLMVS.

NEQVE his obeſt illud in Vaticana Bibliotheca aſſeruatum eſſe. Primò quia à Salernitano exemplari manauit: deinde quia ex eo non maiorem contrahit auctoritatem ac fidem, quam antea Salerni habuiſſet; nam in Bibliothecis etiam inſignibus libri cuſtodiuntur qui ſi integræ fidei non ſunt, neque à loco auctoritatem accipiunt, neque eidem tribuunt. Exempli cauſa afferemus acta ſancti Georgij Martyris variè à pluribus deſcripta, quorum aliqua vt apocrypha à Gelaſio Pontifice damnata ſunt, indemnatis alijs atque ab omni falſitatis ſuſpicione liberis. Quæ damnata fuere aſſeruantur Romæ in Vaticano, non alia, credo, de cauſa niſi vt ea quæ à Gelaſio vetita ſunt, ab alijs internoſci queant. Teſtatur hæc Baronius qui in notis ad Martyrologium die
„ XXIII. *Aprilis ſic loquitur. [Quænam autem eſſent acta Georgij à*
„ *Gelaſio improbata atque reiecta, exquirendi ſtudio fatigatus, ea me tan-*
„ *dem inueniſſe arbitror in noſtra Bibliotheca tertio tom. Vit. Sanct. anti-*
„ *quiſſimo ac penè vetuſtate conſumpto codice. Ibi pag* CLIX. *inueni acta*
„ *quædam S. Georgij multis, haud dubium, referta mendacijs, &c.] Et*
„ *paulò poſt [Quæ Gelaſij cenſurâ proſcripta eſſe abſque aliqua difficulta-*
„ *te quiſque ſibi ſuadere poteſt.] Aſſeruantur igitur illuſtribus Bibliothecis veridica volumina vt verum diſcatur, & apocrypha vt falſum reijciatur.*

RESPONSIO.

ERRAVIT Vlmus hoc loco in re non magni momenti, cùm noſtram (quam Baronius vocat) Bibliothecam, ipſe Vaticanam intellexit. Etenim Bibliotheca Vallicellana optimis cuiuſcunque generis libris referta, qua Baronius ſemper eſt vſus, túmque vtebatur præcipuè cùm nondum Cardinalis, nondúmque Bibliothecarius notas ad Martyrologium ſcriberet.

VLMVS.

V L M V S.

INTER *falſa ea numerantur quæ Romualdus de ſe, déque Siciliæ Rege ſororis ſuæ filio tàm glorioſè, támque aſſentatoriè ſcripſiſſe dicitur. Illum Vvilhelmi iunioris Siciliæ Regis auunculum fuiſſe teſtatur qui nouerat Petrus Bleſenſis epiſt.* x. *ad Vvilhelmi ipſius Capellanum, vbi Regem reprehendit quod Romualdi Salernitani & Rogerij Auelini Comitis auunculorum conſilia deſeruerit. [Proditoria* "
iſtorum conſilia prætulit inconſultiſſimus adoleſcens Domino Salerni- "
tano & Comiti Auelini auunculis ſuis.] Notæ autem ad marginem ex- "
plicationis gratiâ habent. [Romualdo Salernitano Archiepiſcopo, & "
Rogerio Comiti Auelini.] A vero igitur fortaſſe non abhorret, ab auunculo conſanguinitatis neceſſitudine adducto laudes ſuas & ſororis filij, ſcriptis mandatas fuiſſe; quanquam, vt ſuprà docuimus, putamus eos ab aliquo poſteriore, tum vtrique, tum nationi vniuerſæ impensè addicto, egregiâ adiectâ appendice tam fœdis aſſentationibus ac mendacijs celebratos fuiſſe.

RESPONSIO.

CLAVDIT Vlmus caput quod aduerſus Romualdi chronicon ſcribendum ſuſceperat, quemadmodum inchoauerat; hoc eſt odioſâ verborum coaceruatione quibus nihil ſubeſt niſi quanta quanta eſt ipſius dicentis auctoritas.

V L M V S.

NEC *leuius mendacij indicium affert aduerſariorum inconſtantia; modò enim Incertus apocryphus eas (triremes) ſeptem, modò vndecim, modò tredecim numerat. Et Pſeudo-Romualdus eaſdem primò conſtanter vndecim fuiſſe refert; ſed poſteà eorum quæ dixerat oblitus, dum minas à ſe Duci intentatas fingit, in tantam exarſit iracundiam, vt cum Pontifice agens, ſeptem oblitus, quatuor tantùm nominet. [Ecce* "
enim quatuor galeas Domini Regis Siciliæ ad veſtrum obſequium præpa- "
ratas habemus, &c.] Itaque aduerſarij pro arbitratu eas, & tredecim & "
vndecim, & ſeptem, & quatuor fuiſſe aiunt.

RESPONSIO.

DE ſcriptore actorum Alexandri ſuprà diximus; nec Romualdus ſibi contrarius eſt; nam vndecim,quas dicit,triremes initio Pontifici Veſtæ præſtò fuiſſe quibus Venetias perlatus eſt, earum magna pars ſuo perfunctæ munere rediere in Siciliam. Quarum mirum non eſt, ſi poſt tres menſes, quatuor dicantur Venetijs remanſiſſe,quot Oratoribus aſportandis honeſtè ſufficere poterant. Quod ſi ſcriptor actorum Alexandri, triremes vult fuiſſe tredecim; id eò facit quia vndecim Romualdi alias duas adnumerat onerarias, quæ annonam vehebant.

VLMVS.

ADDIT appendix Romualdi à Siciliæ Rege obuiam Sponſæ miſſas in Angliam viginti-quinque triremes; quanquam quo id anno contigerit, ignorauerit. Ponit enim (vt etiam refert Baronius) annum M. CLXXVI. *quod ego facere non poſſum, quin hoc loco refutem, oſtendamque Rogerij verba haud ſatis à Pſeudo-Romualdo percepta huic deceptioni occaſionem dediſſe. Videtur ſanè Rogerius has nuptias reponere anno* M. CLXXVI. *ſi tamen attentiùs conſideretur, celebratas narrat* M. CLXXVII. *vbi enim Sponſa in Siciliam appulſum expoſuit, ait, non poſt annos, neque poſt menſes, ſed paucis elapſis diebus nuptias celebratas.*
„ *[Paucis itaque elapſis diebus deſponſata eſt Vvilhelmo Regi Siciliæ, &*
„ *ſolemniter coronata Panormi.] Quibus ex verbis habetur eodem anno ac menſe Reginæ nuptias & coronationem eſſe collocandam; cúmque certum ſit eum fuiſſe annum* M. CLXXVII. *vt & Rogerius ſcripſit, & Baronius fatetur; apertum eſt Pſeudo-Romualdum, & apud Baronium à veritate diſcedere, & dum Rogerium Anglicum non ſatis intellectum, parum fideliter exſcribit, vnius anni errore fuiſſe deceptum; nuſquam enim nuptias ponere legitur anno* M. CLXXVII.

RESPONSIO.

ROMVALDVS ea numquam dixit quæ illi hoc loco Vlmus conatur affingere; nam cùm dicat Ioannam appuliſſe Neapolim anno M. CLXXVI. indeque, feſto Natiuitatis Domini celebrato, in Siciliam ſoluiſſe, ſatis declarat eam nupſiſſe anno qui vel ab eodem chriſti Natali inchoabitur, vel ipſum proximè ſubſequutus eſt, videlicet M. CLXXVII.

VLMVS.

VLMVS.

CVM inter nos atque aduerſarios de Pontificis diſceſſu Ferrariam conueniat, quærendum eſt quidnam cauſæ fuerit quod eum ad illuc trayciendum impulerit. Vt aduerſariorum mendacia in medium proferantur, redire oportet in memoriam Incertum apocryphum Baronij antea dixiſſe pactum prius eſſe vt Pontifex Bononiam, Fridericus Forum Cornelij (Sigonius Mutinam ait) ſe conferret. Iam cùm neuter horum ſcriptorum dicat Fridericum pactione obſtrictum fuiſſe vt Bononiam iret ; quis excuſationem afferre debet cur Bononiam non proficiſcatur? Fridericus ne , an Pontifex? ſtatutum (aiunt) antea fuerat, vt Fridericus Mutinam aut Forum Cornelij diſcederet. Excuſare igitur ſe non poterat Fridericus cur Bononiam non peteret , cùm eò nunquam inuitatus fuiſſet. Verùm quia Pſeudo-Romualdus ait Bononiam communis colloquij ſedem fuiſſe delectam, eò magis deliquiſſet Pontifex, qui Anagniâ Bononiam vti conuenerat non petijt, Cæſare præſertim eodem ire non recuſante. Neque Fridericus mutatę voluntatis (vt aduerſarij falsò obijciunt) reprehenſionem incurreret ; non enim ipſe , ſed Pontifex pactis non ſtetiſſet ; nam cùm iter Bononiam verſus ſuſcipere deberet, Iaderam diuertit , oſtenditque ſe Cęſaris fidei (qui tamen , vt aduerſarij fatentur , Mutinam , vel vt alij tradunt , Rauennam iuit) parum credere. Hęc igitur commenta ſunt & fabulæ ab aduerſarijs pro arbitratu excogitatę : quod & ipſorum in narrando diuerſitas atque inconſtantia ſatis demonſtrant.

RESPONSIO.

QVOD pertinet ad noſtros ſcriptores inter ſe conciliandos, aio vtrumque vera loqui , atque Vlmum frigidam calumniam ſtruere. De colloquij loco ambobus conuenit fuiſſe Bononiam ; de loco verò ad quem ante colloquium conferre ſe deberet Imperator, vt propior eſſet, nihil dicit Romualdus : quâ igitur ratione actorum ſcriptori repugnat? Quod ad alterum caput ſpectat, vternam ex duobus de præſtituto colloquij loco voluntatem mutauerit ; Pontifex ne, an Cæſar ; dico Cæſarem mutaſſe, non Pontificem. Ille enim per Legatos petijt ne conuentus Bononiæ, vti ſtatutum erat , ſed Rauennæ aut Venetijs fieret. Hic verò Venetias traiecit, Bononiam colloquij gratiâ petiturus. Cur autem Venetias tam deuio itinere ſe cõtulerit, alibi explicauimus.

VLMVS.

F*ICTÆ conciones quas Ferrariæ Pontifex habuiſſe dicitur, & Lombardorum ac Germanorum reſponſiones ab aduerſarijs eodem modo excogitatæ ſunt quo aliæ quas ſupra refutauimus. Hæ præterea falſitatis conuincuntur ex ipſorum narrationis inſtantia; nam Incertus apocryphus ait coram Pontifice inſequenti die poſtquam Ferrariam attigit, Longobardos atque Germanos conueniſſe, inter quos ingens fuerit de loco altercatio vbi de pace agendum erat, petentibus Lombardis Bononiam, Placentiam, Ferrariam, aut Patauium; Germanis verò Rauennam aut Venetias poſtulantibus; ſed Romualdi appendix narrat primò Pontificem die Dominicæ Paßionis Ferrariam perueniſſe, quò nundinarum occaſione plures Epiſcopi atque ingens populi multitudo conuenerat; proxima tamen (quam ego maiorem interpretor) hebdomada, egregiam ad populum orationem (confictam & falſam) dixiſſe, & Lombardos ad ſingula illius capita pluribus reſpondiſſe; quæ omnia fabuloſa ſunt, neque Alexandro, vel ijs quæ interfuere, vnquam in mentem venerunt; à quibus credibile eſt Ferrariæ neque de pace, neque de loco vbi ea ſtabiliretur actum eſſe; cùm Veneti ante diſceſſum Pontificis Venetijs eam per ſuos Oratores a Cæſare poſtulaſſent, illique re infectâ ſolas belli minas reportaſſent.*

RESPONSIO.

HIc etiam quod ſæpe ſolet, Vlmus fallitur. Verba Romualdi
„ hæc ſunt. [Dehinc per Padum Ferrariam cum galeis vn-
„ decim in Dominica Paſſionis aſcendit, vbi ab Epiſcopis multis
„ & eiuſdem Vrbis ciuibus, & magna populi multitudine quæ il-
„ luc propter Feriam quæ ibi celebrabatur, conuenerat, ſatis eſt
„ magnificè & honeſtè ſuſceptus Proximâ verò ſeptimanâ Ra-
„ uennas Archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis, Mediolanenſis Ar-
„ chiepiſcopus cum Epiſcopis & Abbatibus Lombardiæ, Poteſta-
„ tes, Rectores, Conſules, & multi prudentes de ciuitatibus Lom-
„ bardiæ Ferrariam ad Alexandrum Papam feſtino greſſu læta-
„ bundi venerunt; quos Papa paterno affectu, prout decuit, beni-
„ gne ſatis & iucundè ſuſcepit. Altera verò die cum eis in maiori
„ Eccleſia ſancti Georgij congregatâ populi multitudine magnâ
„ conuenit, quos, facto ſilentio, tanquam filios taliter eſt alloquu-
tus.] Eorum ſententia eſt Archiepiſcopos vnà cum alijs qui ad

Pontificem

Pontificem confluebant,prima die proximè ſequentis hebdomadæ, hoc eſt Feria ſecunda ante colloquium, Ferrariam perueniſſe, eoſque Pontificem ſimul cum ijs qui priùs venerant, eâdem die alloquutum; atque ita voces [altera die] non diem aduentus ipſorum,ſed diem aduentus Pontificis reſpicient; quamquam ſi legamus in Romualdo [lętabundi venerant] omnia plana ſunt; nam ſenſus erit eos (proximâ ſeptimanâ) hoc eſt illâ, quæ Dominicam Paſſionis proximè præceſſit, anticipato aduentu Ferrariam veniſſe; id quod ſatis confirmatur ex eo quod multi Epiſcopi dicantur ibidem Alexandrum excepiſſe; quorſum enim illi eò veniſſent, niſi Pontificem, vt de communi pace agerent, præſtolaturi?

V L M V S.

SED vt ad Ferraſienſis itineris explicationem redeamus,cùm à Sigonio & Blondo ſubſcribatur ijs quæ Obo narrat, Ducem & plurimos ex Senatoribus Pontificem Ferrariam comitatos eſſe, mendacij arguitur Pſeudo-Romualdus vbi ait duos Cardinales Venetias miſſos, vt à Duce (qui tamen Ferrariæ erat) promiſſionem exigerent ſe non permiſſurum, vt Fridericus ante confirmatam pacem Venetias ingrederetur; nam ſi Dux vnà cum multis Patritijs apud Pontificem Ferrariæ erat, quorſum Cardinales tanto incommodo eum requirant vbi non eſt? ſed hîc virus latet; non enim alia de cauſa fictus auctor hæc comminiſcitur, niſi vt Veneto populo infamiam texat; nam deinceps dicturus eſt aliquos extitiſſe, qui contra Ducis promiſſionem, Fridericum nondum confirmata pace Clodiâ vbi muſcas admodum infeſtas patiebatur, Venetias introducere vellent. Atque idcircò hîc præſtita à Duce fides præmittitur, vt deinde commodiùs violata fuiſſe demonſtretur; ſed Friderici moram Clodiæ, duobus, quò appulit & quò ſoluit, diebus exceptis, diurnâ longiorem non fuiſſe, ſuprà ſatis oſtendimus, vbi etiam probauimus ſingula illius itineris momenta multo ante præuiſa & conſtituta fuiſſe.

RESPONSIO.

SI loco inanium criminationum quæ non ſemel confutatæ ſunt, argumentorum pondere nobiſcum Vlmus ageret, reſponſionem hic ſuo iure repoſceret; verùm cùm illius verbis nihil præter temerariam calumniandi licentiam ſubeſſe videam,

meum inſtitutum ea quæ nullis confirmantur rationum momentis tacitè prætereundi, nequaquam deſeram.

VLMVS.

NEQVE ingenti difficultate caret quod ab auctore appendicis dicitur, Pontificem vbi die XXIX. *Octobris Sipontum peruenit,* „ *Troiâ & Beneuento celeriter Anagniam petijſſe.* [*Secundo die ſtante* „ (*hoc eſt reliquo*) *eiuſdem menſis Sipontum applicuit, & inde per* „ *Troiam & Beneuentum Anagniam feſtinus aduenit;*] *nam ſi die* XXIX. *Octobris Pontifex celeriter Troiâ & Beneuento Anagniam iter habuit, profecto quatriduo aut quinque dierum ſpatio totum id quod intereſt viæ, ſatis commodè confecit; quare Anagniam die* IV. *Nouembris perueniſſe potuit. Atqui hæc conſentire nequeunt cum litteris ab ipſo Troiæ datis ad Hugonem Etherianum die* XIII. *eiuſdem menſis. Troiâ igitur adhuc eo tempore non diſceſſerat. His etiam magis repugnat Incertus, qui ait Pontificem Anagniam non perueniſſe ante diem* XIV. *Decembris. Hæc ſcilicet fuit itineris celeritas quam Pſeudo-Romualdus commemorat, in via quæ inter Sipontum & Anagniam intereſt, quæque quatuor aut ad ſummum ſex diebus confici ſolet, ſex & quadraginta dies inſumpſiſſe. Et tamen Sigonius, qui nihil ſe ex antiquis monumentis prætermiſiſſe profitetur, quin diligenter inſpiceret, vnà cum Obone affirmat Alexandrum menſe Decembri anno* M.CLXXVII. *Romæ publicâ populi gratulatione & plauſu exceptum.*

RESPONSIO.

SI in Romualdo pro [feſtinus] legatur [feſtiuus] quod à veri ſimilitudine non abeſt, omnis Vlmi conatus cócidit. Quamquam ſi legatur [feſtinus] neque affirmari poteſt quod Vlmus ait, in eo itinere dies ſex ſupra quadraginta inſumptos fuiſſe; nam ignoratur quo die Pontifex Siponto diſceſſerit. Ignoratur præterea quo die poſt decimum tertium Nouembris Troiæ Anagniam versùs ſe itineri commiſerit. Credibile tamen eſt, ſenem laboribus atque ætate confectum, Cardinales, magnámque Romanæ Curiæ partem ſecum deducentem, vt maximè feſtinaret, crebro tamen ſubſtitiſſe; cúmque pergeret, non magnis itineribus proceſſiſſe. Sed iterùm Sigonius apud Vlmum diligens eſt antiquitatis ſcrutator, quia cum Obone dicitur conſentire, dum ait, Pontificem menſe Decembri anni M.CLXXVII. Romam veniſſe; ve-

rum

rùm & hæc laus, quemadmodum ſuperior falsò illi tribuitur; non enim quis cum alio conſentire poteſt, niſi idem ac ipſe ſentiat. At Obo Alexandri in vrbem ingreſſum eo tempore contigiſſe nunquam dixit; & ſanè apud me Vlmi lapſus admiratione non caret, qui putabam ab ipſo omnia, non dicam Obonis verba, ſed ſyllabas memoriter teneri.

VLMVS.

INTERIM Romualdi appendix ſcribit Pontificem Venetijs diſceſſiſſe menſe Octobris, atque Sipontum appuliſſe die XIX. *eiuſdem menſis: quo tamen tempore inde Anagniam diſceſſerit, non explicat; ſed neſcio quo caſu neque Incertus, neque appendix, narrationis ſeriem perſequitur apud Incertum enim vbi dictum eſt Pontificem die* XIV. *Decembris Anagniam perueniſſe, interrumpitur hiſtoriæ continuatio, atque aliena quædam, fortaſſe vt aliò lectoris mens diuertatur, intermiſcentur; vt Belæ Hungariæ Regis reſcriptum datum (vt Incertus ait) anno* M.CLXIX. *quod Bonfinio repugnat, qui Belam Regem creatum ponit anno* M.CLXXIII. *Appendix etiam inſtitutæ narrationis ordinem deſerit; poſtquam enim Pontificem Anagniam deduxit, ſubijcit quandam eclypſim quæ (vt ibi dicitur)* XV. *menſis Martij anno* M.CLXXVIII. *contigit; ſtatimque Siculorum Oratorum domum reditus ſubnectitur; cùmque priùs nihil affirmauerit aut negauerit de Pontificis reditu quo primùm poſt Venetum iter Romam ingreſſus eſt (venerat enim: deinde Anagniam regreſſus fuerat) tradit illum Anagniâ Romam rediјſſe anno* M.CLXXVIII. *quod nos minimè negamus, dum maneat, hunc reditum, non priorem, ſed poſteriorem fuiſſe.*

RESPONSIO.

PONTIFEX poſtquam Venetijs diſceſſit ante mẽſem Martium anni M.CLXXVIII. Romam non redijt, quicquid Vlmus de priore alio reditu, vt ſuos tueatur fabulatores, ſomniet. Si ſcriptores rerum geſtarum Alexandri poſt narratum eius reditum Anagniam non dicunt (quod Vlmus maximè vellet) cum rectà ad vrbem contendiſſe, veritas eſt in cauſa, quæ prohibet: ſi ad alia narranda diuertunt, hiſtorici munus obeunt. Temporis in Belæ Regis reſcripto mendum, neſcio an Bonfinio recentiori hiſtorico, an verò actorum Librario tribuam; facilius enim eſt eorum alterum erraſſe, quàm actorum Alexandri ſcriptorem.

VLMVS.

QVAMQVAM de Alexandri in vrbem ingreſſu, ſeu priore, ſeu poſteriore, die S. Gregorij feſto, nos vehementer dubitamus, grauiſſimo inducti argumento Apoſtolicarum eiuſdem Alexandri litterarum quæ Romæ hoc ipſo anno M. CLXXVIII. *eodemque die* XII. *Martij Monaſterio ſancti Quirini prope lacum Tegerſeum in Bauaria ſunt conceſſæ, hodieque in volumine Metropolitanæ Eccleſiæ Salisburgenſis pag.*CCCCII.*habetur. Non enim credibile videtur Pontificem vix dum vrbem ingreſſum diplomata confeciſſe; cùm præſertim incertus aduerſarius affirmet, eum ex itinere defeſſum horâ nonâ ad portam Cælimontanam perueniſſe, indeque in Lateranenſem Baſilicam maximo honore, ſummâque celebritate deductum, ſolemnibus precationibus veteri ritu inſtitiſſe; quibus rebus haud exiguum temporis ſpatium inſumptum veriſimile eſt, denique vbi ſe in cubiculum recepit ex defatigatione itineris ante cænam aliquandiu decubuiſſe. Quare quid ea die temporis ad bullata diplomata perficienda ſupereſſe potuerit omnes vident. Quid quod Abbas ſancti Quirini, qui tunc in Bauaria erat, & tamdiu eo priuilegio caruerat, non grauatè tuliſſet ſi Pontifex eius confectionem in alium diem diſtuliſſet? cùm præſertim neque negotij neceſſitas, neque petentis vrbanitas pateretur, vt tam importuno tempore Curiales alijque Miniſtri, atque adeò ipſe Pontifex ſcribere, ſubſcribere, ſignum apponere, aliaque id genus efficere cogerentur, quæ nullius incommodo alia die peragi poterant. Cùm ergo literæ de quibus agimus, vt ex ipſis liquet, die* XII. *Martij datæ fuerint; inde ſatis probabiliter efficitur, Pontificem anteà Romam perueniſſe, diéque ſancti Gregorij feſto alijs occupationibus minimè intentum, diplomatis conficiendis vacare potuiſſe; niſi forte dicamus eum celebrando ſancti Gregorij feſto, quod ſolemni ritu magnáque populi frequentiâ coli antiquitùs ſolitum Innocentius tertius in ſermonibus docet, fuiſſe diſtentum; neque à veri ſimilitudine abhorret alia eiuſdem Pontificis diplomata ante eum diem Romæ data in tabularijs aſſeruari, quæ nos videre non poſſumus. Si autem quis contendat Alexandrum die* XII. *Martij Vrbem ingreſſum, verum id erit non de priori celeberrimo & publico; ſed de poſteriori priuato ingreſſu; nam celebritas quę ab aduerſarijs additur, ad rethorica ornamenta, ſeu potius ad poëtica figmenta pertinet. Fieri igitur potuit, vt eâ die Pontifex, non Anagniâ, ſed ex propinquo Tuſculano (quò Pontifices ad ingentium curarum remiſſionem, animíque laxamentum identidem ſecedere, non modò antiquitùs, ſed etiam hac tempeſtate conſueuerunt) rediens, vrbem ingreſſus ſit.*

RESPONSIO.

RESPONSIO.

PRIVILEGIVM de quo hîc agitur, ab Alexandro conceſſum eſt Monaſterio ſancti Quirini anno ab Incarnatione Domini M. CLXXVIII. die XII. Martij indictione XII. anno Pontificatus XX. Videat Vlmus quæ ſuprà de annorũ ab Incarnatione & à Natiuitate diſcrimine pluribus docuimus; atque tum ex ijs, tum ex indictione XII. annoque Pontificatus XX. die XII. Martij colliget, diploma datũ fuiſſe anno à Natiuitate M. CLXXIX. non MCLXXVIII. neque eſt quod in ſubſcriptionibus & Curialium labore, importuno maximè tempore vim faciat; ſi enim Romanæ Curiæ conſuetudinem noſſet, intelligeret diem conceſſi Priuilegij, non à Pontifice, ſed ab alio apponi, cæteráſque ſubſcriptiones multis interpoſitis diebus vt plurimum fieri; ita tamen vt ad conceſſi priuilegij diem referantur. Cætera quæ ab Vlmo adijciuntur quia leuibus coniecturis, non argumentis innituntur, confutare prætermittimus.

VLMVS.

INGRESSVS *eſt igitur Vrbem Pontifex anno* M.CLXXVII. *menſe Decembri Venetijs diſcedens & mari, terráque rectá iter habens, vt Obo, Sigonius & alij teſtantur. Narrationum autem ea de re varietas inde ortum habuit quòd appendicis auctor primi ingreſſus oblitus, ſecundum ſolum aut tertium perſequutus eſt; cui inhærens aduerſarius Incertus illáque ab eo deſumens quæ breuiter & contractè dicta fuerant, rethoricis, aut potius poëticis pigmentis (quæ illius eſt conſuetudo) exornat atque amplificat; tantamque illi affingit celebritatem, vt nonniſi primò ingreſſui conuenire poſſe videatur. Appendicis tamen auctor id nequaquam voluit, qui quanquam dixit, Pontificem tunc ingreſſum [cum ſummo honore & gloria,] à conſueta tamen hęc deſcribendi forma non diſceſſit, qua etiam Incertus vſus eſt in Adriano qui Romam [cum gloria & honore debito remeauit;] quamuis non tunc primò Vrbem intraret. Accedit quod appendix ex qua narrationes exſcribere Incertus ſolet, ait Pontificem tunc Romam ingreſſum poſtea quam aliquot diebus Anagnię commoratus fuiſſet [aliquantis diebus,] nec dixit [menſibus] vt intelligi geretur, eum prius à menſe Decembri vſque ad exitum fermè February Romę fuiſſe, indeque Anagniam regreſſum, atque ibidem non integro menſe commoratum Romam red. ſ-*

ſe. Neque mirandum eſt ab auctore appendicis primùm Pontificis in Vrbem ingreſſum ſileri; nam eodem anno M. CLXXVII. *etiam ſiluit, quo primum tempore Vvilhelmi Regis Oratores Alexandrum Veſtæ vel Anagniæ conuenerint; nihilominùs tamen antequam nauigationem referat, ait illos Pontifici adfuiſſe, etiamſi quomodo aduenerint ignoretur; ſed verius dicimus in appendice idcircò prioris Alexandri in Vrbem aduentus mentionem non haberi, quia auctori ignotus fuit. Hoc autem quamuis Romualdus (quod minimè credimus) eius hiſtoriæ auctor ſit, ex appendice colligimus, in qua dicitur eum vnà cùm Rogerio Andriæ Comite Venetijs diſceſſiſſe die* XVI. *Auguſti, Pontifice inibi adhuc remanente, quem neque ipſe neque eius collega, niſi poſt longum temporis interuallum reuiſit; cùm hic (quemadmodum in noſtro habetur manuſcripto) Panormi vſque ad Ferias Bachanales deſederit: ille vſque in Quadrageſimæ dimidium Panormi moratus, Salernum ad ſuam Eccleſiam ſe receperit. Quare neque ipſemet Romualdus à die* XVI. *Auguſti anni* M. CLXXVII. *vſque ad exitum Martij anni* M. CLXXVIII. *ſcire potuit quidnam rerum Pontifex ageret.*

RESPONSIO.

MIRA ſunt quæ Vlmus vndequaque congerit vt Lectori perſuadeat, Alexandrum Pontificem Romam ingreſſum fuiſſe anno M.CLXXVII. extremo (credo) vt tubis argenteis & Vexillis, Venetorum Ducem maiore auctoritate donet; ſed pace Vlmi atque Obonis dictum ſit, neque Alexander Romam vidit anno M. CLXXVII. neque Sebaſtianus Venetorum Dux eò Pontificem cum Imperatore proſequutus eſt. Quæ de poſteriore Pontificis in Vrbem ingreſſu Romualdi, & vitæ Alexandri verba Vlmus interpretatur, omnem reſpuunt interpretationem cum planiſſimè de primo ingreſſu loquantur; neque vim facere poteſt in vocibus [aliquantis diebus] quibus Romualdus Alexandrum Anagniæ commoratum fuiſſe tradit, vt ſenſus ſit, Alexandrum cum die XIV. Decembris anni M. CLXXVII. Anagniam perueniſſet, inibi paucis diebus ſubſtitiſſe, atque ante annum exactum Romam ſe contuliſſe; nam voces [aliquantis diebus] non abſurdè ſeſquimenſis ſpatium ſignificare poſſunt, ita vt extremo Ianuario anni M.CLXXVIII. Pontifex iter Romam verſus ſuſceperit, in eóque identidem ſubſiſtendo alterius fermè ſeſquimenſis tempus inſumpſerit. Exemplum aduentus Siciliæ Regis Oratorum, quem Vlmus à Romualdo prætermiſſum ait, parum facit ad rem;

rem; nam de illis in controuerſiam non vocatur vtrum primò ſolùm, an ſecundò aduenerint; aduenisse enim ſemel conſtat, quamuis quo tempore aduenerint, vt res exigui momenti, prætereatur. Primùm denique Alexandri in Vrbem aduentum Romualdo ignotum fuiſſe (quòd ipſe Comes non adeſſet) tam friuolum eſt, quàm ſi quis dicat ea omnia hiſtoricis ignota fuiſſe, quæ ſuis ipſis oculis non hauſerunt.

FABVLOSÆ DE ALEXANDRO III. narrationis occaſio explicatur.

ETsi ea quæ ab Vlmo tum contra Baronium, tum contra ſcriptorem actorum Alexandri & Romualdum dicta ſunt, non ita confutauimus, vt ſingula perſequeremur diligenter; ſummis tamen delibatis rerum capitibus, quod noſtrum fuerat inſtitutum, fabulæ de Alexandri tertij Pontificis fuga, déque Ziani Veneti Ducis pugna contra Othonem, quantum ſatis videbatur, laruam detraximus. Et quamquam ea accerſitis vndique pigmentis artificioſè & veteratoriè à ſuis aſperſa eſt; tamen quod illam in bono lumine (vt ſpero) collocauerim, facilè natiuum veritatis colorem & quæſitum falſitatis fucum lector diiudicabit. Illud reſtat, vt quoniam nihil tam abſurdè fabuloſum eſt, quin aliquo ſaltem remotiſſimo veritatis fundamento innitatur; ea proferamus in medium quæ huius fingendæ narrationis occaſionem præbuere.

Fridericus II. qui anno ſal. M. CXX. poſt Friderici primi obitum trigeſimo, Imperij habenas ſuſcepit, Gregorio nono atque Innocentio quarto Romanis Pontificibus apprimè infenſus fuit, eáque toto vitæ decurſu geſſit quæ cum Friderici primi factis maximam habent affinitatem; nihilo ſecus enim, atque ille, & Pontificem ita inſectatus eſt, vt eidem in Galliam commigrandum fuerit, & à Concilio ibidem per eum coacto, anathemate eſt notatus, & loca vrbi vicina occupauit atque diripuit, & aduersùs Mediolanenſes, qui Pontificis partes tuebantur, malè pugnauit, & Venetias ſeſe contulit. Contrà verò quæ Friderico primo ab Obone cæteriſque eius ſectæ Hiſtoricis falsò tribuuntur, omnia Friderico ſecundo contigere; nam, & poſt pugnam cum Mediolanenſibus, exercitus parte amiſsâ, tranſcenſo Appenino, primò Lucam, deinde per Etruriam & Latium in Campaniam atque in Apuliam contendit, & illius aduentu territus Pontifex Ana-

gniâ exceſſit, & Mantuæ cum Venetis Legatis, quod eorum ciuitas Pontificis partes ſequeretur, expoſtulauit, & Veneti vnà cum Pontifice communibus expenſis, adornatâ claſſe in mari Adriatico, eius triremes fuderunt, fugarúntque; & Otho Cardinalis ex Anglia & Gallia Genuenſium triremibus in Italiam traijciens, à Piſana claſſe, cui Entius Friderici filius præerat, commiſſo prælio captus, ad Pontificia comitia eâ conditione dimiſſus eſt, vt iureiurando promitteret, ſe, niſi Pontifex renunciaretur, in carcerem rediturum; atque vt omnia quæ de Friderico primo finguntur in ſecundum quadrent, idem Otho poſtea de pace cum Pontifice, & Friderico tranſegit. Hæc vel ab imperitis, vel à ſubdolis hiſtoricis cum rebus Friderici primi permixta, atque confuſa, quaſi ab illo facta eſſent, in vnam narrationem, veluti in vnum corpus coagmentata ſunt. Hinc tot commentarij, tum maternâ Venetorum linguâ, tum Latinâ, quos mirum in modum inter ſe diſſidentes atque anilibus fabellis refertos in Vaticana Bibliotheca cernimus: hinc picturæ: hinc inſcriptiones, & alia tam multa, quæ ad confirmandam eius narrationis auctoritatem, & anteà excogitata ſunt, & quotidie excogitantur, ortum habuer. Videlicet, quæ primò dubijs, obſcuríſque initijs ſeſe prodiderant, nouis ſubinde incrementis, veluti confluentibus vndequaque riuis immenſo auctu excreuere; vt mirum non ſit, viros cæteroqui prudentes ac veritatis ſtudioſos, falſæ huius opinionis fluctibus abripi, eodemque quo imperitum vulgus errore inuolui ſe paſſos eſſe. Nihil eſt tam abſonum, nihil tam abſurdum, quod ſi hiſtoricum habeat à quo narretur, ab indocta multitudine pronis auribus non accipiatur. Quid magis à ſimilitudine veri abhorrens, quàm Ioannis fœminæ Pontificatus? Quid magis falſum, quàm Silueſtri ſecundi optimi Pontificis magicæ præſtigiæ? Quia tamen Conſtantinopoli fœmina olim Patriarchatum obtinuit, & Silueſter Mathematicas diſciplinas probè calluit, barbaris atque impolitis ſæculis rudes Hiſtorici ea litterarum monumentis mandarunt, vnde Platina in errorem turpiter inductus, alijs deinceps errandi occaſionem dedit. Nullæ ferè ſunt Prouinciæ: nullæ ciuitates, in quorum veteres annales, æui quo ſcripti ſunt inſcitiâ ac vitio aliqua fabuloſa non irrepſerint. Eo porrò nomine plurimùm Baronio debemus, qui veritatis ſtudio incenſus, nihil ſubterfugit laboris, nihílque diligentiæ prætermiſit, vt bonorum auctorum ſcripta in lucem proferret; aliorum verò qui eidem tenebras offundere conátur, dicta labefactaret & planè conuelleret.

Initio polliciti ſumus, nos eas tùm actorum Alexandri Tertij, tùm Salernitani chronici partes quæ Alexandri Pontificis, & Friderici Imperatoris controuerſam hiſtoriam complectuntur, in lucem edituros. Vt fidem liberemus, hîc eorum narrationes à quinto Friderici reditu in Italiam, qui anno ſal. M. CLXXIII. contigit, vſque ad operis vtriuſque finem, ex Vaticanis codicibus ſumma integritate, ac diligentiâ exſcriptas, communis & publici iuris facimus.

EX

ACTIS ALEXANDRI III. DE QVINTA REVERSIONE FREDERICI IN LOMBARDIAM.

EODEM tempore in anno XV. Pontificatus Domini Alexandri Papæ Fridericus Imperator dictus ad ſuggeſtionem Papienſium & Marchionis de Monteferrato quinta vice in Lombardiam hoſtiliter remeauit; tranſiuit enim per Montem Senonum, & in multitudine graui deſcendens ad planitiem, tertio Kal. Octobris, caſtrametatus eſt iuxtà Secuſiam; altera autem die conceptum furorem ampliùs occultare non valens, in primordio deteſtabilium operum ſuorum Ciuitatem ipſam combuſſit, & exindè acies ſuas versùs Aſtam ad exercenda reliqua mala direxit; habebat enim circà ſe multitudinem copioſam barbaricæ gentis, homines aſſuetos in bellicis actibus, viros nequiſſimos, rapaces, & deſperatos, quos de Flandria, & circumpoſitis locis collegerat, & quos neminem amantes amat nemo.

Lombardi verò in vno Spiritu & in vna voluntate coniuncti, quoniam ipſius Friderici reditum ex longo præceſſerant, Ciuitates ſuas & arces benè munierant, & ad reſiſtendum ſibi in faciem tanquam viri bellicoſi & potentes, intrepidi exiſtebant. Miſerunt itaque ad ſubuentionem Aſtenſium, qui ſecum iamdiu confœderati fuerant, viros induſtrioſos, in conſilio valdè prouidos, & in armis probatos, quatenus eoſdem Aſtenſes contra impetum ſuperuenientis hoſtis animoſiores redderent, & cùm res exigeret pro ſua libertate manu tenenda, eorum exhortatione fortiùs dimicarent. Illi verò deteriùs ſibi prouidentes in poſterum impudenter receſſerunt à confœderatione Societatis Lombardorum, & præſtantes ſe in conſpectu iam dicti Friderici, tradiderunt ciuitatem in manu & poteſtate ipſius. Aſtâ itaque ſubiugatâ idem

fœdere

fædere ſe ſuper ipſum extollẽs ad deſtructionem ciuitatis Alexandriæ, quam nouiter Lombardi conſtruxerant ad honorem Beati Petri, cum Papienſibus, & Marchione Montis Ferrati conatus eſt feſtinare, ſed quia in cunctis actibus ſuis Deo & Eccleſiæ aduerſabatur, vniquæ diſpoſitioni eius omnipotens Deus mirabiliter obſtitit, & ſuum propoſitum diſturbauit; tantam namque pluuiarum inundationem repentè de cælo emiſit, vt omnia flumina redundarent, & in paludes cuncta campeſtria verterentur. Videns autem Alexandriæ populus de cœlo auxilium ſibi conferri, qui iam metu terribilis Principis fugam parauerat, reſumpſit vires & animos, atque ad reſiſtendum innumeroſæ aduerſariorum multitudini, de Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſuffragio confidens, poſtpoſitâ trepidatione, ſe viriliter præparauit; ſed quamuis aſperitas hyemis, & imminens pluuiarum ac niuium difficultas eumdem Fridericum ad Alexandriam dehortarentur accedere, nihilominùs tamen in fortitudine ſua proceſſit, & caſtra iuxta ipſam ciuitatem in territorio aquoſo vtcumque firmauit. Diligenter itaque circumſpiciens, quòd eadem ciuitas præter foſſata & vicinitatem fluuij Tarmeris, nullo murorum vel turrium gauderet præſidio, deſpexit eam, ſperans inaniter, quòd in primo cõgreſſu poſſet ipſam omninò delere. Collectis igitur cunctis viribus ſui exercitus in eoſdem Alexãdrinos grauiſſimum fecit aſſultum. Applicuit quoque ad aggeres diuerſi generis machinas, & diù cum eis atrociter dimicauit; ſed auxiliante Domino præualuit Alexandrinus populus, & machinis hoſtium per violentiam captis totam illam barbariem, non ſine occiſione, vſque ad tentoria fugere compulit. Vnde quia idem Fridericus viſus eſt ſuperari, in iracundiam maiorem exarſit, & ideò contra conſilium & voluntatem Principum ſuorum in obſidione ipſa, quouſque victoriam obtineret, morari diſpoſuit; ſed quoniam hyemis aſperitas imminebat, & exercitus omnium patiebatur neceſſariorum indigentiam, equorum multitudo cæpit omninò deficere, & militum apparatus immodico pretio diſtrahi, nec tamen pro his vel alijs difficultatibus ab Alexandrinorum impugnatione iracundia Imperialis ceſſauit, licet ab eis ſemper triſtiorem vicem reciperet. Cùm autem neque terroribus neque blanditijs, neque promiſſionibus ciues ipſos ad deditionem inclinare poſſet, vllatenùs ſubterraneos meatus occultè fieri fecit, per quos ciuitatem ipſam ex improuiſo intrare ſperauit atque inuadere; ſed reſiſtente Domino, inde pernicioſam iacturam incurrere meruit,

vnde in futuro victoriam & triumphum conſequi credidit; & quoniam eadem ciuitas iam per quatuor menſes diſtrictè obſeſſa fuerat, & in multis patiebatur indigentiam, Lombardorum vires & ſuffragium communiter poſtulauit.

QVOD LOMBARDI ALEXANDRINIS viriliter ſuccurerunt.

TVNC immenſa ciuitatum Lombardiæ ſocietas citiſſimè in vnum conuenit, & de communi omnium voluntate firmiter ſtatuit vtcum abundantia victualium & alijs neceſſarijs ad Alexandriam in manu valida ſine mora feſtinare deberet. Mediante igitur Quadrageſima omnes ciuitates & nobiles totius Liguriæ ac Marchiæ & Emiliæ apud Placentiam conuenerunt, & ritè diſpoſitis atque ordinatis omnibus quæ ad bellicos vſus videbantur ſpectare, cum nauibus & plauſtris victualibus oneratis & armis exierunt de ipſa ciuitate: proceſſerunt autem in multa fortitudine militum & peditum armatorum, baliſtarum etiam & arcariorum verſus Alexandriam, & in Dominica de Ramis Palmarum iuxtà Terdonam caſtra ſua non longius à caſtris Friderici, quàm per decem milliaria poſuerunt. Vbi verò Theutonici cum Lombardis ad alterutrum ſe conſpexerunt, timor & hebitudo mentis Fridericum inuaſit. Attendens ſtare contrà ſe armatorum terribilem multitudinem velut caſtrorum aciem ordinatam, & exinde ad conſueta calliditatis argumenta ſe conuertens, Alexandrinis in dolo placidè loquutus eſt hæc verba.
„ [In craſtinum Sanctus dies Veneris imminet, quem omnis
„ Chriſtianus deuotiſſimè colit, & ideò pro reuerentia Crucifixi
„ treguam vobis & ſecuritatem vſque in ſecundam Feriam ex im-
„ periali benignitate concedo & largior.] Receptaq; itaque ſecuritate cum ſinguli de Populo nihil mali ſuſpicantes dormirent ſecurè in domibus ſuis, eorum inſidiatorum circa primam vigiliam noctis fortiores viros armatos in ciuitatem per ſubterraneos meatus intrare præcepit, & ipſe cum toto exercitu ad portas ſtetit armatus, expectans quouſque illi quos præmiſerat ciuitatem intraſſent, & conclamantium voces audiret; quatenùs dum bellum intrinſecùs ageretur, ipſe de foris per portas violenter irrueret, & ciuitatem hoſtiliter occuparet; ſed à Domino factum mirabile in oculis omnium fuit, quòd eadem ciuitas à tàm

peruerſa proditione in momento liberaretur, & inuenta iniquitas in peruerſorum caput iuſtè retorqueretur; nihil enim iuſtiùs quàm necis artifices ſua lege perire. Veritas ſic de reprobis loquitur. [Conuertetur dolor eius, & in verticem ipſius i. e. d.] & rurſus. [Qui proximo ſuo parat f. i. p. inci. i. eam.] Cùm igitur violatores qui cuſtodiebant ciuitatem, armatorum cuneos ciuitatem ingreſſos fuiſſe viderent, exclamauerunt vocibus magnis, vt populus citò ad arma conſurgeret, & ingreſſos hoſtes expelleret. Tunc ciues ſubitò expergefacti velociter conuolarunt ad arma, & tanquam leones audacter irruerunt in hoſtes, quos cum Beato Petro, quem ante ſe in albo equo & coruſcantibus armis præire cernebant, proſtrauerunt in terram, & in gladio compulerunt omnes qui mortem euaſerant, exire ſuper ipſos aggeres, ex quibus præcipitabantur inuiti. Omnes prætereà, qui de ſubterraneis meatibus nondum exierant, ſuperiori terrâ cadente ſuffocati ſunt. Apertis autem portis exiuit populus in fortitudine magna: exercitum perfidi Friderici vſque in diem Sabbathi percuſſit in gladio; ità quod vſque ad ipſius caſtra mortuorum ſtrages vſquequaque iacebant. Inſuper ligneum caſtellum quod in perniciem ciuitatis ex fortioribus & electis militibus ſtudioſè armauerat, tandiu viriliter expugnauit, quòuſque illud cum ipſis militibus violenter combuſſit.

QVOD FRIDERICVS AB OBSIDIONE Alexandriæ confuſus receſsit.

VIDENS igitur Fridericus diuinam ſibi maieſtatem in omnibus aduerſari, timuit ne propter ſuperuenientium Lombardorum exercitum incurreret violentiam, & cum rubore cogeretur ab obſidione diſcedere; quocirca in proxima nocte caſtra fecit comburi, & in Dominicæ Reſurrectionis aurora cum omnibus ſuis versùs Papiam iter ſvum direxit. Sed quoniam vitare non poterat, quin iuxta expeditionem Lombardorum tranſitum faceret, eâ aſtutiâ propè Lombardos in villa, quæ vocatur Guiguella, voluit caſtra metari; quia non verebatur ab eis offendi, niſi priùs ab ipſo fuiſſent hoſtiliter prouocati. Lombardi verò nondum cognouerant ea quæ omnipotens Deus heſternâ die cum Alexandrinis mirabiliter fecerat; ſed vbi viderunt Fridericum erectis vexillis contrà ſe venientem, aſſumpſerunt arma, & coram eo parati ad pugnam viriliter ſteterunt in armis, expectantes, quid

potiùs faciendum eligeret, an inciperet bellum cum ipſis, quod
minimè credebatur, quia valde pauciores quàm ipſi viros bella-
tores habebat; an quietè caſtra metaretur & neminem læderet.
Ipſe verò eadem die quam fecit Dominus, reſedit pacificè in præ-
dicta villa. Illuceſcente autem ſecundo die, quidam nobilium, qui
nulli partium habebantur ſuſpecti; priùs ad fr. & conſequenter ad
„ Lombardos humiliter acceſſerunt in hæc verba. [Quæ maior in-
„ ſania, vel quod excellentius malum excogitari poteſt, aut opera-
„ ri, quàm vt Dominus ſeruum, ſiue ſerui Dominum iure ſuo pri-
„ uare omninò conentur, & per violentiam poſſidere? Sit ergo vna-
„ quæque pars ſuo iure contenta, & tàm grauibus malis iam ceſſan-
„ tibus pax optata inter vos, cooperante Domino, reformetur.]
Tunc Imperator ſuſpirans poſt multa quæ hinc inde allegata fue-
„ rant, ſic reſpondit. [Ego, ſaluo Imperij iure, ſuper hac contro-
„ ſia paratus ſum ſtare arbitrio bonorum virorum vtriuſque partis]
& conſequenter communitas Lombardorum dixit. [Saluâ Ec-
„ cleſiæ Romanæ ac noſtrâ libertate, pro qua decertamus, nos iti-
„ dem facimus;] & ſtatim electi ſunt à Friderico Philippus Colo-
nienſis, Electus G. de Palaſca Taurinenſis Capitaneus, & R. de
ſancto Halario Papienſis: à Lombardis verò G. Piſtis de Medio-
lan. G. de Gambara Brixien. & C. de Verona, in quos vtraque
pars hilariter compromiſit.

Poſt hæc Lombardi ad Fr. reuerenter acceſſerunt, & honora-
uerunt eum, à quo ipſi benignè recepti & honorati ſunt.

His itaque vtrinque ita peractis, Fr. exercitum abire permiſit, & cum vxore ac filijs, & domeſtica familia in ciuitatem Papiam deſcendit; Lombardi verò ad propria cum gaudio redeuntes, obuiauerunt ſecus Placentinam Cremonenſes cum carroccio ſuo & expeditione ſua; ipſi enim ſemper claudicauerunt in facto communitatis ciuitatum, reſpectu amicitiæ Papien. & ideò ſtudioſè prius alios diſtulerunt exire, vt diſturbaretur expeditio communitatis pro retardatione ipſorum. Cognito igitur quòd ſine ipſis facta erat prædicta concordia, confuſi ſunt in erubeſcentia ſua. Tunc populus Cremon. in Conſules ſuos nimiùm exardeſcens, ciuitatis ſuæ contumeliam grauiter re indicauit. Funditùs diruens palatia eorum ac domos, bona omnia diripuit, & alios in loco eorum Conſules, ipſis depoſitis ſubrogauit. Quamuis autem Lombardorum ciuitates cum eodem F. de concordia & pace tractarent ad inuicem, cognoſcentes tamen verſutias hominis illius, nihilominùs ſibi ab eo cauebant inpoſterum. Propterea confede-

rationis

rationis ſuæ iuramenta ſollicitiùs innouarunt, & in cunctis maiorem circumſpectionem ſemper geſſerunt.

DE EO QVOD FRIDERICVS A ROMANA Eccleſia per ſe ipſum pacem ſimulatè quæſiuit.

FRIDERICVS verò cùm apud Papiam diutiùs moraretur; & in cunctis actionibus ſuis euentus ſemper ſiniſtros haberet, vt religioſos viros & vulgarem populum ſibi fauorabilem redderet, pacem Romanæ Eccleſiæ quam præ cæteris rebus affectare publicè aſſerebat, per ſe ipſum requirere ſtuduit. Miſit ergo per litteras & familiares ſuos ad Hoſtienſẽ & Portuenſẽ Epiſcopos & Cardinalem ſancti Petri ad Vincula, vt pro reformanda pace inter Eccleſiam & Imperium ad eum ſecurè accederent, quatenus viua voce ad alterutrum opus ipſum tractare & ad optatum finem cum honore Eccleſiæ poſſent Domino cooperante perducere. Quod verbum poſtquam ad aures Apoſtolicæ ſedis peruenit non immeritò ſuſpectum omnibus fuit; tùm quia præteritorum exhibitio, futurorum certitudinem demonſtrabat: tùm quia idem Fr. nondum videbatur ad aliqua bona opera vllo modò inclinari. Verumtamen quoniam ſecundùm Beati Auguſtini dictum, dubia ſemper in meliorem partem ſunt conuertenda, & quia pax non ſolùm requirenda, ſed perſequenda eſſe deſcribitur, Dominus Alexander Papa de communi fratrum ſuorum conſilio prædictas perſonas plenè inſtructas ad præſentiam ipſius Principis honorificè deſtinauit. Eis igitur ſegregatim per diuerſas regiones proficiſcentibus plebs vniuerſa in iucunda eorum inſpectione lætabatur in Domino, & ad conſignationem puerorum ipſis copioſam multitudinem infantium præſentabat. Epiſcopus namque Portuenſis & Cardinalis ſancti Petri ad Vincula per Spoletum & Imolam atque Bononiam honorificè trãſeuntes vſque Placentiam proceſſerunt, ibique aduentum Hoſtienſis Epiſcopi qui per Piſanam & Lucanam ciuitates cum gloria & honore tranſiuit, per dies aliquot expectarunt. Interim verò vt cum Rectoribus ciuitatum Lombardiæ ſuper his quæ impoſita ſibi fuerant, in ſimul haberent colloquium; perrexerunt Laudem. Completo itaque ipſo colloquio, audierunt Placentiam Hoſtienſem Epiſcopum perueniſſe, ad cuius præſentiam celeriter peruenerunt. Vt autem ipſi tres Apoſtolicæ ſedis Legati fuerunt in ſimul, nunciauerunt Fr. aduentum ſuum, petentes ab

eo, vt quid eos vellet agere ipſis continuò ſignificaret; quibus ille benignè reſpondens, mandauit vt tranſito flumine Pado ad eum ſecurè accederent. Tunc Legati de ciuitate Placentia cum magno Clericorum & Militum comitatu exeuntes, proceſſerunt ad Padi ripam, & in præparatis nauibus tranſeuntes, venerunt in ciuitatem Papiam, in qua honorificè recepti fuerunt & hoſpitati. Altera autem die Imperatore cum Principibus, & multo ac celebri populorum concurſu in publico reſidente, Legati ad eius præſentiam pariter acceſſerunt. Cùm igitur ante ipſius conſpectum introirent, & prope illum ex oppoſito in ſuis faldiſtorijs conſederent, continuò idem Imperator depoſito quod geſtabat in capite pileo, eoſdem Legatos, ſicut relatio declarauit, interpretis ſermone theutonico ſalutauit; addens quod ipſorum ſibi plurimum complacebat, & eorumdem præſentiam valdè habebat acceptam; ſed vt conſiderata quæ gerebant proponerent, hilari vultu præmonuit. Tunc Epiſcopus Hoſtienſis ſtetit in medio, & in communi audientia omnium, iucundâ facie ita reſpondit.

„ [Salutatio tua Domine Imperator grata nobis eſt, & valdè „ accepta, ſicut præcellentiſſimi Principis & excellentiſſimæ po„ teſtatis; ſed in huius ſalutationis alloquio illud nos vehementer „ exaſperat, quòd ad præſens, peccatis exigentibus, verſâ vice, ſi„ cut optamus, vos reſalutare non poſſumus. Faciat itaque Omni„ potens Deus per ineffabilem bonitatis ſuæ clementiam cum „ ſponſa ſua ſacroſancta Eccleſia & Imperio tuo illam concor„ diam & vnitatis pacem, vt quod modò abſque ſcrupulo con„ ſcientiæ non poſſumus, in proximo affectuosè propitiante Do„ mino valeamus implere. Nos verò propter hoc pium opus, „ quantum in nobis fuerit proſequendum, ad vocationem tuam „ ſpecialiter venimus, non in nobis, vel de noſtris meritis præſu„ mentes, ſed in illius fiducia huius operis efficaciam ponimus, qui „ cum ad prædicandum mitteret diſcipulos ſuos, dixit: Ego vos „ elegi & poſui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus veſter „ maneat.] Et incipiens ab exordio ſchiſmatis, ita vniuerſæ Eccleſiæ grauamina & manifeſtam Imperij deplorauit iacturam: ita pro vtriuſque partis concordia & pace intrepidè perorauit, vt omnes qui aderant in verbis eius mirarentur, & gaudentes in „ cordibus ſuis ad inuicem dicerent: [Non enim hic homo qui lo„ quitur, ſed Spiritus Dei Patris qui habitat in eo.] Deinde abbreuians verbum, Imperatoris duritiam in eo maximè increpando

do redarguit, quod vbi quatuor illæ perſonæ quæ de eo corpore Eccleſiæ ſibi adhæſerunt, de medio per iudicium Dei erant ſublatæ, & totus Orbis vnum Romanum Pontificem in Patrem & animarum ſuarum Paſtorem receperat, ipſe ſolus non debebat vnitati Catholicæ amplius aduerſari, ſed in vnam ſanctam & Apoſtolicam Eccleſiam credere, & ei humiliter obedire. Poſt hæc Epiſcopus Portuenſis & Cardinalis ſancti Petri ad Vincula circa eamdem materiam compendioſum fecerunt ſermonem, & ad pacis bonum Imperatoris animum inclinare, nunc blandis, nunc aſperis nihilominus ſtuduerunt. Tunc Imperator compunctione plurimâ placidum dedit reſponſum, & optatæ paci omnem promiſit aſſenſum, aperiens dolorem ſui cordis quo ſe intrinſecus vehementer vri aſſeruit, pro eo quòd Eccleſia Dei ſub tantæ tribulationis diſcrimine fluctuaret; & dictis, omnes ad hoſpitia pariter redierunt; ſed poſt modicum ſpatium Legati eiuſdem Friderici Curiam frequentantes de pacis bono qualiter inter ipſum & Romanam Eccleſiam eiuſque adiutores, Lombardos videlicet, Siciliæ Regem, & Imperatorem Conſtanrinopolitanum reformari poſſet, modò cum eo ſolo, modò cum eo & eius Conſiliarijs per dies plurimos contulerunt. Vt autem ſuper his tractatibus abſque ſuæ perſonæ præſentia cum Lombardis facilior opportunitas haberetur, Imperator vices ſuas C. Cancell. P. dicto Colonienſi electo, & A. Protonotario ſuo conceſſit, quatenus collatione habitâ de contrarierate capitulorum, quam poſſent moderantiam adhiberent, & ad notitiam ipſius cuncta referrent. Ipſi verò cum Legatis & Lombardorum Rectoribus, nunc in ſuburbijs, nunc in vrbibus, prout eis competentius videbatur, de pacis reformatione inſimul frequentiſſimè tractauerunt; ſed cum ea quæ viciſſim petebantur, ad Imperatoris notitiam referrentur, ipſe in cunctis modum nimis excedens, & ab Eccleſia in ſpiritualibus poſtulauit, quod nulli vnquam laico inuenitur fuiſſe conceſſum, & à Lombardis vltra quod Carolus & Ludouicus atque Otho Imperatores contenti fuerunt, exegit. Cùm igitur à ſuo propoſito prauo Fr. recedere nullatenus vellet, Legati à ſanctorum Patrum Regulis & Conſtitutionibus deuiare nolentes, eo in erroris ſui perfidia derelicto ad præſenriam Domini Papæ ac fratrum ſuorum Collegium ductore Domino redierunt. Lombardi verò antiquam ſuę libertatis poſſeſſionem viriliter defendentes, improbitati eiuſdem Fr. fortius ſolito reſtiterunt, & Papienſes cum Marchionibus & Cumanis aſſiduis deuaſtationibus expugnabant.

DE CONSTITVTIONE EPISCOPATVS Alexandriæ.

EODEM tempore Alexander Papa Eccleſiam Alexandriæ ad poſtulationem Mediolani Archiepiſcopi, & comprouincialium Epiſcoporum atque Rectorum ciuitatum Lombardiæ, Epiſcopatum conſtituit. In qua fecit in Epiſcopum eligi Arduinum Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum, à Mediolan. metropolitan. tanquam ſuum ſuffraganeum conſecrandum. Præterea Papienſem Epiſcopum Crucis & pallij dignitate priuauit, eò quòd ciuitas eius Octauiano Hæreſiarchæ ac Fr. Imperatori excommunicatis adhæſit, & poſt ſatisfactionem præſtitam eumdem Fr. in grauem iacturam Eccleſiæ ac Lombardorum præſumpſit in Italiam reuocare. Hæc namque ciuitas, ſicut geſta Pontificum Romanorum declarant, ab antiquò receptaculum fuit Regum Eccleſiam & Pontifices Romanos perſequentium; Aſtalphus enim Rex Lombardorum Rauennaten. Exarchatum Stephano Papa ſecundo violenter abſtulit, & alia grauia mala Eccleſiæ Romanæ atque vrbi tamquam vir nequam & peſſimus, Dei & Beati Petri timore poſtpoſito intulit; propter quod recolendæ memoriæ Pipinus Francorum Rex ab eodem Papa rogatus, Lombardiam ſecundò cum exercitu magno intrauit, & ipſum Alex. in Papia rebellantem tandiu obſedit, quouſque ad mandatum eius, & voluntatem iam dicti Pontificis ſatisfecit, & omnia Eccleſiæ ablata reſtituit. Deſiderius quoque Rex, qui eidē Alex. in regno ſucceſſit, Adrianum Papam primum nihilominus Eccleſiam & vrbem impiè atque crudeliter eſt perſequutus. Vnde Carolus Rex ad preces ipſius Papæ hanc eamdem ciuitatem, in qua Deſiderius ipſe fuerat receptus, per ſex menſes ita diſtrictè obſedit, quod eumdem Regem & eius vxorem per violentiam cepit, & captum ad ſuum Francorum regnum ſecum reduxit. Non eſt ergo mirabile ſi modernis temporibus hæc perfida ciuitas contra Eccleſiæ vnitatem, ſchiſmaticos & excommunicatos recepit, & manutenere pro viribus elaborabat.

DE CAMPALI BELLO INTER Fridericum Regem, & Lombardos; & de optata Lombardorum victoria.

ET factum eſt: in anno Dominicæ Incarnationis M. CLXXV. Pontificatus quoque Alexandri Papæ anno XVI. (legebatur XVII.) circa finem menſis Iunij, dum Fridericus expectaret in conſtituto termino exercitum quem de Alemania excitauerat, deliberato cum Papienſibus conſilio, perrexit Cumas occultè cum paucis; ibíque recepto exercitu ipſo, & aggregatis ſibi vniuerſis Cumanis, ex improuiſo Mediolanēſes fines inuaſit, quorum villas & prædia hoſtiliter deprædari, & deuaſtare incepit; ſtatuerat enim cum ipſis Papienſibus, vt ex quo Mediolanenſes terras ingrederetur, dato eis ſigno quod inter ſe nominauerant, ciuitas ipſa in manu valida ſuccurrere ſibi deberet, & reſiſtentes Lombardos à facie ſua violenter expellere; ſed quia fallitur augurio ſpes bona ſæpe ſuo, decœptus eſt in cogitatione ſua, quia longè ſibi deteriùs modo accidit. Lombardorum namque ciuitates impium eius propoſitum, & prauam intentionem contra ſe iam diù perſenſerant; & ideò præparatæ ad bellum omnes vnanimiter ſibi occurrere feſtinabant; ſed Mediolanenſes, vbi aduentum accelerantis aduerſarij certiſſimè cognouerunt, non expectauerunt alias ciuitates, ſed cum Placentinis & Centurionibus electorum militum de Verona; Brixia, Nouaria, & Vercellis, exierunt extra Mediolanum in primo Sabbatho menſis Iulij (legebatur Iunij) cum caroccio ſuo; & venerūt in magna fortitudine ad quemdam congruum ſibi locum in Barranum, & Brixianum, horâ quaſi tertiâ, XV. milliaria ab vrbe. Tunc præmiſerunt D. CC. milites armatos versùs Cumas, vt ſcirent quâ parte veniret potentiſſimus eorum aduerſarius, quibus per tria ferè milliaria proficiſcentibus trecenti Alemanorum milites obuiauerunt, quorum veſtigia Fridericus cum toto exercitu ſequebatur accinctus ad prælium committendum. Nec mora; hoſtes vehementer in hoſtes inſiliunt, & ſeſe ad inuicem ſtrictis mucronibus conteruntur; ſed vbi grauioris multitudo Principis ſuperuenit, Lombardorum milites inuiti terga dederunt, & ad caroccium Mediolanenſem facere confugium exoptantes, non potuerunt à facie perſequentis ibidem remanere; ſed cum reliqua fugientium multitudine vltrà caroccium per dimidium milliare coacti ſunt fugere. Tunc electa

Mediolanenſium bellatorum militia, quæ in poſteriori acie tanquam murus impenetrabilis firmiter conſiſtebat, præmiſsâ oratione ad Deum, & ad Apoſtolum eius Petrum, atque Beatum Ambroſium, erectis vexillis confidenter obuiauit Friderico in virtute magna, & in primo quidem congreſſu Vexillifer ipſius Friderici transfoſſus lanceâ corruit in terra, & ſub equorum pedibus trucidatus remanſit. Ipſe quoque Imperator inter cæteros loricatus, vbi coruſcantibus armis proprijs inſignitus apparuit, ab eiſdem Lombardis fortiter percuſſus de ſella cecidit, & ab omnium oculis ſtatim euanuit. Vrgentibus ergo ipſis Lombardis tota Theutonicorum expeditio in fugam conuerſa per octo milliaria fugit in timore mortis, de quorum multitudine paucis euadentibus, alij gladio interfecti, alij fuerunt in Ticino ſubmerſi, & reſidua turba in diuerſas ciuitates in captiuitatem fuit diuiſa; ſed Cumanorum perfidus populus qui ab Eccleſiæ vnitate & à Lombardorum confœderatione animo irreuerenti & infrunito diſceſſerat, totus ferè proſtratus in campo remanſit aut gladio interemptus, aut in captiuam captiuitatem contumelioſè deductus. Spolia vniuerſa poſt optatæ victoriæ famoſum triumphum victrix Lombardorum ſocietas libenter collegit, & in pace ſinguli habuerunt, quod fortuna vnicuique donauit; in quibus præter armorum, & equorum multitudinem copioſam, inæſtimabiles diuitiæ, & quæque optima terræ præter ſpem fuerunt inuenta. De Imperatoris verò perſona vtrum euaſerit, an cum cæteris interfectis in campo remanſerit, diu apud omnes dubitatio maxima fuit in tantum quod eius vxor in luctu; & mœſtitia poſita etiam lugubrem veſtem induerit. Cùm autem ſuper hoc tota Italia plurimùm vacillaret; ecce ſubitò Papiæ apparuit atque immenſo apparatu & ſtrenua militia deſolatus. In hoc autem manifeſtè oſtendit Dominus, quod per Iſaiam loquutus fuerat, dicens: Oculi ſublimis hominis humiliati ſunt, & incuruata eſt altitudo virorum fortium. Quamuis autem cauſa eius ab eo tempore quo cœpit Dei Eccleſiam perſequi, ſemper vltore Domino indeterius laberetur, & nulla eum aduerſitas ſeu difficultas laboris à ſuo incœpto retraheret, modò tamen ita vehementer à ſuperno iudice percuſſus atque contritus eſt, quòd ad pacem Eccleſię, quàm hactenus in duplicitate quæſierat inclinari humiliter videretur, & eam per maiores perſonas imperij à Domino Alexandro Papa & eius fratribus ſuppliciter poſtularet: quippe omnes Eccleſiaſtici, & ſęculares Principes Re-

gni,

gni, qui prædictum Fridericum in errore ſuo huc vſque ſequuti fuerant, dixerunt ei, quòd niſi cum Eccleſia pacem faceret, eum vlterius non ſequerentur, nec ſibi auxilium ferrent. Prętereà ſocietatem Lombardorum contrà Theutonicos ita Dominus fortem & audacem reddiderat, vt quoties cum illa bárbarie in prœlio decertaret, in primo congreſſu victrix exiſteret, & eam ante faciem ſuam tanquam volatiles paleas diſpergeret atque fugaret.

DE SECVNDO PACIS TRACTATV inter D. Alexandrum Papam, & Fridericum Imperatorem.

MISIT ergo Imperator Fridericus ad præſentiam Domini Alexandri Papæ V. Magdeburgenſem Epiſcopum, Chriſtianum Moguntinum Archiepiſcopum, P. Vuormatienſem electum, & R. Protonotarium Regni, maiores Imperij Principes cum poteſtate plenaria complendæ pacis inter Eccleſiam, & Imperium; qui venientes vſque Tybur, nuntiauerunt ipſi Pontifici reſidenti apud Anagniam ſui aduentus cauſam, & impetrato ſecuro ducatu, recepti ſunt à duobus Cardinalibus & Capitaneis Campaniæ, atque honorificè deducti in ciuitatem Anagninam. In craſtinum verò cùm Pontifex in Conſiſtorio aſtante Clericorum & Laicorum multitudine ſederet, acceſſerunt ad maiorem Eccleſiam cum decóra ſocietate ſua, & exinde intrarunt in conſpectum Pontificis. Stantes autem in medio coram ipſo, & cum multa reuerentia loquentes dixerunt:

[Dominus noſter Imperator deſiderio magno deſiderans Romanæ Eccleſiæ ac vobis pacem veram dare, miſit nos cum plenitudine poteſtatis ad præſentiam veſtram, poſtulans inſtanter, vt verbum illud concordiæ & pacis, quod in præterito anno Patres veſtri ſecum præſentialiter tractauerunt, & vſque modo peccatis ita exigentibus imperfectum remanſit, nunc per nos & aſſenſum veſtrum, quantum in eo fuerit, authore Domino compleatur. Notum eſt enim & indubitatum quod ab initio naſcentis Eccleſiæ omnipotens Deus in orbe duo eſſe voluit quibus principaliter mundus hic regeretur: Sacerdotalis dignitas & Regalis poteſtas, quæ niſi ad inuicem concordiâ fulcirẽtur, pax nullatenùs ſeruaretur, & mundus controuerſijs & bellorũ ſtrepitu abundaret. Ceſſet igitur nunc iſta odioſa turbatio, & per vos duos Principes orbis

„ pax deſiderata vniuerſis Eccleſijs & populo Chriſtiano reddatur.]

His igitur publicè allegatis, benignus Pontifex hilari & placi-
„ do vultu reſpondens, ait [De aduentu veſtro cum iucundis ru-
„ moribus valdè gaudemus, & exinde omnipotenti Deo gratias
„ agimus. Non eſt in præſenti ſæculo res quæ in auribus noſtris ita
„ dulceſcat, quàm ſi Dominus Imperator veſter quem inter alios
„ mundi Principes cognoſcimus eſſe maiorem, pacem nobis veram
„ dare, ſicut aſſeritis, velit; ſed ſi vult integrá pacem ſuam nobis tri-
„ buere, & Eccleſiæ Romanæ, oportet vt eam vniuerſis auxiliato-
„ ribus noſtris, maximè Regi Siciliæ & Lombardis & Imperatori
„ Conſtantinopolitano, qui nobis contra eum in Eccleſię neceſſi-
„ tatibus firmiter aſtiterunt, & pariter tribuat.]

Legati verò laudantes & approbantes verbum Pontificis, di-
„ xerunt [In mandatis accepimus à Domino Imperatore, vt ſe-
„ cretè vobiſcum & cum fratribus veſtris loquamur, quatenus ea
„ quæ inter nos & inter vos tractanda fuerint & ſtatuenda, inimi-
„ cus homo non ſentiat; ſed in ſecreto conſeruentur, quouſque pa-
„ cis bonum, præſtante Domino, compleatur; ſcimus enim quod
„ in parte veſtra & noſtra nonnulli ſunt qui pacem odiunt, & hanc
„ diſcordiam libenter fouerint.] His itaque auditis vniuerſus con-
uentus diſceſſit, & Pontifex cum fratribus ſuis & vniuerſis Lega-
tis ſecretarium conſilij ſolus intrauit. Cæperunt autem de verbo
pacis ad inuicem tractare diligenter; ſed quoniam res ardua &
multùm difficilis agebatur, (multi enim nobiles & potentes in
ſchiſmate grauiter lapſi fuerant, & de quibuſdam capitulis inter
Eccleſiam & Imperium controuerſia vertebatur) vltra quinde-
cim dies tractatus ipſe durauit, in quo ſpatio ſanctiſſimorum Pa-
trum auctoritates, priuilegia Imperatorum, & antiquæ conſue-
tudines atque aliæ rationes oſtenſæ fuerunt, & ſuper his etiam
diutius laboratum atque ſubtiliter diſputatum. Tandem coope-
rante Spiritus ſancti gratiâ, ita factum eſt, quod de omnibus ca-
pitulis inter Eccleſiam & Imperium cum ſæpe dictis Legatis
Pontifex & fratres eius vnanimiter concordarunt, remanente
causâ Lombardorum in eo ſtatu in quo erat vſque ad commune
colloquium; quoniam in eorum abſentia, nec debuit, nec potuit
terminari. Et quoniam ſine Imperatoris & Lombardorum cor-
porali præſentiâ pax ipſa (ſicuti prædictum eſt) fieri non debebat,
conſtitutum eſt vt Pontifex cum fratribus ſuis pro tanto deſide-
ratæ pacis bono laboraret in corpore proprio, & ad partes Lom-
bardiæ abſque longa dilatione feſtinaret. Interim autem data eſt

firma

firma ſecuritas ex parte Imperatoris, omnibus Eccleſiæ Romanæ perſonis, & rebus eorum & terris B. Petri, & Sicilię Regis, cunctiſque viatoribus vſque ad conſummationem ipſius pacis. His itaque diſpoſitis & concorditer ordinatis, ad Imperatorem Legati alacres redierunt.

DE EO QVOD PAPA ALEXANDER in Lombardiam per mare iuit.

PORRÒ Alexander Papa, vt indubitanter ad ipſius Imperatoris colloquium poſſet accedere, ordinato in vrbe Vicario, versùs mare Adriaticũ cepit iter cũ fratribus ſuis, & veniens Beneuentum, per Troiam & Sipontum, ac montem Gargani tranſiuit ad ciuitatem Veſtanam in maris littore ſitam; ibi enim deuotus Beati Petri filius Rex Sicilię ad eius obſequium pręparauerat ſeptem galeas victualibus ac armis, prout tempus & res poſtulabat, munitas: duos quoque de Magnatibus terræ ſuæ, videlicet Salernitanum Archiepiſcopum, & R. Andren. Comitem maximum, vt honorificentiùs cum eis incederet, illuc ad eiuſdem Patris & Domini ſui pręſentiam deſtinauit; vt autem Imperatorem & Lombardos de ſuo Pontifex aduentu redderet certiores, ſex de fratribus ſuis Cardinalibus à Siponto vſque Bononiam cum ſuis & aliorum fratrum ęquitaturis pręmiſerat.

DE MAXIMA CHRISTIANORVM cæde facta à Paganis in Oriente.

IN diebus illis Emanuel Imperator Gręcorum volens ſubiugare ſibi Turcarum regnum, in multitudine graui terram ipſius violenter intrauit, ac deſtruens ciuitates & villas ferè vſque ad Cuneum vbi eſt ſedes regni, ſpoliando & occupando vniuerſa, proceſſit. Tunc Soldanus gentis illius potentiſſimus Rex aſcitis ſibi decem millibus Arabis in peritia militandi aſtutioribus pręcæteris gentibus ipſius patriæ, cum ingenti multitudine militum & ſagittariorum ſuorum pręd!cto Imperatori occurrit, orans & petens ab eo, vt terram ſuam in pace ſibi dimitteret, & eum ad ſuum ſeruitium retineret. Obtulit etiam ei magna & pretioſa donaria, vt eius amorem & gratiam conſequi mereretur: denique fidelitatem & hominium ſibi humiliter voluit exhibere, & ad eius ſeruitium cum militibus & ſagittarijs ſuis, quandocunque ab eo

requireretur, accedere; ſed Imperator nimium de viribus & potentiâ ſuâ confidens; fortiſſimum namque ſecum exercitum & valde magnum terrâ & mari habebat, deſpexit eum, & dixit:
" [Neque pacem mecum, neque placitum facies, niſi Cuneum in
" manibus & poteſtate mea reddideris.] His itaque auditis Soldanus, tanquam vir ſapiens & aſtutus, ſimulatè retrorſum abijt, & aſcendens montana ſupra conuallium fauces, per quas Imperator tranſire ad Cuneum diſpoſuerat, inſidias ei poſuit, vt inopinatè ipſum inuaderet & perniciosè contrairet. Imperator verò credens eundem Soldanum potiùs ex timore quàm aſtutiâ & calliditate à facie eius receſſiſſe, minus cautè, imò improuidè & temerariè intrauit per illos difficiles & arctoſos tráſitus inter duos arduos montes, & præmittens fortiſſimos equitatus ſuos cum quadrigis & Principibus Principum, ſubitò inciderunt omnes in inſidias hoſtium, factóque hinc inde immenſo clamore, terribilis & exitiabilis initiatur conflictus; & quia prænimia locorum anguſtia pars noſtra nec fugere poterat, nec reluctari, pariter comprehenſi ſunt vniuerſi, tanquam greges in ouile ouium. Quid plura? ſæuè digladiati ſunt à ſæuitia Turcorum & Arabum, & multis ac varijs diuitijs expoliati: pauci tamen de tanta multitudine in captiuitate ducti. Ipſe quoque Imperator in poſteriori acie locatus, & multo milite circumdatus, tandem repertus eſt; Cùm autem in gladio ab impia multitudine impiè tunderetur, ſuperuenit ipſe Soldanus, & eo agnito, cùm poſſet illatam ſibi abſque offenſione iniuriam plenè vlciſci, ex nimia liberalitate, ſicut vir in lege ſua manſuetus & timens Creatorem ſuum, abſoluit eum, & liberum abire permiſit; cui & coronam & pretioſiſſimam Crucem quæ capta fuerat, cum multis & varijs donarijs reſtituere dignum duxit; ad vltimum verò pacem cum ipſo ad tempus compoſuit, & hoc modo amici ad inuicem diſceſſerunt.

Intereà Viterbienſis ille ridiculus Antipapa de malo ſemper in peius deſcendens, vbi pacem inter Alexandrum Papam & Imperatorem ſine ſe familiariter tractari præſentit: vbi ſecuritatem firmam cunctis viatoribus datam indubitanter cognouit, cum particpiibus ſuis ita vehementer indoluit, ac ſi cor eius per mediũ crepuiſſet. Antea verò quàm de Anagnia Pontifex Alexander exiret, Humbaldum Hoſtienſem Epiſcopum, & Raynerium Diaconum Cardinalem ſancti Georgij ad Imperatoris præſentiam ea occaſione præmiſit, vt ſecuritatem quam Magdeburgenſis Epiſcopus cum ſocijs ſuis compromiſerat, ab eodem Imperatore

re per exhibitionem iuramenti manifeſtè reciperent. Euntes autem per partes Tuſciæ in Lombardiam intrarunt, & circa Mutinam eundem Imperatorem ſatis pacificum inuenerunt, qui eos hilari vultu ac reuerenter ſuſcepit, & honorificentiâ plurimâ honorauit. Preſentibus itaque multis Epiſcopis atque Principibus coram ipſis Legatis Conradum filium Marchionis Montisferrati ſuper ſacroſancta Euangelia iurare fecit in anima ſua eandem ſecuritatem, quam prædicti Legati apud Anagniam præſtiterant. Inſuper ad maiorem bonæ voluntatis quam gerebat de pace oſtenſionem, omnes Alamannos Principes qui ſecum ibi aderant, eandem ſecuritatem per iuſiurandum fecit nihilominus roborari.

In illis diebus Cremona reſpiciens retro, abſque grauamine turpiter deierando à confederatione aliarum ciuitatum impudenter receſſit, & ad Imperatorem non ſine magna infamia ſe conuertit. Vnde indignationem Eccleſiæ & aliorum Lombardorum odium & inimicitiam iuſtè incurrit.

Terdona quoque non poſt multum temporis idipſum reprehenſibiliter fecit, & eâdem infamiâ contumelioſè ſe inuoluit.

Audiens autem hæc apud Veſtam ſummus Pontifex valdè miratus eſt; ſed de aliarum ciuitatum ſtabilitate dubitare non potuit. Cæterum cùm valida Maris tempeſtas ipſum iam per xxx. dies contra propoſitum ſuum ibidem detinuiſſet inuitum; ecce ſubitò Auſter diu deſideratus aduenit, & ſtatim nautæ ad transfretandum eumdem Pontificem alacriter inuitarunt. Qui conſurgens circa medium noctis inſtantis Quadrageſimæ valdè manè poſt Miſſam, & receptos cineres, pelagi vaſtitatem lætus intrauit cum xi. galeis & duabus galeis oneratis victualium copiâ & albis caballis. Erat enim delectabile ad videndum ipſum naualem & glorioſum exercitum ſulcantem croſſum pelagus velis proſperis & propititio vento; ſed circa meridiem ſuperueniente Borea prorſus extinctus eſt Auſter & illico facta eſt in mari turbatio maxima. Timuerunt igitur omnes. Pontifex autem non fuit omnino ſecurus, quia procellarum immenſitas non modicè minabatur. Tunc decem galeæ cum ipſo Papa & fratribus ſuis verſus anteriores inſulas in remigando non ſegniter laborarunt; ſed tandem ſuffragantibus Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli meritis eadem die circa noctem ad inſulam, quæ dicitur Palacroſa, proſperè (Deo gratias) applicuerunt; ſed naues albos equos ferentes cum poſteriori galeâ regreſſa ſunt ad portum Veſtanum, quia reliquas galeas ſubſequi contra ventum validum non po-

tuerunt. Pontifex autem fatigatus ex ieiunio & proceſloſi maris turbatione in terram libenter deſcendit, & appoſitâ menſâ copiosè hilaritérque cœnauit.

Poſt modicum verò ſpatium, cùm iam quieſcerent omnes, ex inſperato deſiderabilis Auſter nautis arriſit, & eos ad iter agendum non mediocriter animauit. Exultantibus igitur cunctis in gaudio magno vniuerſa vela in altum citiſſimè ſunt collata, & vnuſquiſque ad exercendum commiſſum ſibi officium in ipſa noctis obſcuritate vigilanter permanſit. Præcedente itaque cum magno luminare galeâ celeriori ſummi Pontificis, per totam noctem omnes alacriter nauigarunt, & die alterâ circa meridiem in inſulam, quæ vocatur Allexa poſt celebratam ibidem Miſſam cum gaudio & lætitia cœnauerunt, & exinde cæteras Dalmatiæ inſulas tranſcendentes, in proxima Dominica, priuſquam ſol illuceſceret ad ciuitatem Iaderam, quæ ſita eſt in capite Hungarici Regni, eundem Pontificem cum fratribus ſuis, Manfredo videlicet Præneſtino Epiſcopo, Ioanne tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, Boſone tituli ſanctæ Pudentianæ Preſbyteris, Cynthio tituli ſancti Adriani, & Hugone ſancti Euſtachij Diaconis Cardinalibus, Romualdo quoque Salernitano Archiepiſcopo, & Rogerio illuſtri Comite per merita Petri, ſanum & alacrem portauerunt; & quoniam nondum quiſquam Romanorum Pontificum ciuitatem ipſam intrauerat, de nouo eiuſdem Papæ aduentu facta eſt in Clero & Populo ipſius loci communis lætitia & ineffabilis exultatio collaudantium & benedicentium Dominum, qui modernis temporibus per famulum ſuum Alexandrum ſucceſſorem Beati Petri, Eccleſiam Iadertinam dignatus eſt viſitare.

Ideóque præparato ſibi de Romano more albo caballo, proceſſionaliter deduxerunt eum per mediam ciuitatem ad Beatæ Anaſtaſiæ maiorem Eccleſiam, in qua ipſa virgo & martyr honorificè tumulata quieſcit, cum immenſis laudibus & canticis altiſonè reſonantibus in eorum Sclauica lingua. Poſt quam verò diem exiuit Iaderâ, & per Sclauorum inſulas, & maritimas Iſtriæ modicas ciuitates, fœlici cultu tranſitum faciens ad Monaſterium ſancti Nicolai ſitum in faucibus Riui alti, cum omni alacritate, Domino auxiliante peruenit.

DE

DE TEMPORE QVANDO ALEXANDER Papa Venetias priùs intrauit.

ANNO igitur ſui Pontificatus XVIII. nono Kal. Aprilis, indictione X. Beatus Alexander Papa cum ingenti honorificentia Venetias primùm intrauit, occurrente ſibi Duce cum Patriarcha & Epiſcopis & Nobilibus, cum Clero in varia nauium copioſa multitudine. Eo autem in Palatio Patriarchæ ſuper Riuo alto deſcendente, Petrus Magdeburgenſis Archiepiſcopus cum electo Vicomacienſi & Protonotario acceſſerunt ad eum, dicentes [Dominus noſter Imperator cũcta quæ inter vos & eum “
de pace nobis mediantibus tractata ſunt & conſcripta, paratus “
eſt cum gaudio adimplere; ſed in ciuitate Bononienſi quam eius “
principes nimis habent ſuſpectam, vobiſcum conuenire nullatenus “
poteſt; vnde clementiam veſtram ſuppliciter exoramus, qua- “
tenus alium locum ſibi & vobis congruum, Rauennam videlicet, “
ſeu Venetias eligere ſatagatis.] Quibus Pontifex conſtanter ſine “
mora reſpondit. [Diu eſt quod mediãtibus fratribus noſtris Hum- “
baldo Hoſtien. & Raynerio Diacono Cardinali cum Lombar- “
dis Imperator conuenit, vt ipſe in Imola, & nos in Bononia de- “
beamus pariter conuenire. Ideóque nos abſque Lombardis & “
conſilio fratrum noſtrorum, qui circa partes Bononiæ noſtrum “
præſtolantur aduentum, locum ipſum mutare non poſſumus, nec “
debemus. Si ergo nunc ei diſplicet quod priùs ſponte conceſſit, ſi- “
bi, non nobis debet excuſatione ſepoſitâ computare. Verumta- “
men, vt inceptum bonum pacis ad deſideratam cõſummationem “
celeriùs valeat, opitulante Domino, peruenire; nos vſque Ferra- “
riam ſine mora venire ſtudebimus, quatenus ibi cum fratribus “
noſtris abſentibus & Rectoribus Lombardiæ deliberare & elige- “
re plenariè poſſimus quod pro vtraque parte congruentius viſum “
fuerit faciendum;] quod verbum, quia Legatis benè complacuit, “
per Apoſtolicas litteras vniuerſis Epiſcopis & Rectoribus ciuitatum Lombardiæ mandauit, vt in Dominica die Dominicæ Paſſionis, ad eius præſentiã in ciuitate ipſa, Deo fauente, conueniant. Interim verò cùm turbæ multæ irruerent ad eum, & de circumpoſitis ciuitatibus multitudo nobilium properaret ad eius præſentiam vt viderent illum, & audirent tanquam Angelum Dei miſſum, dignum duxit, vt in proxima Dominica, quâ cantatur *Lætare Hieruſalem*, ad Eccleſiam Beati Marci ſolemnia Miſſarum

celebraturus accederet. Indutus ergo ſacris veſtibus, & de conſuetudine auream deferens roſam, cum Epiſcopis & Cardinalibus ad Altare nimis deuotè proceſſit. Poſt Euangelicam lectionem populo Dei ex diuerſis partibus congregato paſtoraliter prædicauit, & completis Miſſarum officijs, roſam quam detulerat, Duci Venetico in ſignum gratiæ Sedis Apoſtolicæ contulit. In eadem quoque ſeptimana cum glorioſo galearum exercitu, quod erat delectabile viſu, exiuit à Venetia, & per fauces Padi aſcendens, cum gloria & honore venit in ſuam ciuitatem Ferrariam.

DE PRIMO COLLOQVIO LOMBARdorum & Principum apud Ferrariam, præſente Alexandro Papa.

IN ſequenti verò die principales perſonæ quæ ab vtraque parte inferiùs annotantur ad eiuſdem Pontificis præſentiam conuenerunt: ex parte Lombardorum Aquileienſis Patriarcha, &

Rauennatenſis, & }
Mediolanenſis } Archiepiſcopi.

& eorum Comprouinciales Epiſcopi: Rectores Ciuitatum cum ſuis Marchionibus atque Comitibus: Salernitanus quoque Archiepiſcopus cum Comite Rogerio Andrienſi, ſed ex Imperatoris parte

Moguntinus }
Colonienſis }
Treuerenſis }
Biſuntinus } Archiepiſcopi
Magdeburgenſis & }
Saliſburgenſis }

cum aliquibus eorum ſuffraganeis Epiſcopis, Electo quoque Vuarmacenſi, & A. Protonotario.

Quibus ad inuicem congregatis, de loco vbi Papa ſecurè poſſet cum Imperatore præſentialiter conuenire, non modica inter partes altercatio extitit; & Lombardis petentibus Bononiam, vel Placentiam, aut Ferrariam, ſeu Paduam: Imperatoris autem Principibus Papiam ſeu Rauennam, aut Venetias eligentibus, Pontifex cum Nuntijs Regis Siciliæ Venetias in hunc modum elegit; Vt ſi Dux cum populo Veneto iuratoriam cautionem præſtaret, quòd antequam pax confirmata firmiter eſſet ſine conſenſu Papæ Imperatorem Venetias nullatenus intrare permitterent,

mitterent, & venientes illuc, ſeu redeuntes nullo modo impedirent, tunc pars vtraque ad locum ipſum ſecurè accederet; quod ad verbum Pontificis factum eſt. Exiuit ergo à Ferraria cum Epiſcopis & Cardinalibus VII. Idus Maij, & ſine mora Venetias remeauit, cuius veſtigia partes vtræque celeriter ſunt ſubſequutæ. Conſtitutis itaque Principibus ac Lombardis in conſpectu Pontificis de reconciliatione pacis inter eos ad alterutrum tractare cœperunt; ſed quia de regalibus maximè ac feudis maxima inter eos controuerſia vertebatur, & pax Eccleſiæ abſque illorum pace qui cum Eccleſia contra Imperium firmiter ſteterant fieri non debebat, tractatus ipſe multis interuenientibus inducijs vſque ad Apoſtolorum Petri & Pauli Octauas proceſſit. Ea igitur die pax Eccleſiæ in ea forma qua de conſenſu partium ordinata fuerat & ſcripto firmata, de communi conſenſu Principum qui præſentes aderant, Imperatoris aſſenſu roborata eſt. Pax quoque Siciliæ Regis à proximis Kal. Auguſti vſque ad XV. annos eodem modò approbata eſt; ſuper quibus cartæ hinc inde concorditer factæ, & à ſingulis partibus in bona voluntate receptæ ſunt. Quibus ita pactis, ad inſtantiam Principum, Imperatori licentiam Pontifex dedit veniendi vſque Clogiam, quatenùs in loco ipſo à Pontifice parum diſtante, conſtitutis in eius præſentia Cardinalibus illis & Principibus qui verbum pacis & treguarum ferè iam conſumauerant, cauſa ipſa Imperiali auctoritate, auctore Domino, plenum ſortiretur effectum & immutabile firmamentum. Venit ergo illuc Imperator, & ad eius præſentiam Cardinales & Principes pariter conuenerunt, omnia quę de ipſius aſſenſu fecerant ſibi concorditer oſtendentes. Auditis itaque omnibus quæ geſta fuerant, & plenariè intellectis, licet ab ijs qui oderant pacem valdè turbatus fuerit & commotus; quia tamen Principes in faciem ſibi viriliter reſtiterunt, omnia tandem ſicut in præſentia Pontificis geſta fuerant & conſcripta, rata habuit, & à ſe confirmari ſponte promiſit. Vnde factum eſt, quòd in audientia eorum Cardinalium, & Principum Dedoni Comiti filio C. Marchionis præcepit, vt in anima ſua coram Domino Papa, Nuntijs Regis Siciliæ, ac Lombardis publicè iuraret in hunc modum.

HÆC SVNT PRIMA IVRAMENTA Imperatoris Friderici, quæ in anima ſua fieri fecit de pace Eccleſiæ.

„ EGo Comes Dedo, iuro quòd Dominus Imperator mandauit mihi vt in anima ſua iurarem iuramentum, quod nunc „ facturus ſum. Et poſtquam mandauit, non reuocauit mandatum, „ & ego ex mandato Imperatoris iuro in anima ſua, quòd ex quo „ venerit Venetias omni quæſtione & contradictione ſemotâ faciet iurare in anima ſua, quod pacem Eccleſiæ, ſicuti diſpoſita „ eſt per mediatores & ſcripta, & pacem Regis Siciliæ vſque ad „ xv. annos, ſicut ſcripta eſt, & treguam Lombardorum, ſicut eſt „ per mediatores vtriuſque pactis diſpoſitum, & in ſcripto quod „ eſt apud eoſdem mediatores, continetur, bona fide ſeruabit, & „ Principes ſuos hoc ipſum iurare faciet.

Simili modo præcepit Sigilboth Camerario ſuo in hunc mo- „ dum. [Ego Sigilboth iuro quòd ex quo Dominus Imperator ve- „ nerit Venetias præceptum iuramentum pacis Eccleſiæ, & Regis „ Siciliæ, & treguæ Lombardorum faciet præſtari in anima ſua, & „ Principes ſimiliter iurare faciet.

Ijs itaque hoc modo completis Pontifex Ducem & populum Venetum à iuramento quo tenebatur abſoluit, & vt Dominum Imperatorem honorificè in Venetias deducerent eis præcepit. Quod Dux deſideranter implere feſtinans, in præparatis ſex galeis eumdem vſque ad Monaſterium ſancti Nicolai, quod eſt ſitum in capite Riui alti, cum gloria & honore fecit conduci.

DE ABSOLVTIONE IMPERATORIS Friderici, & de pace facta inter eum & D. Alexandrum Papam.

ALTERA itaque die in vigilia ſancti Iacobi ſummo manè Pontifex miſit ad eius præſentiam Humbaldum Hoſtienſem, Gulielmum Portuenſem, & Manfr. Præneſtinum Epiſcopos, Ioannem tituli ſanctæ Anaſtaſię, & Theodinum tituli ancti Vitalis, & Petrum tituli ſanctæ Suſannæ Preſbyteros Cardinales, atque Hyacinthum Diaconum Cardinalem ſanctæ Mariæ in Coſmedin, qui venientes ad eum, poſtquam renunciauit ſchiſma Octauiani, Guidonis Cremenſis, & Ioannis de Struma, poſt

poſt promiſſam quoque obedientiam venerabili Papæ Alexandro, tanquam Catholico Principi eiúſque ſucceſſoribus canonice intrantibus, ipſum à ſententia excommunicationis pariter abſoluerunt, & vnitati Catholicę aggregarunt. De maioribus etiam ipſis Principibus, iuxta priſcum Eccleſiæ morem, id ipſum fecerunt, & exinde Imperator, tanquam orthodoxus Princeps, deuotè acceſſit ad præſentiam eiuſdem Pontificis, qui ante fores Eccleſiæ ſancti Marci cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Cardinalibus reſidebat in communione pacis expectantibus, & depoſitâ clamyde proſtrauit ſe in terram, & deoſculatis eius, tanquam Principi Apoſtolorum, pedibus, veræ pacis oſculum ſibi deuotiſsimè dedit. Tunc repleti ſunt omnes gaudio magno, & præ nimia lętitia vox conclamantium in *Te Deum laudamus* inſonuit vſque ad ſydera; ſtatimque Auguſtus, apprehensa Pontificis dexterâ, cum canticis & laudibus vſque ad Chorum ipſius Eccleſiæ ipſum deduxit, & inclinato capite benedictionem ipſius reuerenter ſuſcepit. In ſequenti verò die quo celebrabatur feſtum ſancti Iacobi Apoſtoli, ad eamdem Eccleſiam redijt, & celebraturus Miſſarum ſolemnia cum feſtiua proceſſione Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Preſbyterorum & Diaconorum Cardinalium, & aliorum Eccleſiæ Ordinum ad ſacrum Altare proceſſit. Imperatore igitur ſtante in Choro, Clerus Theutonicus Miſſæ introitum altiſonis vocibus pſallere cœpit, & totum decantandi officium cum omni iubilatione peregit. Poſt Euangelium autem & ſermonem factum ad plebem, Imperator denuò ad veſtigia eiuſdem Pontificis cum Principibus ſuis deuotiſſimè procidit, & apertis theſauris ſuis, aurum ei poſt pedum oſcula obtulit. Decantatâ itaque Miſsa, eius dexteram apprehendit, & extra Eccleſiam vſque ad album caballum eum conduxit, & ſtreguam fortiter tenuit; cùm autem fręnum acciperet, & ſtratoris officium vellet implere, Pontifex, quia iter vſque ad mare nimis videbatur prolixum, pro facto habuit quod affectuosè voluit exhibere. In craſtinum autem circa Nonam Imperator cum paucis Pontificem filiali affectu viſitauit, & vſque ad eius cameram vbi cum Epiſcopis & Cardinalibus familiariter reſidebat, alacriter requiſiuit. Congratulati ſunt ergo diu ad inuicem, & poſt affectuoſa colloquia, & mixtos ſerijs temperatos & ſine detrimento dignitatis iocos, Auguſtus, petitâ & impetratâ licentiâ, hilaris ad hoſpitium remeauit.

DE CONFIRMATIONE PACIS, ET treguæ Lombardorum, & iuramentis præſtitis.

IN Kal. verò menſis Auguſti conuocatis Regis Siciliæ Nuntijs, & vniuerſis Lombardorum Rectoribus, Pontifex & Imperator Conſiſtorium pariter intrauerunt. Tunc Imperator coram Pontifice ſtans in communi auditorio præcepit Comiti Henrico Dedes, quatenus in anima ſua iuraret quòd pacem Eccleſiæ atque Imperij, & pacem Regis Siciliæ vſque ad xv. annos, & treguam Lombardorum à proximis Kal. Auguſti vſque ad vi. annos, ſicut per mediatores vtriuſque partis diſpoſitum & ſcriptum eſt, bonâ fide ſeruabit. Præſentibus quoque Principibus nihilominùs iuſſit quod eamdem pacem & treguam pariter iurarent, & bonâ fide ſeruarent. Mox iurauit ipſe Comes ſuper ſancta Dei Euangelia, ſicut Imperator ei præceperat, & conuerſus ad ipſum dixit:
" [Sic te Deus adiuuet, & hæc ſancta Euangelia,] iurauerunt ſequenter Principes ita

Ego C. Moguntinus }
Ego Ph. Colonienſis } Archiepiſcopi.
Ego V. Magdeburgenſis }
Ego B. Treuerenſis
Ego D. Patauienſis.
Ego C. Electus Vvartienſis.
Ego Ar. Imperialis Aulæ Protonotarius.
Ego C. quondam Mantuanus Epiſcopus.
Ego G. Cancellarius.
Ego C. Comes. Iuramus in animabus noſtris ſuper hæc ſancta Dei Euangelia, quòd pacem Eccleſiæ atque Imperij, & pacem Regis Siciliæ vſque ad xv. annos, & treguam Lombardorum vſque ad vi. annos, ſicut ſtatutum eſt & ſcriptum per mediatores vtriuſque partis, bonâ fide ſeruabimus abſque fraude. Sic nos Deus adiuuet & hæc ſancta Dei Euangelia.

Ex parte verò Siciliæ Regis eodem modo iurauit Rom. Salernitanus Archiepiſcopus, & Rogerius Andrienſis Comes. Ex parte verò Lombardorum iurauerunt qui præſentes aderant.
De Mediolano. Gerardus Piſtis, & Rogerius Marcellinus Cóſul.
De Placentia. Vvillelmus Leccacoruus.
De Brixia. Albertus de Gambara.
De Bergamo. Albertus Albertonis.

De

De Verona. Cotius Conſul.
De Parma. Vetulus.
De Regio. Artematr.
De Bononia. Pinamonte Poteſtas eorum
De Nouaria. Vvillelmus Guibuini.
De Alexandria. Vbertus de Foro.
De Padua. Theſſalinus Poteſtas.
De Vincentia. Eczulinus.

DE CONVERSIONE SCHISMATICORVM ad Eccleſiæ vnitatem.

ABSOLVTO autem Imperatore ſequaces eius intruſi & ſchiſmatici ad ſinum Matris Eccleſiæ cateruatim confluentes abſolui humiliter poſtulantes, refutarunt & anathematizarunt ſuper ſacroſancta Euangelia omnem hæreſim extollentem ſe aduerſus ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, & præcipuè ſchiſma & hęreſim Octauiani & Guidonis Cremenſis, atque Ioannis de Struma, eorúmque ordinationes irritas eſſe pronunciantes, fidelitatem quoque, obedientiam Domino ſuo Papæ Alexandro eiuſque ſucceſſoribus Catholicis promittentes, reconciliati ſunt & vnitati Catholicæ aſſociati: ex quorum numero famoſiores duximus nominandos.

1. C. Moguntinum.
2. Ph. Colonien.
3. VV. Magdeburgen.
4. Treuiren.
5. Patauien.
6. Vvormatien. Electum.
7. Auguſten.
8. Baſilien.
9. Argentinen.
10. Alberſtaten.
11. Papien.
12. Placentinen.
13. Cremonen.
14. Brixien.
15. Nouarien.
16. Aquen.
17. C. Mantuanum.
18. Balneoren.
19. Penſaurien.
20. Fanen.
21. V. à Guido Cremen. promotum in Leuitam.
22. V. quondam Cluniacen. Abbatem, &c.
23. Intruſum ſancti Petri in Cœlo aureo atque
24. Vicinum eius ſancti Saluatoris intruſum. Aliorum verò reſipiſcentium ſchiſmaticorum multitudinem nominare penitus ignoramus.

DE SYNODO APVD VENETIAS

EODEM tempore XVIII. Kal. Septembris in Eccleſia ſancti Marci apud Venetias Alexander Papa cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac alijs Eccleſiarum Prælatis de Italia, & Alemania Synodum celebrauit: in qua iuxta eum ipſe Imperator reſedit, ibique pacem inter Eccleſiam & Imperium, & pacem Siciliæ Regis, atque treguas Lombardorum, ſicut ſuperiùs eſt ordinatum, communi aſſertione roborata fuit & firmata; ſed ad maiorem ipſius ſoliditatem Pontifex in hunc modum excommunicationis ſententiam promulgauit, vt quicumque pacem ipſam, vel treguas infringeret niſi requiſitus infrà XL. dies, & commonitus ſatisfaceret, eamdem ſententiam ſepoſitâ excuſatione incurreret. In ſchiſmaticos verò qui nondum reſipuerant, quouſque ſatisfecerint, anathematis ſententiam innouauit.

DE ACQVISITIONE BRECTANORI.

IN diebus illis C. Comes de Brectanoro abſque liberis apud Venetias defunctus eſt; qui pro remiſſione peccatorum ſuorum, ſuorúmque parentum, & Caſtrum ipſum Brectanorum, quod alio nomine vocatur Subſubium, & totam terram ſuam, licèt ab antiquo iuris Beati Petri fuerit, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ in propriam hereditatem donauit, & ad maiorem ipſius donationis firmitatem Domino Alexandro Papæ ſuiſque ſucceſſoribus publicum exinde inſtrumentum fieri fecit. Quamobrem pro recipiendis inueſtituris ipſius caſtri, quod eſt caput & ſedes totius Comitatus, Pontifex abſque morâ miſit illuc Raynerium Diaconum Cardinalem, & R. Subdiaconum, & P. Saracenum Dapiferum ſuum, per quos cum inueſtitura poſſeſſionem illius Comitatus in poteſtatem & dominium Sedis Apoſtolicæ recepit atque detinuit.

LITTERÆ PRINCIPVM DE CONFIRMATIONE, & obſeruatione pacis inter Eccleſiam & Imperium.

„ DOMINO ſuo ac Patri Venerando Alexandro Dei gratia
„ ſanctæ Romanæ Sedis & Catholicæ Eccleſiæ Summo
„ Pontifici & vniuerſali Papæ, Chriſtianus Moguntinus Archiepiſcopus

piſcopus Vuiemannus Magdeburgenſis, Arnoldus Treuerenſis Archiepiſcopi, Conradus Vuomartienſis Electus, Gottefridus Cancellarius, Vuorruuinus Protonotarius, Fr. Comes Hollandię I. Marchio de Luitri, & Frater eius Dedo, H. Comes de Dietſa, R. Comes de Diurna, Filialis deuotionis obſequium cum debita obedientia & ſubiectione. Commoda quæ ex conſumata pace Eccleſiæ & Imperij toti mundo perueniunt, ipſa innumerata mala quæ inde vitantur manifeſtè oſtendunt; ſicut enim ab vtriuſque concordi prouidentia orbis terrarum ad ſalutem & tranquillitatem regitur, ita ſub eorum diuiſione à propria debiti ſtatus rectitudine, diſtrahebatur. Gaudeat itaque tellus iam deſiderabilis roris viſitatione reſperſa, tam gratioſa pluuiæ inundatione fœcundata, per quam fidelis populi arida ſitis depellitur, & omnium iurgiotum ſcandala, & ſcandalorum incendia ſuffocantur. Nos ergo Pater Sanctiſſime de tanro concordiæ fructu lætantes, ipſam ſacratiſſimam Eccleſiæ & Imperij pacem ſicut ab vtriuſque partis mediatoribus, & diſpoſita, & in commune ſcriptum redacta, & pacem Illuſtris Regis Siciliæ ad xv. annos, & rreguam Lombardorum à proximis Kal. Auguſti vſque ad vi. annos ſicut à mediatoribus eſt ordinata, & noſtris iuramentis firmata, & in ſcriptum communiter redacta; quod ſcilicet ſcriptum proprijs ſubſcriptionibus ipſorum mediatorum hinc inde confirmatum eſt, & ſigillis ipſorum corroboratum, noſtri conſenſus ſtudio & vigore confirmamus, & raram & iriconcuſſam tenemus, & vt ſic obſeruetur operam dabimus, & vt hæc noſtræ confirmationis pagina ſubſequuturis temporibus firma & illibata permaneat, eam proprijs ſubſcriptionibus communiri, & noſtrorum ſigillorum appoſitione fecimus inſigniri.

Ego Chriſtianus Moguntinæ ſedis Archiepiſcopus ſubſcripſi.
Ego P. Colonienſis Archiepiſcopus, & Italiæ Archicancellar: ſubſcripſi.
Ego Vuormacienſis Electus ſubſcripſi.
Ego G. Imperialis Aulæ Cancellarius ſubſcripſi.
Ego Vvo Protonotarius ſubſcripſi.

LITTERÆ IMPERATORIS
ſuper eadem re.

» REVERENDO in Chriſto Patri Domino Papæ Alexandro
» ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo & vniuerſali Ponti-
» fici, Fridericus Dei gratiâ Rom. Imperator, & ſemper Augu-
» ſtus, debitam obedientiam & filialis deuotionis affectum. Cùm
» Imperatoria Majeſtas à Rege Regum ad hoc in terris ordinata ſit,
» vt per eius operam totus orbis pacis gaudeat increméto, nos quos
» Deus in ſolio Romani Imperij conſtituit, eam diligentiùs am-
» plecti, & feruentiùs conſeruare debemus & volumus. Inde eſt
» quòd pacem Eccleſiæ & Imperij ſecundùm quod à Principibus
» noſtris & à Cardinalibus Romanæ Eccleſię diſpoſita eſt & ordi-
» nata, & in ſcripto Principum noſtrorum, ſigillis eorum ſignata
» continetur, ſicut per interpoſitam perſonam, ſecundùm formam
» quæ in ſcripto continetur, iurari fecimus; ſic præſenti ſcripto nos
» firmiter obſeruare promittimus, confirmamus, & ratam in po-
» ſterum permanere volumus, & ſic deinceps firmiter obſeruabi-
» mus & faciemus, quantùm in nobis fuerit, Deo propitio, obſer-
» uari. Datum apud Venetias in Palatio Ducis XV. Kal. Octobris.
» Indictione X.

Hoc tempore in vigilia ſancti Matthæi Apoſtoli, Alexander Papa XVIII. annum ſui Pontificatus expleuit. Incipit XIX. annus eiuſdem.

Pace igitur, ſicut dictum eſt, confirmatâ, omnes qui conuenerant lęti ad propria redierunt. Paucis autem tranſactis diebus exierunt quidam nobiles Taruiſini de ſocietate Lombardorum, & ad Imperatoris præſentiam acceſſere, cum quo & diutiùs ſecretè loquuti ſunt in occulto, & quędam ad alterutrum iuramenta fecerunt: vnde vniuerſis Lombardis odioſi facti ſunt, & valdè ſuſpecti eis. Itaque redeunribus ad propria, populus Taruiſinus in ipſos vehementer commotus, eos periuros, deteſtabiles & ſuę patrię proditores atque turpiſſimâ morte dignos clamore horribili appellauit. Quid plura? vt periculum mortis euadere poſſent, illicò iurarunt ſuper ſancta Euangelia quod quicquid Imperatori ſecretè dixerant vel iurauerant, totum reuelarent Rectoribus Lombardorum, & inſuper filios dederunt eis obſides, ac ſufficientes fideiuſſores, quòd ſuper ijs eorumdem Rectorum mandatis firmiter ſtarent. Ipſis igitur ſeorſum eductis, quęcumque iurauerant

uerant Imperatori, vel dixerant in ſecreto, per cartam publicam Rectoribus reuelarunt. Compertâ itaque proditione tantę malitię Lombardorum ſocietas & prędictos nobiles acriter pro meritis ſuis puniuit, & vt ex tunc aduersùs callidi hoſtis inſidias ſollicitiùs euigilauit, & ſe fortiùs communiuit.

DE EO QVOD IMPERATOR A PONTIFICE *in oſculo pacis diſceſſit.*

REBVS itaque ſic ſe habentibus Imperator à Venetijs receſſurus, vt à ſummo Pontifice licentiam ſuſciperet, acceſſit ad eum in Palatio Patriarchæ ſedentem. Excluſis ergo cæteris, cum ſolis Epiſcopis & Cardinalibus ac ſuis Principibus de ijs quæ ad pacis complementum reſtabant cum eodem Papa colloquium habuit. Tunc Pontifex ab Imperatore petiuit vt regalia ſancti Petri & poſſeſſiones ſanctæ Romanę Eccleſiæ, ſicut per mediatores Cardinales & Principes apud Anagniam conſtitutum fuerat & firmatum, ſibi reſtitui faceret. Cui reſpondens Imperator dixit. [Regalia ſancti Petri & poſſeſſiones alias ſanctæ Romanæ « Eccleſiæ, præter terram Comitiſſæ Mathildis & Brectanorum, li- « berè reſtituam.] Sed quia iſta videntur mihi ad ius Imperij perti- « nere, vos eligite de principalibus noſtris tres, & nos de Cardinalibus totidem eligemus ad iſta tractanda, quorum iudicio pars vtraque irrefragabiliter ſtare deberet. Quod licet Pontifici graue nimis & durum fuerit, quoniam & in forma pacis de reſtituenda terra Comitiſſæ Mathildis expreſſum fuerat ac iuratum, & tunc ipſe caſtrum Brectan. ſicut ſuperiùs dictum eſt, poſſidebat, ne tamen occaſione iſtâ pax Eccleſiæ turbaretur, voluntati eius tandem aſſenſum præbuit, ſtatimque Chr. Moguntinum Archiepiſcopum, & C. Vvormatienſem Electum atque A. Protonot. qui pręſentes aderant ad id faciendum elegit. Imperator quoque Hic. Oſtien. & VV. Portuen. Epiſcopos, & Iac. Diac. Card. conſequenter elegit. Pro reſtituendis verò prædictis regalibus & cæteris poſſeſſionibus Eccleſiæ illicò eumdem Moguntin. Pontifici aſſignauit, præcipiens ei ſub obtentu gratiæ ſuæ, vt reſtitutionem ipſam infra tres menſes cum integritate perficeret. His itaque concorditer ordinatis atque diſpoſitis, Auguſtus ipſe coram Pontifice genua flexit, & deoſculatis pedibus eius, in oſculo pacis ab eo, & vniuerſis Cardinalibus verſus Rauennam & Ceſenam receſſit. Poſt cuius diſceſſum circa medium menſis

Octobris Pontifex quatuor impetratis à Duce Venet. galeis, & maiore fratrum ſuorum parte per Pentapolim ſecùs mare præmiſſâ, denuò pelagi vaſtitatem Domino auctore intrauit, & eâdem quà venerat via regrediens apud Sipontum IV. Kal. Nouembris ſuffragantibus Apoſtolorum Beatorum Petri & Pauli meritis cum proſperitate peruenit. Deinde Troiam & Beneuentum ac Sanctum Germanum cum gloria & honore tranſitum faciens, ad ciuitatem Anagninam ſibi multum deuotam XIX. Kal. Ianuarij ſanus Dei gratiâ & incolumis remeauit. Facta eſt itaque de pacifico ipſius & deſiderato regreſſu tàm in Vrbe quàm in toto orbe Romano exultatio maxima, & communis lętitia benedicentium & collaudantium Dominum, qui per aſſiduam clauigeri ſui Beati Petri precem, & laborem ipſius Pontificis, dignatus eſt pacem & concordiam inter Eccleſiam & Imperium mirabiliter reformare. Inde vtique accidit quod de magna ſchiſmaticorum turba quidam intruſi ad obedientiam Domini Alexandri Papæ ſunt ſponte reuerſi: quidam verò Catholicis Eccleſias relinquentes apud conſanguineos confugium cum ignominia & confuſione ſua fecerunt.

Archiſynagogus verò eorum, agnito quod Imperator ad oſculandos pedes Papę Alexandri acceſſerit, conturbata ſunt viſcera eius & præ deſolationis ſuę confuſione tantus eum tremor inuaſit, quod occultè à Viterbio exiens, tanquam profugus ad Montem Albanum ſub friuola defenſione Ioannis Domini ipſius caſtri confugium inaniter fecit. Audiens hęc Imperator nimium dolere ſe oſtendit, & ad ſuam excuſationem eumdem hęreticum & defenſores eius niſi ad obedientiam Alexandri Papæ feſtinarent diffidauit, & Imperiali banno ſubiecit.

DE EO QVOD IMPERATOR CEPIT *Brictanorum contra tenorem pacis.*

ILLVD autem ſilentio prætereundum non duximus quòd Imperator, ex quo Cæſenam peruenit, vtens conſilio malignantium, acceſſit iuxta Brictanorum, & accerſitis ad ſe prædictis Nuntijs, R. videlicet Diacono Cardinali ſancti Georgij, & R. Subdiacono Apoſtolicæ Sedis, & P. Dapifero eiuſdem Pontificis, inſtanter poſtulauit ab eis poſſeſſionem ipſius caſtri cum pertinentijs ſuis; quibus ei benignè reſpondentibus & manſuetè, quòd ſine licentia & mandato Domini ſui Romani Pontificis hoc facere non

re non

re non poterant nec debebant, confeſtim eos diffidauit, & exercitu circumquaque collecto, ipſos de caſtro eiecit, & caſtrum inexpugnabile ſine conflictu & pugna cepit: ſibi ac filio ſuo Regi ab hominibus ipſius loci iurari fecit; nec mirum, cùm inter Bulgaros & Maynardos, qui erant fortiores ipſius loci milites, iam emerſerant æmulationes, & altera eorum pars Imperatori fauorem præſtiterat. Quod factum poſtquàm ad aures Pontificis venit, per maiores Eccleſiæ perſonas eumdẽ Imperatorẽ paternè conuenit, & vt poſſeſſionem ipſius caſtri ſibi ac matri ſuæ Romanæ Eccleſiæ in pace reſtitueret, diligenter & inſtantiùs poſtulauit. Ipſe verò in voluntatis ſuæ duritia perſeuerans, reſtitutionem facere penitùs recuſauit, quæ cauſa, licet Pontifici & Eccleſiæ iniurioſa & valdè fuerit grauis, ne tamen occaſione huius iniuriæ recens pax & vtiliſſima, Eccleſiæ atque Imperij concordia diſſolueretur, potiùs hoc ad tempus pati & diſſimulare dignum duxit, quàm contrarijs eidem Imperatori contraria reſpondere, quouſque Dominus cor illius emolliat & ſua Eccleſiæ iura ſponte reſtituat.

RESCRIPTVM PRIVILEGII REGIS HVNGARIÆ, qui pro reuerentia Eccleſiæ Romanæ, & Domini Alexandri Papæ, Eccleſiæ Hungariæ libertatem donauit & fecit.

B. Dei gratiâ Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Daniçque. L. Dei gratiâ Strigonien. C. Colocen. Archiepiſcopis, atque omnibus eorum ſuffraganeis, Præpoſitis quoque Regalibus, necnon omnibus vniuerſaliter Eccleſiaſticis perſonis in prædictis Archiepiſcopatibus conſtitutis, tam præſentibus quàm futuris in perpetuum. Iuſtum & rationi conſentaneum eſſe dignoſcitur, ac ſanctarum Scripturarum teſtimonijs comprobatur, vt qui Regiæ celſitudinis culmen ab æterno Rege merentur accipere, ijs quæ ad Eccleſiæ & Chriſtianitatis profectum noſcuntur in aliquo pertinere, tantò teneantur prouidâ ſollicitudine & cautelâ intendere, quantò pro honore à diuina diſpoſitione collato debent ſuo Creatori vberiorem deuotionem præ cæteris exhibere. Eapropter propriâ ratione inducti, & ſaluberrimis exhortationibus M. venerabilis ſanctæ Romanę Eccleſię Cardinalis propenſiùs attentiúſq; commoniti, deuotionem quoque venerandę memoriæ Regis G. Patris noſtri, quam circa ſacroſanctam Romanam Eccleſiam & ſanctum Patrem noſtrum D. Alexandrum ſummum Pontificem

« ſtuduit per omnia exhibere, modis omnibus quibus poſſumus
« imitari volentes, inſtitutionem ſuper depoſitione & tranſmiſſio-
« ne Epiſcoporum quod in ſe & in ſuis poſteris D. Papæ Alexan-
« dro & ſuis ſucceſſoribus noſcitur conceſſiſſe, videlicet quod abſq;
« authoritate & conſilio eius vel ſucceſſorum ſuorũ, depoſitionem
« ſeu tranſlationem Epiſcoporum non faceret vel fieri permitteret,
« confirmamus, & tam in nobis quàm in poſteris noſtris perpetuò
« inuiolabiliter duraturam cenſemus. Præterea anteceſſorum no-
« ſtrorum conſuetudinem retrò temporibus habitam relinquentes,
« in nobis & in noſtris poſteris immobili firmitate valituram, ſan-
« cimus quòd decedentibus Epiſcopis, in rebus Epiſcopalibus, pro-
« curatores laïcos de cętero non ponemus, atque poni nullatenùs
« permittemus; ſed honeſtos Clericos, qui non ad voluptatem, ſed
« ad neceſſitatem victus de ipſarum Eccleſiarum rebus moderatè
« accipiant, ibidem inſtituemus qui reliqua omnia bonâ fide & ſi-
« ne fraude aliqua ad reædificationem ipſarum Eccleſiarum & do-
« morum Epiſcopalium ſeu Canonicorum, ad vſus quoque paupe-
« rum, viduarum & orphanorum fideliter debeant adſeruare. Nos
« verò vel poſteri noſtri nihil vnquam de ijſdem rebus in vſus pro-
« prios vlterius redigemus, niſi fortè (quod abſit) hoſtes Regni in
« manu valida fines ipſius Regni intrauerint, vel aliqua alia vrgen-
« tiſſima neceſſitas poſtulauerit, & tunc quoque id ſine Epiſcopo-
« rum conſilio non faciemus. Addimus etiam, & robore inconcuſ-
« ſo tam in nobis quàm in poſteris noſtris perpetuò obſeruandum
« ſtatuimus quòd Regales Præpoſiti, vel Abbates de ſuis Præpoſi-
« turis, vel Abbatijs, ſeu dignitatibus non amodò deponentur; in
« hac parte conſuetudini noſtræ antiquæ per nos & poſteros no-
« ſtros renunciantes, niſi infauſto caſu contigeret eos ſuper certo
« crimine, canonico ordine conuinci, vel crimen ſuum publicè
« confiteri. Ad hæc C. Archiepiſcopus Colocen. omnes Epiſcopi,
« Electi, Regales, Præpoſiti, & Abbates, munificentiam ac liber-
« tatem quam pro reuerentia Beati Petri, & ſanctiſſimi Papæ no-
« ſtri Alexandri, necnon & M. venerabilis Diaconi Cardinalis,
« Apoſtolicæ Sedis Legati ſibi conceſſimus, attendentes prauam
« ſuam conſuetudinem & omnibus Canonibus obuiantem, quæ
« in inſtruendis & deſtruendis Præpoſitis, alijſque dignitatibus &
« Eccleſiaſticis beneficijs ſubtrahendis exercebant, in manus prædi-
« cti Cardinalis penitùs reliquerunt; vnde communi conſenſu, &
« liberâ eorum omnium voluntate decernimus, & inuiolabiliter
« præſenti priuilegio valituro perpetuò ſtabilimus, quòd nulli Ar-
chiepiſcoporum,

chiepiſcoporum, Epiſcoporum, Electorum, Præpoſitorum, Abbatum deinceps licentia pateat de Præpoſituris ſuos Præpoſitos remouere, vel alias Eccleſiaſticas perſonas ſuis Dignitatibus aut Eccleſiaſticis beneficijs priuare, niſi fortè de crimine fuerint conuicti canonicè vel confeſſi. Hęc autem omnia de conſilio glorioſæ Reginæ Matris noſtræ, & Archiepiſcoporum, Epiſcoporum omnium, Electorum, Præpoſitorum, Regalium atque Abbatum, Comitum omnium, Procerum, & aliorum Principum ſtabilita ac firmiter corroborata noſcantur. Actum in Ciuitate VV. anno M. CLXIX.

DE TERTIA REVERSIONE D. ALEXANDRI Papæ ad Vrbem Romam.

INTEREA vniuerſus Romanæ Vrbis Clerus ac Populus videns Imperatorem Fridericum ad veſtigia Papæ Alexandri Domino inſpirante proſtratum, & ſchiſmatis malum per diuinam potentiam omnino extinctum, attendens etiam de abſentia ipſius Pontificis tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus per longa tempora grauiſſimam incurriſſe iacturam, commune conſilium, & reuocando ad Sedem Beati Petri eodem Pontifice ſalubriter habuit. Miſerũt ergo ad eum vſque Anagniam de melioribus Romanorum ciuium ſeptem viros, cum litteris Cleri ac Senatus & populi, ſuppliciter exorantes, quatenus ad Vrbem ſuam propriam & populum ſpecialiter ſibi commiſſum reuerti iam dignaretur, & curam eius habere. Pontifex autem, licet humilis & deuota eorum inuitatio ſibi & cunctis fratribus plurimum complaceret, ad memoriam tamen reuocans præteritam eiuſdem Cleri & populi de vltramontanis partibus reuocationem, qualiter poſt modicum, multas ſibi ac Fratribus ſuis iniurias atque cõtumelias intulerunt, non immeritò dubitauit eorum blandis promiſſionibus credere, & ad ciuitatem ipſam quæ multos diſturbatores pacis habere dignoſcitur, abſque certa & firma ſecuritate redire. Propterea de voluntate vtriuſque partis H. Epiſcopus Hoſtien. & I. tituli SS. Ioannis & Pauli Preſbyter, atque V. Diaconus ſancti Angeli Cardinales cum ſeptem bonis hominibus redierunt ad Vrbem, diſpoſituri cum Senatoribus & populo formam ſecuritatis & pacis quæ Domino Papæ ſuiſque Fratribus complacere deberet. Vnde licet ſuper hoc diù laboratum fuerit, tandem ſuffragantibus Apoſtolorum Beatorum Petri & Pauli meritis, totius populi Romani conſilio & deliberatione

ſtatutum eſt, vt Senatores qui fieri ſolent, fidelitatem & hominium Domino Papæ facerent, & Beati Petri Eccleſiam atque regalia quę ab eis fuerant occupata, liberè in manibus & poteſtate ſua reſtituerent, pacem quoque ac ſecuritatem ſibi ac eius Fratribus, ac rebus eorum, & cunctis ad eum venientibus ac redeuntibus nihilominus inuiolabiliter obſeruarent. Quo facto venerunt Senatores cum eiſdem Cardinalibus & cum alijs bonis hominibus ad præſentiam Summi Pontificis, quibus ad oſcula pedum & oris de more benignè ſuſceptis, cuncta quæ à populo conſtituta fuerant publicè coram ipſo Pontifice tactis ſacroſanctis Euangelijs iurauerunt. Ijs igitur Domino cooperante ritè peractis, gaudio magno gauiſi ſunt omnes, & ex tunc Dominus Papa & Fratres eius ad reditum Vrbis feſtinanter ſe accinxerunt. In proximo autẽ Feſto B. Gregorij Papæ ante Dominicam *Lætare Hieruſalem* poſt Miſſam exiuit de Tuſculano proficiſcẽs ad vrbẽ, non ſine gloria & honore multo; exierat enim obuiàm ſibi extra vrbem in longum Clerus Romanus cũ vexillis & crucibus, quod nulli Romano Pontifici recolitur factũ: Senatores & Magiſtratus populi cũ concrepantibus tubis: Nobiles cũ militia in apparatu decoro, & pedeſtris populoſitas cum ramis oliuarum laudes Pontifici conſuetas vociferans. Tunc videns oculos omnium vultum eius intuentes tanquam vultum IESV-CHRISTI cuius vicès in terris gerit; præ nimiâ verò multitudine ipſius veſtigia deoſculantium albus palafridus ambulare vix poteтat, & Seſſoris dextera in dandis benedictionibus nimiùm laborabat. Cum tantâ igitur & tam ſolemni exultatione Romanus Pontifex paulatim, prout exigebat neceſſitas, proficiſcens, circa horam nonam ad portam Lateranenſem non mediocriter fatigatus peruenit, vnde ad Patriarchicum Lateranenſis Eccleſiæ atque ad ſacrum ſancti Saluatoris Altare, tanquam verus & bonus Paſtor ac Beati Petri orthodoxus ſucceſſor, cum venerabili gloria multiplicatis laudibus glorioſè deductus eſt atque receptus. Poſt benedictionem verò ad populum datam conſcendit Palatium, vbi recedentibus ad Eccleſias ſuas cunctis Cardinalibus, in lecto fatigatus ex itinere ante cibum modicum recepit. Alterâ autem die in Conſiſtorium exiens, infinitam Laïcorum & Clericorum multitudinem ad pedes & oſcula de more ſuſcepit, & ex tunc ad conſuetas ſtationes vrbis pro ſui officij debito in *Lætare Hieruſalem* ad S. Crucem, & in Paſſione Domini ad ſanctum Petrum perrexit, atque in Paſcha regnum ſolemniter induit.

EX

EX CHRONICO ROMVALDI ARCHIEPISCOPI SALERNITANI.

Anno Dominicæ Incarnationis M. CLXXIII.

FEDERICVS autem Romanorum Imperator recolens & altâ mente reuoluens iniurias ſibi à Lombardis frequenter illatas, & quòd penè contra eum omnes coniuraſſent, & quòd Mediolanenſes, eo prohibente, Mediolanum reædificaſſent, & Alexandrini ciuitatem ſuam de nouo ædificare cœpiſſent, primò Chriſtianum Cancellarium ſuum, & Moguntinum Archiepiſcopum virum vtique prouidum & diſcretum & in negotijs bellicis apprimè eruditum, per montana Lombardiæ, & Ianuam vſque in Tuſciã & Marchiam Anconæ direxit. Marchione Montisferrati & Papienſibus & quibuſdam alijs Lombardis ipſum affectuosè rogantibus, collectâ magnâ multitudine Bretitiorum & aliorum conductitiorum militum Italiam potenter intrauit. Primo autem ingreſſu Aſtenſem ciuitatem, Taurinum & vicinas ciuitates, ipſis ſe ſponte reddentibus, occupauit. Dehinc Marchionis Montisferrati & Papienſium ſuggeſtione Alexandrinam ciuitatem obſedit; multi enim nobiles & populares viri de terra prænominati Marchionis oriundi, plures iniurias & moleſtias perpeſſi, illius inſolentiam perpeti non valentes, relictis habitationibus ſuis, in quadam planitie pariter conuenerunt, & adiuuantibus eos Mediolanenſibus & alijs Lombardis, in eadem planitie ciuitatem de nouo ædificare cœperunt, & eam, ob reuerentiam Papæ Alexandri, Alexandriam vocauerunt. Cùm autem hæc ciuitas ab Imperatore fuiſſet obſeſſa, propter ſui nouitatem nondum tota erat foſſatis circumdata, & domus eius erant paleâ coopertæ, vnde & à Theutonicis in contemptum & hironiam, palearum ciuitas eſt appellata, quę poſteà in conflictu bellico ferrea eſt inuenta. Imperator autem, animantibus eum Papienſibus & Marchione, cœpit ciuitatem viriliter impugnare, machinas circumquaq; inſtruere, foſſata diruere & repellere, & eam frequentibus inſultibus moleſtare, credens illam in breui tempore pro ſuo arbitrio obtinere; ſed Alexandrini, vt pote viri fortes & ad bella doctiſſimi, & pro libertate pugnantes, cœperunt Imperatori animosè reſiſtere, & illius machinas ſuis machinis oppugnare, ſuperue-

niente hyeme quæ ſolito aſperior inhorruerat, adeò quod præ inundatione valida, & algore nimio de equis & hominibus plures extingueret. Imperator autem in ſuo propoſito perſeuerans noluit ab obſidione recedere, ſed eam frequentibus prœlijs & inſultibus varijs non deſtitit impugnare. Adueniente autem Paſcha in die Paraſceues, & Sabbati ſancti propter dierum reuerentiam Imperator imaginariam treguam conceſſit. Cúmque Alexandrini ſub occaſione treguæ ſuæ ciuitatis cuſtodiam aliquantulum neglexiſſent, Imperator nactâ opportunitate, neſcientibus Alexandrinis, foſſas & cuniculos ſub terra fieri iuſſit, & per eos armatos milites intrare fecit, vt ex improuiſo de cuniculis repente erumperent, & ciuitatem huius fraudis neſciam occuparet; ſed mox vt Alexandrini hoc percepêre, arreptis armis cœperunt ad foſſata currere, & introëuntibus Theutonicis viriliter repugnare; ſed operante diuinâ potentiâ, quędam pars foſſati ſubitò corruit, & eos qui in cuniculis & foueis erant, oppreſſit pariter & extinxit. Quo cognito Alexandrini foras egreſſi caſtrum ligneum armatis militibus plenum quod Imperator credebat in ciuitatem inducere, immiſſo igne ſimul cum militibus combuſſere. Imperator autem ſpe, & intentione fruſtratus, & de morte ſuorum vehementer afflictus, non valens vlterius progredi, ſe intra caſtra recepit. Lombardi autem & alij qui cum Alexandrinis coniurauerant, oppreſſione ciuitatis cognitâ, magna militum, & peditum multitudine congregatâ, ad eius liberationem feſtinare cœperunt, & ſecundo die poſt Paſcha circa Alexandriam caſtramentati ſunt; quo cognito Imperator, eis obuiam relictâ ciuitatis obſidione perrexit, cúmque hinc inde acies forent militares diſpoſitæ, & in eo eſſent, vt pariter dimicarent, religioſæ quædam perſonæ & viri ſapientes, inter Imperatorem & Lombardos hunc modum concordiæ tractauerunt, vt Lombardi dimiſſis armis, Imperatoris tanquam Domini ſui gratiam humiliter poſtularent: de hinc tres prudentes viri ex parte Imperatoris, & tres ex parte Lombardorum eligerentur, quorum diſpoſitione, & arbitrio eorum deberet pax, & concordia terminari. Cúmque hoc pactum & Imperatori & Lombardis non modicum placuiſſet, Imperator Papiam redijt, & Lombardi ad propria ſunt reuerſi.

Imperator interim Nuntios ad Alexandrum Papam apud Anagniam direxit, rogans vt aliquos de fratribus ſuis ad eum in Lombardiam mitteret, qui ſimul cum Lombardis tractandę pa-

cis

cis colloquio intereſſent. Papa verò, cõſilio habito, Humbaldum Hoſtienſem, Bernardum Portuenſem Epiſcopos, & Vvilelmum Papien. Cardinalem ſancti Petri ad vincula in Lombardiam miſit, vt ſimul cum Lombardis pacem Eccleſiæ & Italię pertractarent; qui venientes, habito Lombardorum conſilio, diù cum Imperatore pacis colloquium habuerunt; ſed cùm neque Cardinales neque Lombardi aliquem fructum pacis ab Imperatore conſequi potuiſſent, Cardinales & Lombardi, infectis negotijs ad propria redierunt. Imperaror autem ſpe pacis conſequendæ fruſtratus, de nouo guerram Lombardis facere cœpit, & Alexandriam modis quibus poterat infeſtare. Lombardi autem è conuersò cœperunt illi pro poſſe reſiſtere, & Alexandrini opes & auxilium pro viribus miniſtrare; & quia Imperator multos de ſuis & fame & bello amiſerat, & repugnante horrore hyemis in obſidione Alexandriæ ſtare non poterat, ſe cum ſuis in terram Papiam recepit, & nactâ opportunitate temporis frequenter circa Alexandriam diſcurrebat; eius labores & vineas deuaſtabat, capiebat eiues, & damna eis quantacumque poterat inferebat. Alexandrini autem tùm per ſe, tùm Lombardorum auxilio ei viriliter reſiſtebant, & vicina loca quæ ei fauebant, impugnare & deſtruere non ceſſabant. Imperator vires ſuas debilitatas, & militiam ſuam pro maiori parte defeciſſe conſiderans; frequentes Nuntios Principibus ſuis in Alemaniam direxit, rogans atque præcipiens vt ei miſſo militari auxilio, proximâ æſtate ſuccurrerent, quò ſe poſſet ab iniuria illi à Lombardis illata viriliter vindicare. Chriſtianus autem prænominati Imperatoris Cancellarius, quem ipſe in Tuſciam præmiſerat, ſicut vir prouidus & diſcretus, partim viribus, partim precibus Tuſciam pacificauit, & Imperatoris præceptum iurare fecit. Dehinc ad Ducatum Spoletinum & ad Marchiam veniens, multa caſtra regionis illius depopulatus eſt, & cepit Aſſiſiam ciuitatem, & Spoletum ſuo dominio ſubdidit, Anconam cum Venetis tempore longo obſedit; credebat enim Græcum quemdam Conſtantinopolitani Imperatoris Nuntium qui in ciuitate erat, cum ſua pecunia capere; ſed quia ciues eiuſdem ciuitatis ei viriliter reſiſtebant, & Comitiſſa de Berthenoro cum Vvilelmo de Mareyſella nobili Ferrarienſi Caranio cum magna multitudine militum & peditum ad ſuccurſum eiuſdem ciuitatis veniebat, non potuit quod intendebat perficere; ſed receptâ ab Anconitanis magnâ pecuniâ, ab obſidione receſſit. Intereà prædictus Cancellarius ex mandato Imperatoris Nuntios ad Vvi-

lelmum Siciliæ Regem tranſmiſit, ſuadens & poſtulans vt ipſe Imperatoris filiam in vxorem acciperet, cum eo pacem perpetuã faceret, & ipſi ſe amicabiliter covniret; ſed Rex Vvilelmus, vt potè Chriſtianiſſ. & Religioſus Princeps ſciẽs hoc matrimonium Alex. Papæ plurimùm diſplicere, & Romanę Eccleſ. non modicã iacturã inferre, Deum & Alex. Papam in hac parte reueritus, Imperatoris filiã in vxorẽ, & eius pacẽ recipere noluit. Quod factum Imperator ægrè tulit, & multum ad animum reuocauit; ſed non multò poſt Imperatoris filia eſt defuncta. Adueniente autem ætate Philippus Colonienſis Archiepiſcopus, cum quibuſdam Principibus Alemaniæ, & magna multitudine ſtrenuorum militum per Montana Cumanauen. Italiam intrantes Imperatori ſuccurrere feſtinabant, quo cognito Imperator eis obuiare perrexit, & ſimul cum illis verſus partes Mediolani ad deuaſtandum eorum ſegetes ire diſponebat. Quo audito Lombardi licet omnes ſuos nullatenus expectaſſent, Imperatori obuiam ire cœperunt; cúmque exeuntes quoddam nemus ex inſperatò Imperatori, qui militares acies iam ad bella parauerat, ſubitò occurriſſent, cum illo cœperunt habere conflictum; ſed quia non multi adhuc de Lombardis conuenerant, primò ſunt ab Imperatore in fugam conuerſi; pedites autem Mediolanenſes cum paucis militibus qui circa carucam erant fugere non valentes, ſimul conglomerati ſtare cœperunt; Imperator autem videns Lombardos milites aufugiſſe, pedeſtrem multitudinem quæ remanſerat credidit facilè ſuperare. Cúmque congregatâ ſuâ militiâ ſuper eos vellet irrumpere, illi oppoſitis clypeis & porrectis haſtis cœperunt eorum furori reſiſtere, & ad ſe venientes animosè repellere; cúmque conflictus iſte inter Imperatorem, & Lombardos pedites aliquandiu perduraſſet, Lombardi qui fugerant, reſumptis viribus, & alijs qui de nouo venerant ſociati, ad pugnam ſunt animosè reuerſi, & ſimul cum ſuis pedibus ſuper Imperatoris exercitum impetum facientes, ipſum in fugam vnanimiter conuerterunt. Lombardi autem fugientes Theutonicos vſque ad vicinum fluuium inſequuti, multos eorum cedentes gladio plurimos in flumine ſubmerſerunt. Deinde redeuntes ad caſtra magnam Imperatoris & exercitus eius ſuppellectilem occuparunt, & ſic tanta potiti victoria circa Papiam caſtrametati ſunt, ſed quia victoria ſolet elationis ſpiritum miniſtrare, in eodem loco moram facere negligentes ad propria ſunt reuerſi. Imperator autem cùm in prænominata pugna viriliter dimicaſſet & fugientium penè vltimus

extitiſſet

extitiſſet ſuperueniente nocte delituit, & cùm aliquantis diebus fuiſſet abſconditus, & quò diuertiſſet eſſet incognitum, nocte cum paucis Papiã intrauit. Tunc verè manifeſtè noſcens Dei repugnare potentiam, cuius Eccleſiam & Miniſtros perſequi non ceſſabat, ad cor rediens habito ſaniori conſilio Magdeburgenſem Archiepiſcopum, electum VVormacienſem, & Protonotarium ſuum cum Chriſtiano Cancellario qui in partibus illis erat, ad Alexandrum Papam & eius Curiam pro conſequenda pace Anagniam direxit. Qui cùm aliquantis diebus apud Papam & eius Curiam moram feciſſet, habito cum eo & paucis Cardinalibus ſecreto nimis & priuato, de modo & forma pacis conſilio, hac lege & conditione propoſitâ, diſceſſerunt. Papa quidem Alexander, vt potè vir religioſus & ſanctus, pacem Eccleſiæ affectuosè deſiderans, imitatus eum qui ea quæ in cælis & in terris ſunt ſui ſanguinis effuſione pacauit, dignitatem ſui officij & labores ſui corporis pro bono pacis & eo modo non attendens, promiſit per mare vſque ad Rauennam vel Venetiam pergere, & habito Lombardorum conſilio, colloquium cum Imperatore de bono pacis habere.

Eo tempore Emanuël Imperator Conſtantinopolitanus, congregato Chriſtianorum & Paganorum militum & peditum, ſagittariorum, & baliſtariorum infinito exercitu, Brachium ſancti Georgij tranſiens, terram Soldani Vconij violenter inuaſit, & partem eius non modicam occupauit. Soldanus autem de ſua virtute diffidens, per internuntios ſuos Imperatoris amorem & gratiam ſatis humiliter poſtulauit, nec eam potuit impetrare. Cùmque de recuperanda Imperatoris gratia eſſet penitùs deſperatus, nec ei poſſet in campo reſiſtere, congregatâ ſuorum multitudine, in anguſtis locis vnde erat Imperatoris exercitus tranſiturus, parauit inſidias, & ſuper eumdem ex improuiſo irruens, exercitum in fugam conuertit. Cepit ex eis multos Latinos, qui noluerunt fugere: ferè omnes in ore gladij interemit, multos de conſanguineis Imperatoris retinuit, pariter & occidit, crucem Dominicã quam Imperator ſecum detulerat, & Sanctorum reliquias & ſpolia plurima atque theſaurum maximum occupauit. Tunc Imperator, amiſſo tanto exercitu, nullam viam euadendi inueniens, cum Soldano treguas quales potuit fecit, & ſic in terram ſuam, rebus & hominibus perditis, humilis & inglorius redijt; quod ex iuſto Dei iudicio proueniſſe credimus; iuſtus enim iudex conſiderans quòd Imperator, neglectâ religione fidei, de filia ſua Illuſtriſſimo

Regi Siciliæ tradenda in matrimonio, periurauerat, per inimicos fidei de eo voluit vendicari, & indignum reputans Crucem ſuam ab infideli Principe debere ſeruari, paſſus eſt eam in vltionem Imperatoris & iniuriam ab infidelibus occupari; qui tamen eam cum magna reuerentia detinentes, factâ treguâ, Imperatori honorificè remiſerunt.

Intereà Rex Vuillelmus conſilio Papæ Alexandri Heliam Croianum Electum & Arnulphum Caputaquenſem Epiſcopum & Florium de Camerota regium Iuſtitiarium ad Regem Henricum in Angliam miſit, vt ei Ioannam minorem filiam ſuam in vxorem daret. Rex autem Henricus Papæ Alexandri & Principum ſuorum conſilijs acquieſcens petitioni regiæ præbuit gratanter aſſenſum, & filiam ſuam cum Nuntijs eiuſdem Regis, & Principibus ſuis vſque ad ſanctum Egidium honeſtè tranſmiſit. Quo cognito Rex Vuillelmus Alphanum Capuanum Archiepiſcopum & Riccardum Siracuſanum Epiſcopum, & Comitem Robertum de Caſerta cum xxv. galeis ei obuiàm miſit; qui venientes ad ſanctum Egidium, prænominatam Regis filiam intra galeas recipientes, eam vſque Neapolim deduxerunt; ſed quia puella nauigationis inſolita fluctus maris pati non poterat, celebrato Neapolim Dominicæ Natiuitatis feſto, per Salernum & Calabriam Panormum venit, ibique à Rege Vuillelmo & Magnatibus ſuis ſicut decuit ſatis eſt honeſtè ſuſcepta. Conuocatis Rex Vuillelmus Proceribus Siciliæ & magna populi multitudine prænominatam filiam Regis Angliæ in Capella ſua deſponſauit, & ſe, & eam glorioſè coronari fecit, & ſolemnes de illa nuptias celebrauit.

Anno Dominicæ Incarnationis M. CLXXVI. *menſe Februarij indictione* IX.

PAPA autem Alexander in Lombardiam iturus ante feſtum Natiuitatis, Humbaldum Hoſtienſem Epiſcopum & Raynerium Cardinalem in Lombardiam præmiſit, vt Lombardorum conſilio ſecuritatem ab Imperatore reciperent, vt ipſe cum omnibus ſuis & quicumque ad eum ire vellent, ſecurè & ſine damno aliquo pergere poſſent. Venientes autem ad Imperatorem ab eo honorificè ſunt recepti, & præſentibus eis & Lombardis, treguæ & ſecuritates hinc inde ſunt præſtitæ, & vt colloquium tractandæ pacis apud Bononiam fieret vtriuſque partis aſſenſu ordinatum

tum eſt, & diſpoſitum. Cremonenſes autem & Terdonenſes audito quòd Papa venturus eſſet in Lombardiam, vt inter Imperatorem & Lombardos pacem componeret; credentes anticipare alios & ob hoc maiorem Imperatoris gratiam impetrare, obliti promiſſionis & iuramenti quod alijs ciuitatibus fecerant, eis nolentibus & contradicentibus cum Imperatore ſunt concordati. Vnde poſtmodum à Papa & ab omnibus qui hoc audierunt, viles & proditores ſunt habiti. Papa verò antequam iter arriperet Nuntios ſuos ad Regem Vvillelmum in Siciliam miſit vt aliquos de Magnatibus ſuis à latere ſuo ad eum tranſmitteret, qui cum illo & pro parte eius tractandæ pacis colloquio intereſſent; Papa enim firmiter in ſuo habebat propoſito, nequaquam cum Imperatore ſine Rege Vvillelmo pacem facere, vt qui adiutor Eccleſiæ & defenſor in tribulatione fuerat, in compoſitione pacis Eccleſiaſticæ ſocius & particeps fieret.

Rex verò Vvillelmus Romualdo ſecundo Salernitano Archiepiſcopo & Rogerio Comiti Andriæ & Magiſtro Comeſtabuli, & Magno Iuſtitiario totius Apuliæ & Terræ Laboris, per literas ſuas dedit in mandatis vt honorificè præparati ſimul cum Papa in Lombardiam pergerent, & pro parte regia componendæ pacis cum Imperatore tractatui intereſſent. Alexander igitur Papa ab Anagnia ſe mouens, & per Terram Laboris Beneuentum veniens, à feſto Natiuitatis vſque in Epiphaniam ibidem eſt demoratus. Dehinc per Troiam Sipontum Veſtam venit & Vvillelmum Portuenſem Epiſcopum & Hyacinthum Cardinalem ſanctæ Mariæ de Schola Græca, & quoſdam alios Cardinales per terram præmiſit, quia mare propter eius inundationes & procellas intrare metuebant. Quos exeuntes de terra Aprutij & de finibus Regni, Chriſtianus Cancellarius per Marchiam ſatis honeſtè ad Imperatorem Rauennam vſque deduxit. Imperator autem eos affectuosè recepit, & ſicut decuit multum honoris & reuerentiæ illis exhibuit. Alexander verò Papa ſimul cum Manfredo Præneſtino Epiſcopo & Ioanne Neapolitano & Hugone de Bononia & Boſone & Cencio Capello Cardinalibus, & prænominatis Regis Nuntijs, impediente tempeſtate, apud Veſtam vſque in quartam Feriam quando ieiunium inchoabatur, nono ſcilicet die, intrante menſe Martij demoratus cum vndecim galeis Mare Adriaticum eſt ingreſſus, & Dominico die primo venturo Iaderam applicuit, vbi ab Archiepiſcopo, & Epiſcopis regionis illius, & Comite & populo ciuitatis ſatis honorificè eſt receptus. Dehinc per inſulas

Dalmatiæ nauigans nono die reſiduo ſtante menſis Martij ad portum Venetiæ aurâ flante ſecundâ peruenit; & ibidem cum omnibus ſuis de galea deſcendens in Monaſterio ſancti Nicolai quod dicitur ad litus, ipſo die quieuit. Alterâ autem die Dux Venetiæ cum magno nauium & populi multitudine, & Patriarcha Venetiæ, ſimul cum Patriarcha Aquileiæ & omnibus ſuis Suffraganeis ad pedes Alexandri Papæ humiliter accedentes, ipſum proceſſionaliter cum ſummo honore & gloria vſque ad ſancti Marci Eccleſiam deduxerunt; in qua factâ oratione, populum benedixit. Dehinc nauem Ducis cum ipſo ſimul ingreſſus vſque ad Palatium Patriarchæ veniens in ipſo hoſpitio ſe recepit. Epiſcopi autem & Abbates vicinarum partium, aduentu Papæ cognito omnes cum ſuis Clericis ad eius veſtigiâ deuotè & humiliter acceſſerunt.

In feſto autem Annunciationis Virginis Papa à Duce Venetiæ & Magnatibus eius affectuosè rogatus, ad Eccleſiam ſancti Marci cum Cardinalibus ſuis acceſſit, & in ea Miſſam publicè decantauit. Fridericus autem Imperator, qui apud Ceſenas morabatur, cùm aduentum Papæ in Venetijs cognouiſſet, Magdeburgenſem Archiepiſcopum & Electum Vvormacienſem & Protonotarium ſuum ad eum tranſmiſit, affectuosè poſtulans vt ſi ei placeret, locum futuri colloquij à Bononia tranſmutaret; non enim ſibi tutum fore arbitratur Chriſtianum Cancellarium ſuum cum alijs Nuntijs illuc dirigere, eò quòd eiuſdem loci ciuibus odioſus eſſet pariter & offenſus, quia eos in bello deuicerat & iniurias plurimas & damna intulerat. Quibus Papa reſpondit.
» [Imperator, Legatorum noſtrorum & Lombardorum conſilio
» communi pariter & aſſenſu, tractatum pacis apud Bononiam ha-
» bere diſpoſuit. Quod ergo de communi voluntate eſt diſpoſitum,
» non debet ſine communi conſilio immutari.] Quâ de causâ Alexander Papa Cardinalibus qui erant Rauennæ, Archiepiſcopis, Epiſcopis & Abbatibus, Poteſtatibus, Conſulibus & Rectoribus Lombardiæ mandauit, vt ei Ferrariam occurrerent, quatenùs communicato eorum conſilio Imperatori de loco in quo habendum eſſet pacis colloquium & de alijs ſuis petitionibus reſponderet. Ipſe verò cùm Venetijs diebus eſſet xv. demoratus, per mare Lauretum venit. Dehinc per Padum Ferrariam cum galeis vndecim in Dominica Paſſionis aſcendit, vbi ab Epiſcopis multis & eiuſdem vrbis ciuibus & magna populi multitudine quæ illuc propter feriam quæ illic celebrabatur conuenerat, ſatis eſt magnificè

& honeſtè ſuſceptus. Proximâ verò ſeptimanâ Rauennas Archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis, Mediolanen. Archiepiſcopus cum Epiſcopis & Abbatibus, Lombardiæ Poteſtates, Rectores, Conſules & multi prudentes de ciuitatibus Lombardiæ, Ferrariam ad Alexandrum Papam feſtino greſſu lætabundi venerunt, quos Papa paterno affectu prout decuit benignè ſatis & iucundè ſuſcepit.

Alterâ verò die cum eis in maiori Eccleſia ſancti Georgij congregatâ populi multitudine magnâ conuenit; quos, facto ſilentio, tanquam filios taliter eſt alloquutus. [Nouit veſtra diſcretio, « dilectiſſimi filij, quòd peccatis noſtris exigentibus, nauis Eccleſię « quæ in portu placido & tranquillo deberet conſiſtere, adeò perſe- « cutionis validè procellas ſuſtinuit, adeò iniquorum hominum « turbines & fluctus incurrit, quòd penè eſt profundo pelagi cum « ſuo gubernatore demerſa; Imperator enim Romanus qui Eccle- « ſiam tanquam illius aduocatus gubernare & defenſare debuit, « impugnauit; & ſuæ voluntatis, non rationis, ſequens arbitrium, « eam à ſua vnitate diuiſit: Altare contra Altare extulit, & incon- « ſutilem Chriſti tunicam (quantùm in eo fuit) diuidere non ex- « pauit. Vnde Eccleſiaſticâ virtute diuiſâ & pacis vinculo diſſoluto, « Romanæ Eccleſiæ dignitas penè deperijt, & quæ Domina gen- « tium & Princeps prouinciarum fuerat, facta eſt ſub tributo. Et « quia imminente validæ perſecutionis articulo Romanæ Eccleſiæ « quodammodo eſt debilitata authoritas, cùm non eſſet qui delin- « quentium errores & peccata corrigeret, Sanctorum Patrum ſta- « tuta & Canones de ſuo ordine ſunt & iure mutata, ſicque factum « eſt quòd occaſione huius ſchiſmatis & diſcordiæ multæ Eccleſiæ « & Monaſteria ſunt deſtructa, honeſtas ex parte perdita & Religio « violata, adulteria plurima, fornicationes, furta, & homicidia ſine « vindice perpetrata: caſtella & vrbes ſunt dirutæ & incendio con- « crematæ: res viduarum & pauperum prædæ ſunt & direptioni ex- « poſitæ. Sed licet iuſtus iudex & patiens retributor, culpâ humani « generis exigente, iam per decem & octo annos virgam peccato- « rum ſuper ſorte iuſtorum iuſto iudicio, ſed occulto reliquerit, & « Eccleſiam ſuam perſecutione validâ paſſus ſit vehementer affligi; « tandem motus ad veniam pio compaſſionis oculo afflictionem « ſui populi miſeratus aſpexit, & nauem Eccleſiæ ſuę cum Petri Vi- « cario & ſuis fratribus, perſecutionis vndâ penè demerſam noctis « medio viſitauit, & de ſalute propria & futura tranquillitate peni- « tùs deſperantes, voce ſalutiferâ confortauit, dicens: Confidite, « Ego ſum, nolite timere. Ad cuius vocis imperium ventus tribu- «

" lationis ſiluit & vnda perſecutionis quieuit; operante enim illo " qui voluntates Principum pro ſuo beneplacito dirigit, & corda " Regum ſicut vult ordinat & diſponit, Imperator Romanus qui " verbum pacis audire non poterat, mutatus in virum alterum, pa- " cem modò requirit & Eccleſiæ concordiam quam deſpexerat " nunc affectuosè depoſcit. Benedicta ſit gloria Domini de loco " ſancto ſuo. Ecce enim lapis quem ædificantes reprobauerant, fa- " ctus eſt in caput anguli & in ſummitate Eccleſiæ collocatus. Non " ab homine ſed à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in ocu- " lis noſtris; quod ſenex Preſbyter & inermis furori Theutonico " potuit propugnare & ſine bello Imperatoris potentiam potuit " debellare, quod ex manifeſto Dei iudicio credimus proueniſſe, " vt humana ſuperbia manifeſtè recolat, & totus mundus euiden- " ter agnoſcat, quòd pugnare contra Deum ſit impoſſibile, & ne- " mo illius potentiæ audeaţ contraire; ſolus enim Altiſſimus do- " minatur in Regno hominum, & cui voluerit dabit illud. Et licet " Imperator nos de pace Eccleſię & dilecti in Chriſto filij & illu- " ſtris Regis Siciliæ apud Anagniam per ſuos Nuntios requiſierit, & " eam vobis abſentibus perpetrare voluerit; nos tamen ardorem " veſtrę fidei & deuotionis firmiter recolentes, conſiderantes etiam " qualiter vos murum pro domo Hieruſalem opponere ſtuduiſtis, " & qualis pro ſtatu Eccleſiæ & libertate Italiæ viriliter decertaſtis, " oblatam nobis Imperatoris pacem recipere ſine vobis nolumus; " vt ſicut fuiſtis ſocij tribulationis, participes ſitis gaudij. Inde eſt " quod non attendentes honoris proprij dignitatem, nec cauſati " corporis fatiſcentis ętatem, nec Maris veriti tempeſtatem, nos & " fratres noſtros labori & periculo exponere non timuimus; ſed ad " vos per ignem & aquam indubitanter acceſſimus, vt veſtro com- " municato conſilio, oblatam Imperatoris pacem, ſi Eccleſię & il- " luſtri Regi Siciliæ & vobis conueniens fuerit & idonea, ſuſcipere " debeamus]

Poſtquam Alexander Papa ſuo ſermoni finem impoſuit, Lombardi in vtraque militia diligenter inſtructi, (ſicut enim in bello ſtrenui, & ad concionandum populo mirabiliter eruditi) per ſapientes ſuos taliter Apoſtolico reſponderunt.

" [Venerande Pater & Domine. Vniuerſa Italia pedibus ſe ve- " ſtræ dominationis inclinat, & ſuę deuotionis obſequia cum gra- " tiarum actione multiplici veſtrę beatitudini repræſentat. Lætatur " autem plurimum & exultat quod Pater ad filios, Prælatus ad ſub- " ditos, Dominus ad ſubiectos eſt dignatus accedere, vt errantes

oues

oues à luporum morſibus potenter eripere, & ad caulas Eccleſiæ «
prudenter valeat reuocare. Perſequutionem quam vobis & Ec- «
cleſiæ Imperator intulit, magis opere quam ſermone cognoſci- «
mus, & perſequutionis eius moleſtias quas mundus auditu didi- «
cit, nos in noſtris tribulationibus experimento ſentimus. Primò «
enim nos eius impetum ſuſtinuimus: primò nos illius furori ob- «
iecimus, & ne ad deſtruendam Italiam & libertatem Eccleſiæ op- «
primendam propius poſſet accedere, noſtrorum corporum & «
armorum obice prohibuimus: nos pro honore & libertate Ita- «
lię & Romanæ Eccleſiæ dignitate ſeruanda Imperatorem cum «
ſuis ſchiſmaticis nec recipere, nec audire voluimus; & ob hoc ex- «
penſas non modicas, labores plurimos, & anguſtias, damna re- «
rum, pericula mortis & corporum ſubire non refutauimus. Et «
inde (Reuerende Pater) ſatis eſt conueniens & rationi plurimum «
conſentaneum, vt oblatam vobis Imperatoris pacem non ſolum «
ſine nobis non recipere, ſed nec etiam audire debeatis. Ipſe nam- «
que ſępè nobis pacem ſine Eccleſia obtulit, nec recepimus: con- «
cordiam nobiſcum ſine vobis facere voluit, nec admiſimus; ma- «
gis enim volumus guerram illius cum Eccleſiæ vnitate incurrere, «
quam pacem eius cum Eccleſiæ diuiſione ſeruare. Quod autem «
perſonam veſtram & ſtatum veſtrorum expoſuiſtis periculo «
& labori, Paternitati veſtrę ſuper hoc de abundanti reſpondemus; «
nam pro paucis laboribus multos rependimus, pro paucis pericu- «
lis maiora recepimus, dum pro honoris veſtri, & Eccleſiæ gloria «
indifferenter expendimus, & pro liberanda Eccleſia nos & no- «
ſtros filios morti exponere non timuimus. Sciat autem veſtra «
Sanctitas, & Imperialis potentia euidenter agnoſcat, quod nos «
gratanter Imperatoris pacem ſaluo Italiæ honore recipimus & «
eius gratiam, libertate noſtra remanente, præoptamus: quod ei de «
antiquo debet Italia libenter exoluimus, & veteres illi iuſtitias «
non negamus; libertatem autem noſtram quam à patribus no- «
ſtris, auis, & proauis hæreditario iure contraximus, nequaquam «
relinquimus, quam amittere, niſi cum vita timemus; magis enim «
volumus glorioſam mortem cum libertate incurrere, quam vi- «
tam miſeram cum ſeruitute ſeruare. Quod autem illuſtrem Re- «
gem Siciliæ ad conſortium noſtræ pacis adſciſcitis; gratum no- «
bis reſidet plurimum & acceptum; quia eum amatorem pacis, «
& cultorem iuſtitiæ recognoſcimus; ipſe namque præ ceteris «
mundi Principibus ſuis & extraneis pacem tribuit, & ſecurita- «
tem impendit; quod viatores noſtri per opera ſentiunt, & pere- «

" grini experimento teſtantur, qui in vijs & campis ſine cuſtode
" dormiunt, & in nemoribus abſque ſuarum rerum amiſſione
" quieſcunr. Er vt breui concludamus, in ſumma maior pax & ſe-
" curitas in Regni eius nemoribus, quam in aliorum Regnorum
" vrbibus inuenitur, & ideò talem ac rantum Principem, & noſtrę
" pacis ſociũ, & noſtrę ſocietatis eſſe volumus Dominũ & amicũ.]
Poſtquam Lombardi finem fecere dicendi, Papa eos de more benedixit, & ad hoſpitia ſingulos abire permiſit.

Poſt diem autem tertium Chriſtianus Cancellarius Colonienſis, Magdeburgenſis & Treuerenſis Archiepiſcopi, Vvormacienſis electus, Gottefridus alius Cancellarius & Protonotarius ex parte Imperatoris Ferrariam ad Papam venientes, reſidentibus cum eo Regis Nuntijs & Lombardis in Conſiſtorio publicè proteſtati
" ſunt, & dixerunt: [Venerande Pater & Domine, ſicut Impera-
" tor Romanus vobis per ſuos Nuntios apud Anagniam repromi-
" ſit, ita paratus eſt vobiſcum & cum Eccleſia, cum Illuſtri Rege
" Siciliæ & cum Lombardis per nos pacem facere & ſeruare; &
" ideò nobis ſeptem faciendæ pacis authoritatem contulit; & quic-
" quid de bono pacis coram veſtra præſentia ſtatuerimus, hoc to-
" tum Imperialis dignitas rati habitione firmabit.]

Hoc autem verbum Papæ admodum placuit, & habito conſilio alios ſeptem Humbaldũ videlicet Hoſtienſem, Vvillelmum Portuenſem & Manfredum Pręneſtinum Epiſcopos, Ioannem Neapolitanum, Theodinum de Arrone & Perrum de Bona Preſbyteros Cardinales, & Hyacinthum Diaconum Cardinalem pro parte Eccleſiæ pacis arbitros & mediatores inſtituit. Lombardi autem totidem perſonas, Taurinenſem videlicet, Bergomenſem & Comanum Epiſcopos, & Aſtenſem Electum, Girardum de Peſta Mediolanenſem, & Godo Veronenſem Iudices, & Albertum de Gambara Brixienſem ciuem ad ſuæ pacis compoſitionem vnanimiter ſtatuerunr. Præcepit etiam Papa Nuntios Regis Siciliæ huic pacis tractatũi intereſſe. Priùs autem quàm pacis capitula hinc & inde eſſent in medium producta, de loco colloquij non modica inter eos oborta contentio; Lombardi enim volebant hunc pacis tractatum apud Bononiam fieri, ſicuti per Imperatorem & Hoſtienſem Epiſcopum & eos fuerat ordinatum; è contrariò autem Imperatoris Nuntij reclamabant ſe nequaquam pro tali cauſa Bononiam profecturos, eò quòd Chriſtianus Cancellarius Bononienſibus odioſus eſſet plurimùm & infeſtus; ſed cum illis pro hoc negotio libenter Venetijs conuenirent, vbi vtræque

partes

partes poſſent ſine timore pergere & cum ſecuritate manere; Lombardi autem è diuersò ſuſpectos Venetos aſſerentes illos pacis cum eis initæ fœdera violaſſe, & ſæpe Imperatoris Nuntios contra hoc quod ſtatutũ inter eos fuerat, recepiſſe. Cúmque hæc contentio aliquantis diebus de loco colloquij perduraſſet, tãdem ſuadentibus Regis Nuntijs, voluntati Domini Papæ præbuere conſenſum, & ſe ituros Venetias: pro iſtis tamen priùs ſecuritatibus promiſerunt. Quâ de causâ Papa Hugonem Bononienſem & Raynerium Cardinales cum quibuſdam Lombardis Venetias miſit; itavt à Duce & populo Venetiæ ſecuritatem reciperent, quòd ipſe cum ijs qui eſſent ad colloquium profecturi, ſecure poſſent intrare Venetias & exire, & in eis cum rebus ſuis ſalui & ſine timore perſiſtere; & quod Imperatorem ſine mandato Papæ intrare fines Venetiarum vllatenùs non permitterent.

His autem abeuntibus, Chriſtianus Cancellarius qui Ferrarienſes quos in bello offenderat, plurimùm metuebat, quintâ feriã maioris hebdomadę à Ferraria mouens Venetias feſtinus aduenit. Papa autem Alexander cum magno conuentu Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Abbatum, Paſchalem feſtiuitatem quæ XXIV. die menſis Aprilis eo tempore occurrebat, atque Octauas, vt moris eſt, Ferrariæ ſolemniter celebrauit.

Cúmque à Cardinalibus quos Venetias miſerat, de ſecuritate à Duce & populo præſtita reſponſum idoneum accepiſſet, nono die menſis Maij cum Regis Nuntijs galeas ingreſſus, ſequentibus eum Cardinalibus & Lombardis, eo die per Padum Lauretum deſcendit. Alterâ verò die per mare ad ſanctum Nicolaum, qui dicitur ad littus, applicuit. Tertiâ autem die à Duce & populo Venetiæ, Patriarchâ & vniuerſo Clero, primò ad ſanctum Marcum, dehinc ad Patriarchæ Palatium cum magna gloria eſt & honore deductus. Poſtquam autem Cardinales & Lombardi qui Papam fuerunt ſubſequuti Venetias applicuerunt, Papa mediatoribus pacis iniunxit vt in Cappella quæ erat in Palatio Patriarchę conuenientes, primò de pace Lombardorum, quæ prolixiori indigebat tractatu, haberent colloquium, de pace Regis & Eccleſiæ, quæ quaſi vna eſt, poſtmodum tractaturi.

Cùm hoc autem factum eſſet; & rationes multiplices fuiſſent hinc inde prolatæ, tandem Chriſtianus Cancellarius pro parte Imperatoris diſtinctè rem triplicem propoſuit, dicens.

[Petit à vobis Imperator & poſtulat, vt aut de regalibus & his "
quæ ad eum pertinent, quæ vos detinetis, illis iuſtitiam faciatis, aut "

« ſententiam à Iudicibus Bononiæ apud Roncaliam contra vos
« pronunciatam executioni mandetis,vel ea quæ anteceſſores veſtri
« ſeniori Henrico reddere conſueuerunt, illi faciatis.] Quo audito Gerardus Peſta Mediolanenſis Iudex pro parte Lombardorum reſpondit.

« [Nos quidem Imperatori vndecunque nos appellauerit, para-
« ti ſumus ſicut domino iuſtitiam facere;ſed quia hæc inſtantia non
« eſt vnius hominis,ſed multorum;non vnius ciuitatis,ſed plurium;
« ſecundum cauſarum merita inducias poſtulamus vt deliberantes
« plenius ſuper his quæ nobis obiecta fuerunt, competenti loco
« & termino apud communem iudicem reſponſuri veniamus.
« Quod autem dixiſti apud Roncaliam à Bononienſibus iudicibus
« contra nos ſententiam fuiſſe prolatam ; planè inficiamur, eam
« non fuiſſe ſententiam, ſed Imperatoriam iuſſionem; cùm enim
« plures ex nobis, nec per contumaciam fuiſſemus abſentes, quic-
« quid tunc contra nos dictum fuit, nobis nocere non debet, nec
« pro ſententia reputari; ſecundùm leges enim in abſentes prolata
« ſententia nullius eſt roboris vel valoris. Quod verò poſtulaſti vt
« ea Imperatori reddere deberemus quæ ſeniori Henrico à noſtris
« anteceſſoribus ſunt ſoluta; reſpondemus quod prænominati Im-
« peratoris diſpoſitiones pariter & ſtatuta propter antiquitatẽ tem-
« poris iam penè perdidere memoriam; nec viuit aliquis noſtrum
« vel veſtrum, qui bene poſſet illius temporis dicta vel facta reco-
« lere. Item Imperator Henricus (ſalua auctoritate Imperij) non
« debet Dominus ſed tyrannus vocari; cùm enim miſiſſet manum
« in ſanctum Domini, & Paſchalem Papam ſuper altare cepiſſet,
« & cùm multas Eccleſias deſtruxiſſet, & Epiſcopos excæcaſſet,
« eius facta velut crudelia & tyrannica, non ſunt trahenda ad conſe-
« quentiam vel ad memoriam reuocanda; ſed ſi Imperatori pla-
« cuerit, ea quæ anteceſſores noſtri iuniori Henrico, Conrado, &
« Lothario, & ei vſque ad hæc tempora reddiderunt, recipere, pa-
« rati ſumus in pace perſoluere. Quod ſi hoc Imperatori graue re-
« ſidet, & videtur pacem quæ inter nos & eum per Cremonenſes
« tractata fuit, & in ſcriptis redacta, volumus firmiter obſeruare; quę
« eo tempore completa fuiſſet, niſi quia Imperator volebat nos
« ab Eccleſiæ vnitate recedere, & Alexandri Papæ Pontificium
« denegare. Prouideat ergo ſuper hoc veſtra diſcretio, ſi quia ſchiſ-
« mati conſentire noluimus, debeamus noſtræ pacis conditionem
« deteriorem efficere.]

Cùm autem ſcriptura de tractatu pacis habita, & per Cremonenſes

nenſes Lombardis alijs delegata producta fuiſſet in medium, cœperunt Theutonici quibuſdam ſcripturæ capitulis diligenter apponere, & eorum ſenſum ad ſuæ partis commodum retorquere: quædam verò capitula denegare. E contrà Lombardi cœperunt illorum reſponſiones ſuis reſponſionibus confutare, & his quæ obiecta fuerant ſatis ſtudioſè reſiſtere. Ad comprobanda verò capitula quæ ipſi negauerant, cœperunt Cremonenſium, licèt eſſent inimici, teſtimonium inuocare. Cúmque ſuper his capitulis diebus eſſet plurimis diſputatum & nihil penitus definitum, ex vtriuſque partis conuenientia quæcunque hinc & inde dicta fuerant, ad Papæ audientiam ſunt relata.

Alexander autem Papa, vt pote vir eruditus & ſapiens, conſiderans Imperatoris & Lombardorum pacem multis eſſe controuerſijs & quęſtionibus inuolutam, nec eam poſſe breui ſpatio temporis conſumari, tractatu pacis poſtpoſito cœpit cum eis de treguis ſex annorum agere, ſperans per treguas ad conſumationem pacis faciliùs poſſe perueniri. Tunc etiam Theutonicis de pace Regis Siciliæ verbum propoſuit, affectuoſè poſtulans vt Imperator cum eo aut pacem perpetuam, aut temporalem vſque ad annos quindecim faceret, in veritate ſciturus quòd nullatenùs pacem eius & Eccleſiæ poſſet habere, Rege Siciliæ in diſcordia remanente. Chriſtianus autem Cancellarius cum ſuis ſocijs conſilio communicato reſpondit.

[Nouit veſtra diſcretio, Venerande Pater ac Domine, quod nos ab Imperatore accepimus in mandatis vt vobiſcum de pace Eccleſiæ, Regis Siciliæ, & Lombardorũ haberemus colloquium & tractatum; ſed quia vos tractatu pacis omiſſo, nouum verbum nobis de treguis faciendis proponitis, non poſſumus ſanctitati veſtræ ſuper hoc certum dare reſpóſum, quoad vſque verbum iſtud quod de nouo audiuimus ad Imperatoris audientiam referamus.]

Acceptâ itaque à Papa licentiâ, ad Imperatorem qui apud Pompoſam venerat, gradu concitò perrexerunt; eſt autem Pompoſa locus quidam delectabilis & nemoroſus inter Rauennam & Venetiam collocatus; cúmque Imperatori petitionem Papę de componenda pace cum Rege Siciliæ vſque ad annos quindecim, & de faciendis treguis cum Lombardis vſque ad annos ſex per ordinem expoſuiſſent, aduersùs eos vehementer indignatus infremuit, aſſerens illos in hoc tractatu pacis magis Alexandri Papæ honori & commodo, quàm dignitati Imperij prouidiſſe. Quare præcepit eis vt ad Papam redeuntes firmiter ei ex ſua parte proponerent,

quod ipſe cum eo & Eccleſia pacem libenter faceret; ſed Regis Siciliæ & Lombardorum treguas denegaret; qui venientes totum Papæ per ordinem retulerũt ſicut illis fuerat ab Imperatore mandatum. Poſt quorum diſceſſum Imperator Gotefridum minorem Cancellarium cum Epiſcopo Clarimontis & Abbate de Bonaualle Venetias delegauit, iniungens eis quòd Chriſtiano Cancellario & ſocijs ſuis ignorantibus, cautè & priuatim Papę ex ſua parte ſignificarent, quòd ipſe amoris eius intuitu pacem Regis Siciliæ vſque ad annos quindecim, & vſque ad ſex annos Lombardorum treguas concederet, ſi Papa cuidam ſuæ petitioni præberet aſſenſum, quam tamen petitionem ei volebat penitùs eſſe incognitam; ſed duobus Cardinalibus quos ipſe legiſſet, volebat illam diligenter exponi, eâ tamen conditione quòd ſi Cardinales electi petitione cognitâ de ea complenda conſilium Papę tribuerent, ipſe eam ſine dilatione perficeret.

Ex mandato itaque Papæ Humbaldus Oſtienſis Epiſcopus & Theodinus Cardinalis ad hoc negotium ſunt electi, quibus Imperatoris petitio ab eius Nuntijs priuatim eſt & ſtudioſè expoſita; cúmque Cardinales petitione cognitâ Papæ ſuggererent quòd petitioni Imperatoriæ præberet aſſenſum, Alexander Papa, vt potè homo prouidus & diſcretus, cœpit quęnam eſſet occulta illa petitio animo æſtuanti reuoluere, & Theutonicorũ dolos & verſutias ſuſpectas habere. Quare mutauit cum volũtate conſilium, aſſerens non decere auctoritatem Apoſtolicam petitioni incognitæ præbere conſenſum, nec de re dubia & incerta aliquid reſpondere; ſed ſi petitionem illam vellent ei fideliter aperire, & talis eſſet illa petitio quæ contra honorem Dei & damnum Eccleſię non ſpectaret, libenter eam effectui manciparet. Quo audito Gotefridus minor Cancellarius indignatus ad Imperatorem redijt: Epiſcopus autem Clarimontis cum Abbate de Bonaualle qui remanſerant, videnres quod nullum à Papa poſſent habere reſponſum (licet inuiti) petitionem Imperatoris Papæ expoſuerunt.

Erat autem hæc petitio. Imperator Papæ per Nuntios ſuos promiſerat quòd ſi pacem cum eo faceret, Terram Comitiſſæ R. Mathildis, quam ipſe tenebat in manu eius & Eccleſiæ poteſtate remitteret. Petebat ergo vt liceret ei vſque ad quindecim annos, videlicet quouſque pax Regis Siciliæ perduraret, eiuſdem Terræ redditus ſine contradictione recipere: completis verò quindecim annis volebat, poſſeſſione penes eum remanente, ſtatim de eadem

Terra

Terra cum Eccleſia placitare, aſſerens illam ad ius ſui Imperij pertinere; Papa autem intuitu Regis Siciliæ quem plurimum diligebat, vſque ad condictum terminum Imperatori prænominatæ Terræ fructus habere conceſſit; hac tamen cõditione, quòd completis quindecim annis ad poteſtatem, & poſſeſſionem Romanę Eccleſiæ Terra illa rediret, & tunc Eccleſia in poſſeſſione poſita, ſi Imperator vellet de proprietate terræ illius agere, libenter ei Eccleſia iuſtitiam faciat.

Poſtquàm autem hic modus petitionis implendæ per Epiſcopum Clarimontis, & Abbatem de Bonaualle fuit Imperatori propoſitus, plurimum illi diſplicuit, & hic concordia per illos tractata remanſit. Chriſtianus autem Cancellarius & reliqui qui cum eo mediatores pacis fuerant conſtituti, cognito quòd Imperator per alios pacem Eccleſiæ tractare voluiſſet, nimium doluerunt, & venientes ad Papam Alexandrum dixerunt.

[Sanctitati veſtræ (Domine) eſſe volumus non incognitum, “
quòd noſtri odio & inuidia pax Eccleſiæ præpeditur; quidam “
enim noſtri ęmuli falſa de nobis Imperatori ſuggerunt, & volunt “
in hac parte nos ei odioſos reddere pariter & ſuſpectos, & ideò ve- “
remur plurimũ, nedum nos abſentes ſumus qui pacem diligimus, “
& Nuntij in eundo, & redeundo ſine fructu tempora longa con- “
ſumunt, Imperator prolixitate temporis, affectus tædio deſidera- “
tam pacem abhorreat, & ſuggeſtione prauorum hominum, in- “
fectâ pace recedat. Conſulimus ergo diſcretioni veſtrę vt ſi vo- “
bis placuerit, proprius Imperator accedat, vt veſtris & ſuis Nun- “
tijs citò ire, & redire valentibus, inchoata pax, volente Domi- “
no, citò valeat conſumari.] Papa autem habito cum Nuntijs Re- “
gis Siciliæ & Lombardis conſilio, reſpondit.

[Nobis quidem placet admodum vt Imperator Clozam, “
quæ à Venetijs quindecim diſtat millibus, cum paucis veniat; eâ “
tamen conditione, quòd vos in anima veſtra iurare faciatis, vt “
poſtquam illico venerit, abſque noſtro mandato, & licentia vlte- “
rius non procedat.] Iuramento itaque in hunc modum præſtito, “
Colonienſis Archiepiſcopus cum quibuſdam alijs Ceſenam ad Imperatorem venit, & eum cum ſuis Clozam vſque deduxit. Quidam autem populares Veneti, cognito Imperatoris aduentu ad eum accedentes, cœperunt illi ſtudiosè ſuggerere vt abſque mandato Papæ, & licentia Venetias ſecurus intraret, firmiter promittentes, quòd eorum conſilio & auxilio pacem poſſet cum Eccleſia & Lombardis pro ſuą voluntate componere.

Quorum verbis Imperator aliquantulùm acquieſcens, præcepit eis vt dicta operibus conſumarent, dantes operam vt totum populum ad perfectionem huius negotij cautè & ſapienter inducerent. Alexander autem Papa audiens quod Clozam Imperator veniſſet, Vvillelmum de Papia Portuenſem Epiſcopum, & Ioannem Neapolitanum, & Theodinum, & Petrum de Bona Preſbyteros Cardinales, & Hyacinthum Diaconum Cardinalem cum Chriſtiano Cancellario & alijs Theutonicis, qui pacis mediatores erant, ad eum direxit, mandans, vt ſi beneplacitò illius eſſet, ipſe Nuntios Regis Siciliæ & quoſdam de Lombardis Clozam tranſmitteret, vt illis præſentibus, Imperator in anima ſua per Principes ſuos iurare faceret, quòd pacem Eccleſiæ, & pacem Regis Siciliæ vſque ad annos quindecim, & treguas Lombardorum vſque ad annos ſex firmiter obſeruaret; quo facto Venetias poſſet ſecurus accedere, eius procul dubio benedictionem, & gratiam habiturus. Imperator verò quia aures ſuas verbis Venetorum quodammodo inclinauerat, & eorum reſponſa diebus ſingulis expectabat, cœpit Cardinalibus de verbo pacis, quaſi nouum eſſet & ſibi incognitum reſpondere, & longis conſultationibus de die in diem ſua reſponſa differre. Quo cognito Cardinales turbati ſunt plurimum, & mirati, & quidnam deberent facere neſciebant.

Intereà populares Veneti à Cloza Venetias redeuntes in ſancti Marci Eccleſia congregati totius penè populi ſeditionem & tu-
« multum contra Ducem ſuum excitauerunt, dicentes [Domine
« Dux non benè honori & commodo commiſſi vobis populi pro-
« uidetis. Ecce enim Imperator Romanus apud Clozam iam diebus
« aliquantis eſt demoratus, vbi caloris diſtemperantias & muſca-
« rum & culicum plures moleſtias ſuſtinet, nec licet Venetias in-
« trare; quod ipſe multùm grauiter recepit, & vindicandum in po-
« ſterum altâ mente reponit; & ideò veremur, ne tam grauis offen-
« ſa quandoque vniuerſo populo periculoſa poſſit eſſe pariter &
« damnoſa. Quare de noſtra voluntate eſt, vt ſi veſtræ reſidet celſi-
« tudini Imperator Venetias à vobis & à populo inuitatus accedat.]
« Quibus Dux benignè reſpondit. [Benè poteſtis firmiter recolere,
« Domini, quod ad petitionem Papæ per duodecim prudentes vi-
« ros in anima omnium noſtrorum iurare fecimus, quod abſque
« mandato eius & licentia Imperatorem intra fines Venetiæ nulla-
« tenus recipere deberemus. Prouideat ergo diſcretio, ſi contra te-
« norem iuramenti noſtri, Papâ inconſultò Imperatorem debea-

mus

mus huc aduocare.] Cui illi protinus reſponderunt. [Poſtquam „
ex mandato Papæ Clozam quæ intra fines eſt Venetiæ Imperator „
intrauit, planè à noſtri iuramenti ſumus vinculis abſoluti.] Cúm- „
que ſuper hoc à Duce & populo eſſet diutiùs diſceptatum, tandem
de communi conſenſu quidam Veneti ſunt ad Papam directi.
Qui venientes, ſicut viri improbi & ſuperbi, dormientem Papam
excitare non timuerunt, proponentes ei ex parte Ducis & populi
quòd de eorum erat voluntate & beneplacito, quòd Venetias
Imperator intraret, quod verbum Papæ admodum diſplicuit, &
multùm graue reſedit, dicens eis.

Vos nobis ex iuramento tenemini vt Imperator Venetias non „
debeat ſine noſtra licentia & mandato venire: Volumus ergo, vt „
Cardinales noſtros qui ad Imperatorem iuerunt cum eius Nuntijs „
vſque in diem craſtinum expectetis; & eis venientibus quid nobis „
faciendum ſit vobis reſpondere curabimus.] Quod verbum licet „
Venetis diſplicuiſſet, plurimùm tamen precibus Papæ deuicti, pe-
titioni eius (quamuis inuiti) præbentes aſſenſum ad propria redie-
runt. Intereà per totam regionem rumor inſonuit, quòd Veneti
contra voluntatem Papæ vellent Imperatorem Venetias intro-
mittere. Quo audito Lombardi qui cum Papa pro facienda pace
venerant Venetias, metuentes ſubitum Imperatoris aduentum
& fidem Venetorum & conſtantiam ſuſpectam habentes; in-
trantes naues ad partes Taruiſię ſe tranſtulerunt. Papa autem cum
paucis Cardinalibus qui ſecum remanſerant cœpit contriſtari &
mœſtus eſſe. Metuebat enim ſi Imperator cõtra voluntatem ſuam
iuramento non præſtito Venetias introiret, magnum ex hoc
damnum & periculum poſſet Dei Eccleſiæ prouenire.

Audientes autem hoc Nuntij Regis Siciliæ venientes ad Pa-
pam, cœperunt eum viriliter animare, dicentes. [Domine non „
oportet vos dubitare in aliquo vel metuere: ecce enim quatuor „
galeas D. Regis Siciliæ ad veſtrum obſequium præparatas habe- „
mus, quas cùm vobis intrare placuerit, ſecurè vos de hoc loco & „
abſque periculo, inuitis etiam Venetis & contradicentibus educe- „
mus.] Quibus verbis Papa plurimùm animatus reſpondit, quòd „
de ſuo erat propoſito, vt Cardinales qui ad Imperatorem iuerant
vſque in diem craſtinum expectaret; ne, ſi eis inconſultis recede-
ret: poſſet meritò leuitatis argui, & de violata fraternitate culpari;
quo audito Regis Nuntij ad Palatium Ducis, vbi cum multis Ve-
netis Dux de more conuenerat, accedentes, eos taliter ſunt allo-
quuti. [A veſtra memoria excidiſſe non credimus quanta bene- „

" ficia Dominus Rex huic ciuitati contulerit, & quòd hodie Prin-
" ceps aliquis ſub cœlo non viuit cuius amicitia tantum ſit vobis
" idonea, cuius gratia adeò ſit veſtris vtilitatibus opportuna; & vos
" ei ex iuramento tenemini ſui regni gloriam & honorem diligere,
" & pro eius commodo plurimùm laborare. Inde eſt quòd nos hac
" conſideratione inducti, & de vobis tamquam de amicis Domini
" Regis & fidelibus multam ſpem & fiduciam obtinentes, Papam
" & Lombardos inuitos pariter & renitentes Venetias venire coe-
" gimus, iuramento tamen priùs à vobis præſtito, quòd ſine Papæ
" licentia non deberetis Imperatorem intra Venetiæ fines recipere;
" ſed ecce, vt audiuimus, veſtri iuramenti & promiſſionis obliti, pa-
" ce nondum diſpoſitâ & firmatâ, Imperatorem non iuratum ad
" ciuitatem iſtam, Papâ contradicente, vocatis; & ſic pax Eccleſię
" & Domini noſtri Regis, vobis facientibus, impeditur; ſed in veri-
" tate ſciatis quòd nos in ciuitate iſta non præſtolabimur Impera-
" toris aduentum, ſed die craſtinâ ad propria redeuntes, Domino
" Regi ſignificare curabimus qualiter pro tot & tantis beneficijs
" vobis à Regia liberalitate collatis, mala & damna plurima repen-
" dere ſtudeatis.]

Quibus auditis, Dux ſatis placidè & benignè reſpondit,
" [Quòd vos indignatos aſpicimus & contra nos commotos eſſe
" cognoſcimus, ægrè multùm patimur & moleſtiſſimè ſuſtinemus;
" Nos enim qui D. Regem toto corde diligimus, & pro honore
" eius & commodo nos & noſtra exponere non dubitamus, nolu-
" mus non ſolùm vos qui magni eſtis de regno eius & ſummi Prin-
" cipes, ſed nec ſuorum minimum ad iracundiam prouocare. Et
" quia inter eum & Imperatorem pacem eſſe diſpoſitam credeba-
" mus, voluimus vt in ciuitate noſtra pacis D. Regis, tamquam
" amiciſſimi noſtri fieret conſummatio; & ideò recedentibus vobis
" licentiam non tribuimus, ſed prudentiam veſtram affectuosè ro-
" gamus, vt tanquam in domibus veſtris ſecuri & ſine timore aliquo
" Imperatoris expectetis aduentum.] Non autem idcircò taliter
" Dux reſpondit, quia ei & alijs ſapientibus taliter Imperatoris diſ-
pliceret aduentus; ſed quia timebat plebem & popularem tumul-
tum plurimùm formidabat.

Nuntij autem Regis hoc audientes, ſurgentes cum indigna-
" tione dixerunt. [Nos hûc cum licentia veſtra non venimus, nec
" cum veſtra licentia recedemus; ſed craſtinâ die iter arripientes,
" Domini Regis iniuriam non verbis ſed operibus vindicare cura-
" bimus.] qui ad domos ſuas redeũtes ſtatim iuſſerunt galeas parari,

tubas

tubas canere, arma & totam ſupellectilem in galeas inducere. Quod factū poſtquam fuit per Venetias diuulgatum, timor maximus Venetos occupauit; timebant enim ne ſi Regis Nuntij indignati recederent hac occaſione Rex Venetos qui in terra ſua erant capi faceret & in cuſtodia detineri. Quâ de causâ magna multitudo virorum ac mulierum quorum parentes in Apuliam iuerant, ad Ducem properans proclamauit. [Veſtram & totius « Venetiæ prudentiam, illuſtris Dux, latere non credimus quanta « beneficia magnificus Rex Siciliæ noſtræ regioni ſuâ liberalitate « præſtiterit, & qualiter noſtræ famis inediam ſuæ terræ victualibus « reparauerit, ad quæ tranſportāda multi noſtrorū ciuiū in Apuliam « tranſierūt, & ſecū nō modicā pecuniā & multas mercimonias de- « tulerūt. Si ergo Siciliæ rex audierit Nūtios ſuos à nobis indignatos « recedere, in ciues noſtros & res eorum meritò poterit vindicare. « Prouideat igitur veſtra diſcretio, ſi occaſione Imperatoris à quo « nihil vnquam boni habuimus, amicitiam tanti Principis, à quo « omne bonum recipimus amittere debeamus, & ideò magnifi- « centiam veſtram humiliter imploramus, vt noſtrorū ciuium tàm « graui damno & futuro periculo prouidentes Nuncios Regis Si- « ciliæ ab incępto itinere reuocetis: nec contrà voluntatem Papæ « & illorum Imperatorem Venetias intrare ſinatis; ſi qui enim ſunt « qui contrà hoc aliquid dicere vel attentare præſumpſerint, pa- « rati ſumus cum noſtris parentibus & amicis eos morti tradere « & proximos noſtros qui in Regno Regis ſunt à futuro periculo « liberare.] Dux autem eorum quærimonia diligenter, & gratanter audita reſpondit. [Quòd Nuntij Regis Siciliæ volunt indi- « gnati recedere, non meæ imprudentiæ, ſed quorumdam popula- « rium ſeditioni eſt & malitię adſcribendum qui mea & pruden- « tium virorum zelo & inuidiâ prouocati, non ciuitatis honori « & gloriæ, ſed ſuis vtilitatibus prouidentes die ac nocte dant ſtu- « dium & operam diligentem, vt Imperatorem nobis contradi- « centibus, Venetias introducant, & ob hoc periurij crimen & « infamiam, & Papæ & Regis Siciliæ graue & perpetuum odium « debeamus incurrere.] Cúmque illi iterùm proclamaſſent, vt eo- « rum qui auctores erant ſeditionis, nomina Dux euidenter exprimeret, metuens ſi noti fierent ob hoc pugna in ciuitate maxima & ſeditio inualeſceret, ſaniori vſus conſilio nobiliores & prudentiores quos habere potuit ad Papam direxit pro parte totius populi veniam humiliter poſtulans, & affectuosè depoſcens vt quod illi in eum ſtultè & ſuperbè peccauerant, ipſe eis ex in-

nata humanitate & gratiâ relaxaret, & Nuntios Regis Siciliæ à propoſito ſui itineris reuocaret.

Quibus Alexander Papa more ſolito ſatis benignè reſpondit. " [Ego quidem cui Sanctitas & Officium ignoſcendi gloriam reliquit, iniuriam meam ad mentem non reuoco: offenſam meam pro Dei amore dimitto; ſed Nuncios Regis Siciliæ tanquam viros nobiles & potentes rogare quidem valeo; ſed inuitos detinere non potero.] Tandem Venetis multum rogantibus & petentibus vt ad hoc faciendum partes ſuas interponere dignaretur, motus Papa eorum petitionibus per Rogerium de Piſa Subdiaconum & Seneſcalium ſuum ſimul cum Venetis, Nuntijs Regis Siciliæ preces affectuosè porrexit, vt diuini & ſui amoris intuitu indignationem compeſcerent, & inceptam iracundiam temperarent, atque propoſitum ſuum ab incœpto itinere reuocarent; quibus illi reſponderunt. [Dominus quidem ſicut vir perfectus & ſanctus, & de ſui meriti auctoritate confiſus mori non metuit, & Venetorum dolos & inſidias non paueſcit; nos quidem qui adhuc imperfectiores ſumus, mori nolumus, & noſtro Regi inferre iniuriam moriendo vitamus. Veneti ingratitudinis filij, & Regię liberalitatis obliti volunt Domino noſtro mala pro bonis rependere, & ad perturbationem pacis eius contrà voluntatem Domini Papæ & noſtram inimicum ipſius Venetias introducere; Dominus autem noſter tantæ eſt potentiæ & virtutis, quòd pro his exceſſibus quos contrà amicitiam ſuam faciunt illis, ſicut decet, reſpondere curabit; ſed quia nos preces Domini Papæ pro mandato accipimus, iter noſtrum vſque in diem craſtinam differemus; & dehinc communicato cum eo conſilio, quid nobis faciendum ſit diſponemus.] Quibus auditis Veneti ad Ducem ſuum redeuntes, ea quæ à Papa & Nuntijs Regis audierant, illi per ordinem retulerunt.

Alterâ autem die Dux ſano vſus conſilio apud Riuum altum ſub voce præconis fecit publicè declamare, vt nullus de aduentu Imperatoris auderet verbum facere, niſi cùm Alexander Papa præcepiſſet. Cùm autem ea quæ apud Venetias dicta & facta fuerant ad Imperatoris ad Clozam demorantis audientiam perueniſſent, ſua ſpe & intentione fruſtratus cœpit de ſuo rigore molleſcere, & Cardinalibus qui ibi erant, de verbo pacis benignius reſpondere. Cancellarius verò & alij Eccleſiaſtici Principes qui pacis conſumationem affectabant, ſpiritu libertatis aſſumpto, Imperatori viuâ voce dixerunt. " [Benè Imperialis Maieſtas

ieſtas poteſt recolere, quòd quidam è noſtris ex mandato veſtro Anagniam accedentes cum Alexandro Papa de pace Eccleſiæ & Imperij: de pace Regis Siciliæ & Lombardorum tractatum habuimus, & ipſe vtporè vir ſanctus, pacis cupidus & amator, noſtro conſilio & hortatu Campaniam deſerens, Venetias iam intrauit, paratus ea quæ de bono pacis promiſerat, firmiter conſumare. Vos autem, vt credimus, ſuggeſtione prauorum hominum à conſilio noſtro vultis recedere, & à pacis propoſito declinare. Nos verò ex iure debiti quo Imperio tenemur, aſtricti, parati ſumus vobis, vt Domino in temporalibus obedire, & pro regalibus quæ tenemus, conſuetum vobis ſeruitium facere; ſed quia noſtrorum eſtis corporum, non animarum Dominus, nolumus pro vobis animas noſtras perdere, & terrena cæleſtibus anteferre; quare noſcat imperialis diſcretio, quòd nos de cætero Alexandrum in catholicum Papam recipimus, & ei vt Patri in ſpiritualibus obedimus: Idolum verò quod erexiſtis in Tuſcia nullatenus adoramus.] Quibus auditis Imperator, operante eo qui corda Principum ſicut vult & quando vult humiliat & inclinat, Leoninâ ferocitate depoſitâ, ouinam manſuetudinem induit, & eis humiliter & benignè reſpondit, dicens. [Noſcat veſtra fideliras (dilectiſſimi) quod non eſt meæ voluntatis conſilium veſtrum deſerere, & pacis per vos tractatæ propoſitum euitare, quin potiùs volumus ea quæ noſtro ſunt ordinara conſilio, firmiter obſeruare. Vt autem à veſtris cordibus omnibus omnis ſuper hoc dubitationis ſcrupulus excludatur, Comiti Henrico de Dieſſa qui eſt in præſentiarum, præcipimus vt vobiſcum & cum Cardinalibus Venetias veniens coram Papa in anima iuret, quod ex quo Venetias intrauero, in anima mea iurare faciam, quod pacem Eccleſiæ & Imperij: Regis Siciliæ & Lombardorum, ſicut diſpoſita eſt & tractata, firmiter obſeruabo, & de ea obſeruanda, præcepto noſtro duodecim Principes noſtri ſimile iuramentum præſtabunt.]

Cancellarius autem & reliqui mediatores pacis cum Cardinalibus hæc audientes multum læti effecti, feſtino greſſu Venetias redeuntes ea quę ab Imperatore dicta & ordinata fuerant, Papæ per ordinem retulerunt; qui protinus per Nuntios ſuos Rectores Lombardię, qui in partes Taruiſię ſeceſſerāt, Venetias reuocauit.

Alterâ autem die coram Papa & Cardinalibus, Nuntijs quoque Regis, & Lombardis, & magnâ populi multitudine Comes Henricus de Dieſſa, ſicut ei ab Imperatore mandatum fuerat, in

anima eius de præſtando iuramento pacis obſeruandæ iurauit. Capellanus autem Colonienſis Archiepiſcopi in anima Principum, qui inibi aderant, ſimile iuramentum præſtitit: hoc autem facto ex mandato Papæ Veneti cum ſex galeis Clozam iuerunt, & Imperatorem cum ſuis galeis recipientes, eum vſque ad ſanctum Nicolaum qui dicitur ad litus Sabbato inſero honorificè adduxerunt.

Sequenti verò die Dominicâ, octauâ die reſiduâ ſtante menſis Iulij in vigilijs B. Iacobi, Papa, cognito Imperatoris aduentu, galeas ingreſſus cum Nuntijs Regis & magnâ Lombardorum ac populi multitudine ad Eccleſiam ſancti Marci deuotus acceſſit, & Humbaldum Hoſtienſem & Vvilhelmum Portuenſem, & Manfredum Præneſtinum Epiſcopos, & quoſdam de Cardinalibus ad Imperatorem tranſmiſit, qui venientes ipſum & ſuos ab excommunicationis vinculo abſoluerunt. Chriſtianus autem Cancellarius procedens in publicum, tactis ſacroſanctis Euangelijs, ait:
" [Vt omnes euidenter agnoſcant me eſſe nomine & opere Chri-
" ſtianum, Octauianum Cremenſem & Ioannem de Struma cum
" ſuis complicibus prorsùs abiuro, & Alexandrum & ſucceſſores
" eius in Catholicum Papam recipio.] & alij Prælati Eccleſiarum ſimile iurauerunt.

Dux autem Venetiæ cognito quòd Imperator ab excommunicationis eſſet nexibus abſolutus, cum Patriarcha & magna Cleri ac populi & nauium multitudine vſque ad Eccleſiam ſancti Nicolai illi obuiàm venit, quem in naui ſua recipiens vſque ad litus ſancti Marci ſatis honorificè & pomposè deduxit. Imperator autem de naui deſcendens ſimul cum Duce, Patriarchâ, & Epiſcopis ſuis & Clero & populo Venetiæ, ipſum cum vexillis & crucibus proceſſionabiliter præcedente vſque ad Eccleſiam ſancti Marci, ante cuius atrium Alexander Papa cum Epiſcopis ſuis & Cardinalibus, cum Patriarcha Aquileiæ, Archiepiſcopis & Epiſcopis Lombardiæ Eccleſiaſtico more ornatis honorificè reſidebat, pedes acceſſit.

Cùmque ad Papam appropiaſſet, tactus diuino ſpiritu, Deum in Alexandro venerans, Imperiali dignitate poſtpoſitâ, reiecto pallio, ad pedes Papæ totum ſe extenſo corpore inclinauit; quem Alexander Papa cum lacrymis benignè eleuans, recepit in oſculo & benedixit, moxque à Theutonicis *Te Deum laudamus* eſt excelsâ voce cantatum. Imperator autem apprehenſâ Papæ dexterâ ipſum in Eccleſiam introduxit, & accepta ab illo benedictione, ad Palatium

Palatium Ducis cum ſuis rediјt. Papa verò cum Cardinalibus & Nuntijs Regis iterùm galeas ingreſſus ad ſuum hoſpitium rediјt. In veſperis autem Imperator per Nuntios ſuos Papam ſatis affectuosè rogauit, vt ſi ei placeret, ſequenti die, in feſto ſcilicet Beati Iacobi, in Eccleſia ſancti Marci Miſſarum ſolemnia celebraret; deſiderabat enim ab ore eius diuina officia ſupplex & deuotus audire. Cuius petitioni Papa aſſenſum benignus accómodans, ſummo manè cum Cardinalibus ad ſancti Marci Eccleſiam venit, cuius veſtiarium ingreſſus cum Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & Cardinalibus honorificè ſatis & Eccleſiaſticè ſe induit, & ad celebranda diuina Miſſarum ſolemnia præparauit.

Imperator autem vt humilitatem quàm corde conceperat opere demonſtraret, ſumpto ſtratoris officio, pallium depoſuit, manu virgam accepit, laïcos de Choro expulit, & Papæ ad altare ſolemniter & proceſſionaliter venienti, viam tanquam Oſtiarius præparauit; dehinc in Choro cum Archiepiſcopis, Epiſcopis & Clericis Alemaniæ remanens, quibus eo die cantandi iniunctum erat officium, Miſſam Domini Papæ deuotè ſatis & humiliter audiebat.

Cúmque dicto Euangelio Papa aſcendiſſet pulpitum vt alloqueretur populum, Imperator accedens propiùs, cœpit verba eius attentiùs auſcultare, cuius deuotionem Papa diligenter attendens, verba quæ ipſe litteratè proferebat fecit per Patriarcham Aquileiæ in lingua Theutonica euidenter exponi. Finito autem ſermone & *Credo in vnum Deum* decantato ſolemniter, Imperator cum ſuis Principibus ad pedes Papę deuotus acceſſit & obtulit. Finitâ autem Miſsâ cum Papa ad ſuum Palatium vellet redire, Imperator dexteram eius accipiens eum vſque ad portas Eccleſię ſatis honeſtè deduxit; cúmque equum ſuum albũ de more vellet aſcendere, Imperator ex alia parte accedens ſtreuam eius tenuit, & poſtquam equum aſcendit ipſum aliquantulùm ſtratoris more per fræni lora deduxit; quem Papa benedicens ad hoſpitium redire permiſit. Ipſe verò Clero & populo illum præcedente vſque ad mare deſcendit. Dehinc galeas ingreſſus palatium ſuum cum gloria eſt & honore reuerſus.

Venientibus autem proximis Kal. Auguſti Imperator cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & reliquis Principibus ſuis, & magnâ populi multitudine ad Patriarchæ palatium, in quo Papa erat hoſpitatus acceſſit. In cuius palatij aula longa ſatis, & ſpatioſa, Papa in eminenti loco poſitus in faldiſtorio ſuo reſedit, &

Epiſcopis ſuis, & Cardinalibus hinc inde circumſtantibus, Imperatorem quidem in ſua dextera ſuprà Epiſcopos & Preſbyteros Cardinales, Romualdum vero Salernitanum Epiſcopum in ſiniſtra ſuprà Diaconos Cardinales reſidere præcepit. Facto itaque ſilentio ſic eſt Papa Alexander exorſus.

« [Hæc eſt, inquit, dies, fratres chariſſimi, quam fecit Dominus.
« Exultemus & lætemur in ea, quia hîc filius noſter Romanorum
« Imperator illuſtris mortuus fuerat, & reuixit: perierat & inuen-
« tus eſt. Nam poſtquam cordi eius ſupernæ radius claritatis illuxit;
« totius falſitatis depulsâ caligine, de errore ad veritatem redijt: de
« tenebris ad lumen tranſijt: de ſchiſmate ad vnitatem acceſſit, &
« ad caulas matris Eccleſiæ tanquam ouis erratica repedauit. Exul-
« tet igitur fidelium votiua religio, quia hodie Pater iuniorem re-
« cepit filium catholicum, Principem: Romanum recuperauit Im-
« perium: Mater Eccleſia ſuum euaginatum in vaginam conuer-
« tit gladium: nauis Piſcatoris egregij, quæ culpis exigentibus
« aduerſitatem turbine pœnè demerſa iam fuerat, nunc procellis
« ceſſantibus ad littus ſolidum, & veræ quietis portum illæſa per-
« uenit; Eccleſiæ ſuæ preces pro bono pacis frequenter effuſas Dei
« filius clementer audiuit, & eam cum ſuo Principe in pace, &
« concordiâ collocauit. Inde eſt quod deſtructis diuerſitatibus, &
« erroribus vniuerſis, ſecura iam pace fruitur, & iucunda ſecurita-
« te lętatur. Ceſſet igitur antiqua diſcordia: ſic enim accipiat inuete-
« rata malitia: vna fides, vnus Dominus, vna ſit & Eccleſia: ſchiſ-
« ma in vnitatem tranſeat, & diuiſio ad charitatem accedat. Om-
« nis iam ad pacem Eccleſia redeat, & ad matris ſuæ gremium fi-
« liorum numeroſitas gratioſa recurrat. Sit Deo gloria in altiſſimis,
« & in terra pax hominibus bonæ voluntatis; & quia nos Impera-
« toris noſtri pium animum & benignam agnoſcimus voluntatem,
« eum intrà manſuetudinis brachia tanquam chariſſimum filium
« benignius amplectimur, & tàm ipſum, quàm vxorem, & eius fi-
« lium in catholicos Principes paterno affectu recipimus, & ipſis
« honorem debitum impendere procuramus; Deum & Apoſto-
« los noſtros affectuosè rogantes vt ipſos Eccleſiæ ſuæ ſeruent in-
« columes, & per longa tempora cuſtodiant defenſores.]

Poſtquàm Papa loqui deſijt, Imperator depoſito pallio, de faldiſtorio ſurgens cœpit in lingua Theutonica concionari Chriſtiano Cancellario verba ſua vulgariter exponente. Ait ergò.
« [Maieſtati noſtræ ſatis gratum reſidet & acceptum, quod Deus
« omnipotens cuius manu Principum corda tractantur, cuius arbi-

trio

trio eorum voluntates & conſilia diriguntur, noſtræ conſcientiæ “
puritatem attendens ex diuerſis mundi partibus viros prouidos “
& diſcretos huic curiæ voluit intereſſe, vt ipſi errorem noſtrum “
& conuerſionem nobis referentibus manifeſtè cognoſcerent; “
dehinc ad propria redeuntes deuotionem noſtram, quam erga “
Dei Eccleſiam gerimus, publicè prędicarent: totus igitur mun- “
dus euidenter agnoſcat, quod licet nos Romani Imperij digni- “
tate & gloriâ fulgeamus, tamen à nobis humanæ conditionis “
proprium dignitas Romana non abſtulit; nec ignorantię vitium “
Maieſtas Imperialis excluſit. Nam ſuggeſtione prauorum homi- “
num ignorantiæ fuimus tenebris inuoluti, & per viam veritatis “
credentes incedere, extrà Iuſtitiæ ſemitas nos inuenimus. Ecce “
enim Dei Eccleſiam quam credebamus defendere, impugnaui- “
mus, & quam ſperabamus extollere penè deſtruximus. Occaſione “
noſtra Domini noſtri Ieſu Chriſti tunica inconſutilis eſt diuiſa, “
& quantum in nobis fuit, per hæreſes & ſchiſmata violata. De- “
cepit nos cauſæ meritum, & color negotij perturbauit; quia dum “
in facto Eccleſię potius virtutem potentiæ, quàm rationem in- “
ſtitię volumus exercere, conſtat nos in errorem meritò deueniſſe; “
iuſtitia enim fortitudinem reſpuit: æquitas violentiam non ad- “
mittit; ſicque factum eſt quod ille qui humilia reſpicit & alta à “
longè cognoſcit, potentiam noſtram & aduerſæ partis humili- “
tatem conſiderans, more ſuo potentes de ſede depoſuit & humi- “
les exaltauit; ſed quia diuina clementia nos ad correctionem no- “
ſtram ad tempus errare voluit, ſed deuiare in perpetuum non “
permiſit; vniuerſa hæc fidelium turba cognoſcat quòd nos de cę- “
tero, errore totius falſitatis abiecto, ad veritatem conuertimur: “
de ſchiſmate ad vnitatem redimus, & ad gremium matris noſtræ “
Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ gratanter accedimus: Dominum “
Alexandrum qui eſt in pręſentiarum, & ſucceſſores eius in ca- “
tholicum Papam recipimus, & ipſi tanquam Patri debitam re- “
uerentiam exhibere proponimus: pacem noſtram Eccleſię, Illu- “
ſtri Regi Siciliæ & Lombardis, ſicut inter nos ordinatum eſt & “
diſpoſitum, reddimus.] “

Imperator verba finierat, cúmque in laudem eius qui aderant acclamaſſent, iterùm facto ſilentio ſancta Dei Euangelia cum ſanctis Reliquijs & Cruce de ligno Domini ſunt producta in medium. Mandante itaque Imperatore Comes Henricus de Dieſſa in anima Imperatoris iurauit quòd ipſe pacem Eccleſiæ & Imperij, pacem Regis Siciliæ vſque ad annos quindecim, & treguas

Ff

Lombardorũ vſque ad annos ſex, ſicut per mediatores hinc inde tractatum & ſcriptũ fuerat, bonâ fide ſine fraude & malo ingenio firmiter obſeruaret, & Henricum Regem filium ſuum id ipſum iurare faceret & ſeruare. Dehinc duodecim Principes Imperij tàm Eccleſiaſtici quàm ſeculares tactis ſacroſanctis Euangelijs modo ſimili iurauerunt. Protinùs Romualdus Salernitanus Archiepiſcopus ſurgens per eadem Euangelia iurauit quòd poſtquam Imperator Nuntios ſuos propter hoc ad Regem in Siciliam miſerit, Rex infrà duorum mẽſium ſpatium per aliquem Principum ſuorum de obſeruanda Imperatori pace vſque ad annos quindecim in anima ſua iurare faciet, & per decem Principes ſuos iuramentum ei ſimile faciet exhibere. Comes etiam Rogerius ſicut Archiepiſcopus fecerat, id ipſum manu ſuâ iurauit. Dehinc Rectores Lombardiæ qui ibi aderant, iurauerunt quòd vſque ad ſex annos bonâ fide & ſine fraude treguas Imperatori obſeruarent, ſicut inter eos tractatum & diſpoſitum erat, & quòd per ſingulas ciuitates Conſules & Nobiles ciuitatum id ipſum iurare facerent. Quo facto, illius diei Curia eſt ſoluta, & tàm Imperator quàm reliqui cum gaudio & lætitia ad ſua hoſpitia ſunt reuerſi.

Intereà Chriſtianus Cancellarius qui pro conſummatione pacis plurimùm laborauerat, nactâ opportunitate temporis cœpit per Imperatorem & Principes ſuos dare ſtudium & operam diligentem vt Papa Alexander Moguntinum illi Archiepiſcopatum authoritate Apoſtolicâ confirmaret. Quod præſentiens Conradus qui in Moguntina Eccleſia priùs electus & conſecratus fuerat, ad Papam accedens, ait. [Nouit veſtra ſanctitas (venerande Pater) nouit vniuerſa hæc Romana Eccleſia quòd ego veſtræ perſonæ intuitu Moguntinam Eccleſiam in qua canonicè electus inſcio Imperatore reliqui, & honorem meum, parẽtes & patriam, pro Dei amore deſerui, & ad vos in Franciam feſtinus acceſſi: exilium patriæ præpoſui, & in labores & anguſtias quietem meam & otium commutaui. Benè poteſtis recolere quantùm Catholicæ Eccleſię meus aduentus contulerit & qualiter partem veſtram adhuc nutantem & debilem plurimùm roborauerit. Vos autem veſtri gratiâ mihi vicem congruam pro tempore rependiſtis; nam primò me in Preſbyterum Cardinalem, dehinc in Sabinenſem Epiſcopum, poſtremò in Moguntinum Archiepiſcopum conſecraſtis. Nunc autem, vt audio, vultis Chriſtiano Cancellario qui Moguntinam Eccleſiam per violentiam inuaſerat, eamdem conuerſo Religionis ordine confirmare, quod multùm ab

æquitate diſcrepat & à ratione diſcordat, vt ſchiſmaticus Catholico & intruſus canonicè electo debeat anteponi. Rogo igitur & humiliter poſtulo vt poſtquam Deus pacem Eccleſiæ ſuę reddidit, mihi quoque de iure mea reddatur Eccleſia, vt ſicut fui ſocius tribulationis, ita ſim particeps conſolationis & gaudij.] Cui Papa ſatis benignè reſpondit. [Deuotionem tuam (fili chariſſime) quam erga Romanam Eccleſiam & perſonam noſtram habuiſſe dignoſceris, manifeſtè recolimus, & ardorem fidei tuæ publicè proteſtamur. Multùm noſtræ parti veſter aduẽtus cõtulit: multùm noſtra Eccleſia de veſtra ſocietate profecit; & nos quidẽ, Deo teſte, pro vtilitate veſtra ſumus valde ſolliciti, & facere quæ vobis expediant tenemur obnoxij: nolumus honorem veſtrũ minuere, ſed augere: nolumus vobis inferre iniuriã, ſed gloriam miniſtrare. Non debet autem à veſtra memoria excidiſſe, quæ ſæpè nobis & Nuntijs & litteris ſignificaſtis; quòd ſi inter Eccleſiam & Imperatorem pax non poſſet aliter fieri, niſi Moguntino Archiepiſcopatu à vobis dimiſſo (licèt hoc vobis graue reſideret plurimum & moleſtum) tamen pro bono pacis hanc iacturam æquanimiter pateremini, volentes honorem Eccleſiæ honori veſtro & illius commodum veſtris vtilitatibus anteponere. Et ecce Imperator cum magna inſtantia aſſeuerat quòd nullatenus in pace Eccleſiæ remanebit, ſi Chriſtianus Cancellarius à Moguntinæ Sedis fuerit Prælatione deiectus. Nos autem abſque veſtra notitia nullum ſuæ petitioni adhuc voluimus dare conſenſum, nec vobis ignorantibus aliquod præbere reſponſum.] Tunc Conradus benignam Apoſtolici reſponſionem conſiderans, & voluntatem eius rationi conſentaneam eſſe cognoſcens, conſultãdi ſuper hoc cum amicis ſuis à Papa inducias petijt & accepit. Habito itaque conſilio ad Papam redijt, & humili voce reſpondit.

[Licet (Reuerende Pater) mihi iniurioſum ſit pariter & moleſtum vt Eccleſiam meam debeam ſine culpa dimittere & locum mei regiminis nullâ offenſâ interueniente mutare, tamen quia ad meum ſpectat officium, non quæ mea, ſed quę IESV CHRISTI, quærere, nolo vt occaſione mei pax inter vos & Imperatorem facta, infecta remaneat, & diſcordia ſepulta reſurgat. Pro pace Eccleſiæ conſeruanda pro qua CHRISTVS vitam ſuam perdidit, libenter volo meum honorem perdere, & cum meo damno vtilitati Eccleſię prouidere; & idcircò vt omnis materia diſcordiæ & ſcandali auferatur à medio; Moguntinum Archiepiſcopatum in poteſtate veſtra ſpontè relinquo, & me libera-

« litati veſtræ & patrocinio recommendo.] Quo audito Papa lętus effectus, habito cum Imperatore conſilio, prænominatum Conradum Cardinalatus illi & Sabinenſis Epiſcopatus dignitate ſeruatâ, in Saltzburgenſi Eccleſia honorificè fecit eligi; nam filius Regis Bohemiæ qui eidem Eccleſiæ præerat, pro eo quod de ſymonia & quibuſdam alijs criminibus coram Papa fuiſſet accuſatus, de merito ſuæ cauſæ diffidens, commiſſam ſibi Eccleſiam in manu Papæ ſpontaneâ voluntate remiſit; ſicque factum eſt quòd Alexander Papa, ſicut vir prouidus & diſcretus, pro conſeruanda pace Eccleſiæ vtens diſpoſitione canonicâ, Conradum quondam Moguntinum Archiepiſcopum in Saltzburgenſem Eccleſiam ſublimauit: Chriſtiano autem Cancellario Moguntinam Eccleſiam authoritate Apoſtolicâ confirmauit, & tam ei quam Philippo Colonienſi Archiepiſcopo qui à ſuis ſuffraganeis & Catholicis fuerant conſecrati, recepto ab vtroque iuramento obedientię, pallia de more conceſſit.

Alexander autem Papa prudentiam & litteraturam Romualdi Salernitani Archiepiſcopi diligenter attendens, & deuotionem quam erga Romanam Eccleſiam ſemper habuerat recolens, ad petitionem ipſius Archiepiſcopi, communicato fratrum ſuorum conſilio, ipſi & ſucceſſoribus eius vſum & dignitatem portandæ Crucis per ciuitatem & totam ſuam Parochiam Apoſtolicâ auctoritate conceſſit, & donum quod exinde Salernitanæ Eccleſiæ in perpetuum fecerat, ſui priuilegij munimine roborauit.

Hoc etiam ſilentio prætereundum non eſt, quòd ſchiſmatici qui in diuerſis Eccleſijs Tuſciæ & Lombardiæ authoritate Imperiali intrati fuerãt, & quidam dicti Cardinales qui Ioanni de Struma adhæſerant, audito quod Imperator cum Eccleſia & Papa Alexandro pacem feciſſet, pœnitentia ducti Venetias feſtino greſſu venientes, primò ſchiſma quod defenderant, abiurabant; dehinc per ſancta Dei Euangelia promittebant, quod de exceſſu quem fecerant, Domini Papæ Alexandri mandato ſtarent, & eum & ſucceſſores eius in catholicum Papam reciperent; & ſic ab excommunicationis vinculis abſoluti ad eius pedes accedebant.

Pace igitur vt prædiximus inter Imperatorem & Regem Siciliæ factâ pariter & iuratâ, Nuntij Regis ad Imperatoris palatium, ipſum ex parte Regia ſalutare iuerunt. Quo cognito Imperator de camera ſua egreſſus, eos multis aſtantibus, ſatis honorificè & benignè ſuſcepit. Cúmque Romualdus Salernitanus Archiepiſcopus de faldiſtorio ſuo ſurgens ſtans loqui voluiſſet; Imperator eum

eum ſedentem loqui præcepit. Facto itaque ſilentio, Archiepiſcopus ſic eſt exorſus. [Dominus noſter glorioſus Rex Siciliæ D. " Imperatorem qui eſt in præſentiarum, ſicut chariſſimum amicum & fratrem ſuum deuotè pariter & affectuosè ſalutat, & per " nos magnificentiæ Imperiali ſignificat quòd cùm hoc anno Nuntij ſui ad Dominum Papam pro bono pacis Anagniam aduenisſent, ſcripſit D. Papa Domino noſtro glorioſo Regi, vt aliquos " de latere ſuo ad eum mitteret, qui cum eo tractandæ pacis colloquio intereſſent. Dominus autem Rex deuotiſſimus filius eius, " ad petitionem illius, Comitem Rogerium virum vtique prouidum & diſcretum & de ſanguine Regio ortum, & me cum eo " ad eius præſentiam deſtinauit, vt in perficienda pace adiutores " eſſemus, pariter & præſentes; non quòd Dominus noſter Rex " pacificus cum Domino Imperatore aliquam credat habere diſcordiam; ipſe enim ſicut Catholicus Princeps & pacis filius omnes Chriſtianos Principes diligit, & quantum in eo eſt, cum illis " pacem & concordiam habere credit: ſolos inimicos Crucis Chriſti crudeli odio mari & terrâ perſequitur. Inde eſt quòd non " parcit pecuniæ: non indulget expenſis; ſed ſingulis annis triremes " ſuas præparat, & cum eis armatam militiam deſtinat, vt hoſtes " Chriſtianæ fidei deuincat pariter & confundat; & euntibus ad " ſepulchrum Domini ſecurum iter præparet & expediat. Alij mundi Principes ſubditos ſuos vehementer impugnant, & cum inimicis fidei pacem facere non formidant. De ſepulchro Domini " quod à Saracenis impugnatur, non multum cogitant, & eum qui " ſolus ipſum defendere nititur, impedire feſtinant. Alij quæ ſua " ſunt quçrunt: ſolus Rex noſter quæ Ieſu Chriſti ſunt deuotus " inquirit. Cùm ergo ipſe in Dei ſeruitio tàm ſanctam & puram " deuotionem habeat; vos (Domine Imperator) qui Eccleſiæ Dei " ſpecialis eſtis filius & defenſor, ſingulari amoris priuilegio præ " cæteris mundi Principibus Dominum Regem & venerari debetis pariter & amplecti; qui Dei Eccleſiam ſemper intendit extollere, & inimicos eius non deſinit impugnare. Nulla eſt inter " vos & Dominum Regem diſſidij cauſa, vel odij ſeminarium interuenit: Dominus noſter Rex à magnificentia veſtra ſe nunquam " offenſum meminit, vel vos in aliquo offendiſſe cognouit, ſed certum apud eum & firmum exiſtit, quòd ſi Imperialis Maieſtas " cum Regia magnificentia perfectæ pacis vinculo fuerit covnita, " Eccleſiæ Dei & toti Orbi magnũ poterit commodũ prouenire;] " Archiepiſcopus verba finierat. Protinus Imperator per Gotteſri-

dum Cancellarium ſuum ad eius verba reſpondit, dicens.

" [Salutes ex parte illuſtris Regis Siciliæ per vos magnificentiæ
" noſtræ tranſmiſſas, eâ quâ decet reuerentiâ & honore ſuſcipimus,
" & eius loco & tempore opportuno rependere multiplices procu-
" rabimus. Quòd autem tam idoneas & elegantes perſonas ad pacis
" noſtræ colloquium deſtinauit, noſtrę Excellentię ſatis gratum re-
" ſidet & acceptum, quia ex Legatorum ſuorum ſcientia, probitate
" ſimul & ſapientia, delegãtis Domini authoritatem perpendimus,
" & à nobis meritò in numerum ſummorum Principum reputatur
" qui talibus & tantis perſonis prę eſſe dignoſcitur. Quod verò ſigni-
" ficaſtis eum erga Serenitatem noſtram amicam gerere volunta-
" tatem, hoc verum eſſe rerum experientia comprobauimus; nam
" licèt popularis opinio nos ad inuicem eſſe crederet inimicos, ta-
" men inter nos habere pacem & concordiam operis exhibitio de-
" monſtrauit; quia eum & terram eius nunquam offendimus &
" nos ab eo in nullo offenſos veraciter profitemur, & quia ipſe præ
" vniuerſis mundi Principibus inimicos Crucis CHRISTI mari
" & terrâ perſequitur & cum hoſtibus Chriſtianæ fidei guerram
" ſemper & diſcordiam habere dignoſcitur. Nos illi tanquam Ca-
" tholico Principi & pacis filio pacem noſtram gratanter offeri-
" mus, & eum ſincerè charitatis brachijs amplexamur; nam in veri-
" tate cognoſcimus quòd ex hoc mutuæ dilectionis affectu Eccle-
" ſijs Dei prouenit non parua vtilitas: Chriſtianis omnibus & præci-
" puè ad Domini ſepulchrum euntibus magna ſecuritas; infidelibus
" autem terror, confuſio pariter & egeſtas.] Quo audito Regis
Nuntij Imperatori de bona voluntate quam erga Regem ſe habe-
re dicebat, gratias referentes, acceptâ ab eo licentiâ, ad ſua hoſpi-
tia alacres ſunt reuerſi.

Ipſi autem ſicut viri ſapientes & prouidi, metuentes ne pacis fa-
ctæ memoriam longæuitas temporis aboleret, dederunt ſtudium
& operam diligentem, vt forma pacis quæ inter Imperatorem &
Regem facta fuerat, Imperiali iuſſione redigeretur in ſcripturis,
vt eam de cætero non poſſet temporis vetuſtas deſtruere, quam
Imperialis priuilegij ſcriptura ſeruaret. Ad petitionem igitur eo-
rum, pacis inter Imperatorem & Regem initæ ſcriptum eſt priui-
legium & ſigilli aurei impreſſione munitum. Vt autem prænomi-
nati priuilegij notitiam ſemper habere poſſit ſequutura poſteritas,
eiuſdem priuilegij exemplar huic noſtro operi dignum duximus
annotare.

In

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

NOs Fridericus Dei gratiâ Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, & Henricus Rex filius noſter, interuentu Venerabilis Patris noſtri Alexandri Dei gratiâ ſummi Pontificis, & fratrum ſuorum Cardinalium, pro parte noſtra & hæredum noſtrorum paciſcimur vobiſcum (Domine Vuilelme, eadem gratiâ illuſtris Rex Siciliæ) quomodo vſque ad xv. annos obſeruabimus vobis & hæredibus veſtris, & vniuerſo regno veſtro & toti terræ dominationis veſtræ veram & firmam pacem, & quòd per nos vel per quoſlibet alios mari vel terrâ vos prędictum illuſtrem Regem & hæredes veſtros, aut regnum veſtrum & terram dominationis veſtrę, ſicut præſcriptum & determinatum eſt, vſque ad quindecim annos non inuademus, nec inuadere faciemus, nec vobis & regno veſtro & iam dictæ terræ dominationis veſtræ guerram aliquo modo faciemus; & vt hęc omnia ſupra ſcripta firmiter & illibata à nobis ſupradicto Friderico Dei gratiâ Romanorum Imperatore & ſemper Auguſto, & Henrico filio noſtro Rege & hæredibus noſtris tam vobis ſupradicto illuſtri Regi Vuillelmo quàm hæredibus veſtris & regno veſtro & toti terræ dominationis veſtræ attendantur & obſeruentur; Nos prædictus Imperator bonâ fide ſine fraude & malo ingenio in pręſentia Beatiſſimi Patris noſtri Papæ Alexandri & Cardinalium & Legatorum veſtrorum, Romualdi venerabilis Salernitani Archiepiſcopi & Rogerij egregij Comitis Andriæ & Principum ac fidelium noſtrorum à Comite Henrico de Dieſſa in anima noſtra ſuper ſancta Dei Euangelia & ſanctorum Reliquias iurare fecimus, & Henricum filium noſtrum per interpoſitam dignam perſonam in anima ſua id ipſum iurare faciemus vſque ad medium futurum Septembrem indictionis xi. & Principes noſtros idem iurare fecimus, videlicet Moguntinum Archiepiſcopum, Arnoldũ Treuirenſem Archiepiſcopum, Conradum Vvormacienſem Electum, Gotefridum Imperialis Aulæ Cancellarium, Guorminum Protonotarium, Marchionem Theodoricum de Suiz, Florentium Comitem Hoſandiæ, Comitem Diedonem de Groiz, Comitem Henricum de Dieſſa, Comitem Robertum de Diuna. Ad huius autem pacti, promiſſionis & iuramẽti noſtri & Henrici Regis filij noſtri & Principum noſtrorum memoriam & inuiolabilę firmamentum præſens priuilegium noſtrum per manus Vvortui-

« ni Protonotarij noſtri ſcribi fecimus & Imperiali ſigillo noſtro « aureo ſigillatum & prędictorum Principum iuramento commu-« nitum, vobis ſupraſcripto illuſtri Regi Vvillelmo fecimus aſſi-« gnari· Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſe-« ptuageſimo ſeptimo, menſe Auguſti, decimâ indictione.]

Poſtquàm verò Imperator prę ſcriptum priuilegium Nuntijs Regis tradidit, & quòd miſſurus eſſet Chriſtianum Cancellarium in Siciliam pro recipiendis iuramentis & ſimilibus repromiſit, pręnominati Nuntij non contenti imperiali priuilegio, ad maiorem certitudinem pacis initæ, robur & firmamentum, aliud priuilegium à Papa & Cardinalibus, Romano fecerunt more conſcribi, in quo Imperiale declaratum eſt priuilegium, & auctoritate Sedis Apoſtolicæ roboratum. Quo facto Huizo Cardinalis ex mandato Papæ & Imperatoris cum Imperialibus litteris, & cum Notario Salernitani Archiepiſcopi, & Capellano Comitis Rogerij ad caſtellum Gayuę vbi Imperatrix cum Henrico Rege filio ſuo morabatur aduenit. Præſentibus itaque Imperatrice, Rege Henrico filio eius, C. Marchione de Monteferrato, & quibuſdam de Rectoribus Lombardiæ, & Notario Archiepiſcopi, & Capellano Comitis, & multis alijs probis ac idoneis viris, Verdenſis Epiſcopus, ſtolâ collo impoſitâ, ex mandato Imperatoris & Regis Henrici in anima eius ſuper ſancta Dei Euangelia, & Reliquias iurauit quòd ipſe Rex Henricus pacem Eccleſiæ, & Imperij ſicut à patre ſuo iurata fuerat, & pacem Regis Siciliæ vſque ad annos quindecim, & treguas Lombardorum vſque ad ſex annos bona fide, ſine fraude & malo ingenio firmiter obſeruaret. Aduenientibus autem Vigilijs Aſſumptionis Beatæ Virginis, quę eo tempore in die Dominico aduenerunt, Alexander Papa cum Epiſcopis ſuis, & Cardinalibus, cum Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & Abbatibus Alemaniæ, Lombardiæ & Tuſciæ, cum Imperatore & Duce Venetiæ, cum Nuntijs Regis Siciliæ & magna populi multitudine in Eccleſia Beati Marci conueniens ſolemne ibidem Concilium celebrauit.

Dictis itaque Orationibus & Litanijs, & alijs quæ de more in Concilio ſunt dicenda, & longo ſermone de pace habito: Alexander Papa candelas accenſas Imperatori, & Clericis, & Laïcis, qui ibi aderant dari præcepit; & ipſe excommunicationis formam « hoc modo propoſuit. [Nos ex parte Dei Omnipotentis, & BB. « Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, excom-« municamus, & à gremio matris Eccleſiæ ſeparamus omnes per-

ſonas

ſonas tàm Eccleſiaſticas, quàm ſæculares quæcumque pacem "
quæ inter Eccleſiam & Imperium modò facta eſt, & pacem "
Regis Siciliæ vſque ad annos quindecim, & treguas Lombardo- "
rum vſque ad annos ſex, aliquo modo diſturbare vel impedire "
præſumpſerint; & ſicut hæ candelæ extinguuntur; ſic eorum ani- "
mæ æternæ viſionis lumine & claritate priuentur.] Cúmque can- "
delæ proiectæ eſſent de manibus & extinctæ, Imperator alta voce cum alijs [fiat, fiat,] pariter acclamauit; ſicque Concilium celebratum eſt & ſolutum.

Ea autem die Nuntij Regis Siciliæ acceptâ à Papa & Imperatore licentiâ, cum galeis ſuis ad monaſterium ſancti Nicolai, quod ad littus dicitur, peruenerunt, celebrato ibidem feſto Virginis. Altero die Adriaticum mare intrantes aurâ flante ſecundâ, nono die ſtante menſis Auguſti, ſani & incolumes cum omnibus ſuis Barolum deſcenderunt. Archiepiſcopus igitur & Comes Rogerius communicato conſilio Nuntium ſuum cum litteris in Siciliam direxerunt, modum & ordinem geſtæ pacis Regi plenariè ſignificantes; & hoc facto Comes Andriam rediјt: Archiepiſcopus autem Salernum venit. Rex verò eo tenore litterarum pacem factam & iuratam eſſe agnoſcens, lætatus eſt valdè, & per litteras ſuas Archiepiſcopo & Comiti dedit in mandatis, vt ad eum feſtino greſſu in Siciliam properarent; ſicque factum eſt quod Archiepiſcopus & Comes ſexto die intrante menſis Nouembris Panormum ingreſſi à Dominis, & familiaribus Curiæ, & reliquis Magnatibus honorificè ſunt ſuſcepti. Altera verò die coram magnificentia regia venientes, ei à principio vſque ad finem totius negotij modum & ſeriem pleniſſimè retulerunt, & priuilegium Papæ Alexandri & Imperatoris de pace factum & roboratum eidem (ſuis familiaribus præſentibus) aſſignarunt. Rex igitur ex tenore priuilegiorum præter ſpem & opinionem ſuam, pacem ad honorem ſuum, & commodum factam eſſe conſiderans, Archiepiſcopi & Comitis ſuper hoc fidem & prudentiam plurimum commendauit, dans illis in mandatis, vt Imperatoris Nuntios qui in Siciliam erant venturi pro recipiendis iuramentis æquanimiter expectarent. Hęc autem omnia quæ prædiximus ita geſta fuiſſe, nulli dubitationis vel incredulitatis ſcrupulum moueant, quia Romualdus II. Salernitanus Archiepiſcopus, qui vidit & interfuit, ſcripſit hæc, vt ſciatis quia verum eſt teſtimonium eius. Intereà dum Imperator per totum menſem Auguſti, & aliquam partem Septembris eſſet Venetijs demora-

tus, acceptâ à Papa licentiâ, tertiodecimo die eiuſdem menſis à Venetijs recedens, Rauennam venit, per vallem Spoletinam in Tuſciam deſcenſurus.

Dominus autem Papa omnibus quæ in partibus illis facienda erant ritè diſpoſitis, in menſe Octobris cum quibuſdam de Cardinalibus à Venetijs mouens, cum quatuor galeis Venetorum, ſecundo die ſtante eiuſdem menſis Sipontum applicuit, & inde per Troiam & Beneuentum Anagniam feſtinus aduenit. Quidam verò de Cardinalibus eum per terram ſunt proſequuti; Magiſter autem Raynerius Cardinalis, & Græcus Subdiaconus, cum Chriſtiano Cancellario in Romaniam deſcenderunt pro reſtauratione regalium, quæ Imperator inuaſerat, recipiendâ. Dum autem Papa à Siponto Anagniam veniret, Eccleſiæ peccatis exigentibus, Hugo de Bononia Cardinalis, Beneuẽti eſt mortuus, Vvillelmus de Papia Portuenſis Epiſcopus apud Auerſam obijt, Manfredus Prænestinus Epiſcopus apud Anagniam diem clauſit extremum.

Anno Incarnationis M. CLXXVIII. *quinto die intrante menſis Martij.*

LVNA paſſa eſt Ecclypſim in ſigno Virginis, & incœpit à fine primæ horæ, & durauit vſque ad principium quartę & obſcurata eſt tota minus quartâ. Comes autem Rogerius de Andria iuxtà mandatum regium vſque in Carnis leuamen Panormum Imperatoris Nuntios expectauerat; quibus moram facientibus acceptâ à Rege licentiâ in Apuliam redijt. Salernitanus Archiepiſcopus pręcipiente Rege vſque in mediam Quadrageſimam Panormi eſt demoratus; cúmque Imperatoris Nuntij iter ſuum differrent, ſimili modo impetratâ licentiâ ad Eccleſiam ſuam feliciter eſt reuerſus. Papa verò Alexander aliquantis diebus apud Anagniam demoratus, inuitantibus eum Romanis cum ſummo honore & gloria in feſto Beati Gregorij vrbem feliciter eſt ingreſſus, in qua iuxtà morem Romanorum Pontificum in diuerſis Eccleſijs ſecundum ſtudia ab antiquo diſpoſitis, proceſſionaliter, & pompoſè procedens Miſſarum officia ſolenniter celebrauit. Imperator verò à Rauenna vſque in Vallem Spoletinam deſcendens per Tuſciam, & Ianuam vſque in Lombardiam redijt, Moguntino Archiepiſcopo circa partes Vrbis ad Papæ Alexandri obſequium derelicto. Cùm autem prænominatus Imperator in partibus Taurini in æſtate aliquanto fuiſſet tempore demoratus, & cum Lombardis pacem pro velle ſuo componere non potuiſſet, cum ſuis in Alemaniam redijt.

Ioannes

Ioannes vero de Struma, qui a ſuis Calixtus appellatus eſt, Alexandrum Papam cum Imperatore audiens concordatum, timore correptus Viteruum deſerens Præfecti conſilio & auxilio Albanum montem intrauit, quem Ioannes eiuſdem caſtri Dominus ſatis honeſtè recepit, credens ſe pro eo ab Alexandro Papa pecuniam non modicam recepturum. Quo cognito Moguntinus Archiepiſcopus idem caſtrum obſedit, vineas eius incidit, & ſegetes deuaſtauit, & militum ac peditum circa ipſum cuſtodia derelicta Viteruum rediјt & populum eiuſdem ciuitatis in manu ſua pro parte eiuſdem Alexandri Papæ recepit, nobiles vero eiuſdem vrbis diuiſi à populo noluerunt Papæ ſubire dominium, ſed adhærentes Conrado filio Marchionis de Monteferrato, diebus ſingulis Moguntinum Archiepiſcopum & populum impugnabant, cûmque eis reſiſtere non valerent, Præfecti conſilium, Romani populi & Senatorum auxilium poſtulauerunt. Romani vero more ſuo fidem Apoſtolicis non ſeruantes, Alexandro Papa diſſuadente pariter & vetante, congregata militum & peditum multitudine Viteruum perrexere, vt eiuſdem ciuitatis nobiles viriliter adiuuarent: Moguntinum Archiepiſcopum & Viteruum pro viribus impugnarent. Alexander autem Papa hoc cognito, ſicut vir religioſus & ſanctus, veritus ne ſi Romani cum Cancellario & Viteruienſibus confligerent, multa inde homicidia prouenirent, miſſis Cardinalibus ſuis mandauit Cancellario & Viteruienſibus vt intra Viteruии mœnia ſe continerent & nullam Romanis pugnandi copiam præberent. Romani autem venientes, nemine reſiſtente, Viteruienſium ſegetes vaſtauere, oliuas & vineas inciderunt, & ſic infectis negotijs Romam reuerſi ſunt. Præfectus verò ad pedes Alexandri Papæ accedens, confirmata ſibi Præfecturâ eius homologius deuenit. Cùm autem Papa Alexander Romæ penè vſque ad medietatem Augusti demoratus fuiſſet, calorem aëris & diſtemperationem metuẽs, vrbem cum ſuis Cardinalibus egreſſus Tuſculanum venit. Conſiderans vero quod occaſione ſchiſmatis quod peccatis exigentibus decem & nouem annis perdurauerat multa mala inde Eccleſiæ prouenirent quæ correctione canonicâ indigerent, habito fratrum ſuorum conſilio, Orientis & Occidentis & totius Italiæ Epiſcopos conuocauit, mandans eis per Nuntios & litteras, & Apoſtolicâ authoritate præcipiens, vt in prima Dominica Quadrageſimæ in qua cantatur *Ecce nunc tempus acceptabile*, omnes ad eum pro celebrando vniuerſali Concilio conuenirent.

Imperator verò Fridericus, ſicut cum Romualdo Archiepiſcopo & Rogerio Comite Andriæ apud Venetias condixerat, Nuntios ſuos Vgolinum ſcilicet Bonicomitis & Rodegarium magiſtrum Camerarium ſuum pro recipiendis iuramentis de confirmanda pace ad Regem Vvilelmum in Siciliam miſit, quos Rex ſicut decuit honorificè & honeſte ſuſcepit, & eis præſentibus Comitem Rogerium de Auellino in anima ſua iurare fecit quod ipſe & totum regnum eius Imperatori Friderico & vniuerſo eius imperio veram & firmam pacem vſque ad annos quindecim obſeruaret, & vndecim de Principibus ſuis id ipſum iurare fecit & priuilegium de confirmatione pacis iuſſit conſcribi, & bullâ aureâ inſignitum eiſdem fecit Nuntijs aſſignari, qui acceptâ à Rege licentiâ reuerſi ſunt, quodam Regis armigero eos vt moris eſt vſq; ad fines regni deducente. Cumque ad caſtrum quoddam quod Lacus niger dicitur perueniſſent, inter ruſticos eiuſdem caſtri & Regis armigerum rixa exorta eſt; cúmque Regis armiger ruſticos metuens ad Nuntiorum hoſpitium ſe contuliſſet, ruſtici vt pote ſuperbi & temerarij, domum in qua erant Nuntij cum lapidibus ſunt ingreſſi, & eos malè & inhoneſtè tractantes ſcrinium Hugolini Bonicomitis fregerunt & ex eo coppam vnam argenteam & priuilegium quod Rex Imperatori fecerat aſportarunt. Nuntij verò receptâ hac iniuriâ indignati Salernum venere, & Gualtero Ammirato & Archiepiſcopo totius geſtæ rei ſeriem expoſuerunt, quod cùm ad Regis Vvilelmi notitiam perueniſſet, indignatus plurimùm & turbatus, Dauid Hoſtiariũ ſuum cum litteris ſuis ad Iuſticiarios regionis illius tranſmiſit, præcipiens eis vt huius mali factores & complices diligenter inquirerẽt, & inuentos cruce ſuſpenderent, cuius præceptum eſt executioni mandatum; nam venientes Iuſtitiarij cum Hoſtiario Regis quoſcunque potuerunt de malefactoribus inuenire cæperunt, & iuxta mandatum Regium quoſdam ex eis apud Barolum, quoſdam apud Troiam, vnum Salerni, alium Capuæ, & duos apud ſanctum Germanum ſuſpendi fecerunt, vt vniuerſus mundus euidenter cognoſceret quòd Rex Vvilelmus iuſtitię vel ęquitatis amator, ſi quę maleficia in Regno ſuo fiunt non vult ſilentio & impunitè tranſire. Præcepit etiam Rex aliud priuilegium de confirmanda pace ſcribi & Bullâ ſuâ aureâ inſignitum per Tancredum Notarium ad Imperatorem vſque tranſmiſit.

Eodem tempore menſe Maij xi. indictione Ruſtici de Faiano ſicut proditores & periuri conſentientibus, vt dicitur, quibuſdam

dam Monachis, qui ibidem erant, Matthæum Abbatem ſancti Benedicti de Salerno cum gladijs & fuſtibus & lanceis inuaſerunt, & eum percuſſum in ventre & gutture crudeliter occiderunt. Quo cognito Rex VVillelmus Lucæ Guarnæ, & Floro de Camarota Iuſtitiarijs præcipiendo mandauit, vt huius ſceleris authores cum ſummo ſtudio & cautela inquirerent, & inuentos carcere manciparent; qui adhibitâ diligentiâ competenti, quoſdam de ruſticis qui neci Abbatis interfuere, & Petrum Priorem ſancti Benedicti, & Amatum Priorem Faiani, & quoſdam alios de monachis comprehenderunt; aſſerebant enim ruſtici qui capti fuerant, conſilio & machinatione prædictorum monachorum Abbatem fuiſſe occiſum.

Anno Dominicæ Incarnationis M. CLXXVIII. menſe Auguſti XI. indictione, quarta die ſtante eiuſdem menſis, videlicet in feſto Decollationis Beati Ioannis Baptiſtę, Ioannes de Struma, qui & à ſuis Calixtus appellatus eſt, reatum ſuum cognoſcens, Montem Albanum deſeruit, & apud Tuſculanum ad pedes Papæ Alexandri cum quibuſdam de ſuis Clericis humilis & deuotus acceſſit. In conſpectu Cardinalium & multorum ſe peccaſſe publicè confeſſus eſt, dicens: [Domine Venerande Pater, peccatum meum manifeſtè confiteor, & me auctoritate Imperiali contrà Deum & ſanctam Eccleſiam & vos egiſſe cognoſco; ſed nunc reuerſus ad cor delictum meum recolo, & veniam à veſtra pietate depoſco: omnem hæreſim & ſchiſma abiuro, & vos in Dominum & vniuerſalem Patrem totius Eccleſiæ deuotè recipio.] Quem Alexander Papa vt erat pius & humilis, non obiurgauit & reprehendit; ſed ſecundum ſibi innatam manſuetudinem benignè recepit dicens: [Frater, gaudium eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Quod ſuggeſtione diabolica vnitatem Eccleſiæ ſcindere voluiſti multum doluimus; & quod inſpirante Domino ad eius vnitatem redire voluiſti, plurimum congaudemus. Romana Eccleſia quæ iuxtà Ieſu Chriſti magiſterium inimicos diligere conſueuit, te hodie pœnitentē in filium recipit, & pro malis bona tibi retribuere procurabit.] Die craſtina Alexander Papa eū & in Curia & in menſa ſua honorificè habuit.

Secundo decimo autem die ſtante eiuſdem menſis, Luna in Signo Virginis poſt mediam noctem paſſa eſt Ecclypſim, & pœnè in tertia parte ſui obſcurata eſt.

Tertio decimo verò die intrantis menſis Septembris indictione XI. Sol. in Signo Virginis circà horam * *

Vidit hactenus Lector noſtros ſcriptores, quorum auctoritate veræ narrationis fides nititur. Supereſt vt illum videat, cuius maximè artibus ac dolis ſua confirmare mendacia Aduerſarij conati ſunt. Eius duo producimus fragmenta à Bardo Obonis Rauennatis titulo edita.

PRIVS

PRIVS OBONIS RAVENNATIS FRAGMENTVM A HIERONYMO BARDO IN OPVSCVLO DE NAVALI

Ziani pugna editum pag. CXLVII.

FVIT namque Alexander Tertius Pontifex maximus, quem Fridericus Imperator nuncupatus Barbaroſſa per annos ferè XVI. acerrimè proſequutus eſt; & ſi ad complures Reges, ac Dominos Chriſtianos confugerit: auxilium, pacémque poſtularit; neminem tamen liberatorem, nec pacis compoſitorem inuenit. Omni ergo auxilij ſpe relictâ, depoſitiſque Pontificalibus, vagabatur. Dùm hæc agerentur eligitur Dux vir Clariſſimus Dominus Sebaſtianus Ziani, virtute animi, ac prudentia ornatus. Ab vndecim Electoribus iuratis primis approbatur, anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti M. CLXXII. *Qui Deo gratijs exhibitis, ad Altare ſancti Marci delatus de libertate dictæ Eccleſiæ conſeruanda præſtitit iuramentum; & poſtmodum à Primicerio cum vexillo inueſtitionem accipiens, in palatio prætereà tronilatus eſt. Anno verò quinto huius Ducis dictus Alexander fugiens dicti Friderici Imperatoris perſecutiones, clàm venit Venetias; & cùm aliquandiù incognitus moraretur in Monaſterio ſanctæ Mariæ de Charitate, ac memorato clariſſimo Principi ac fide dignis ibidem adeſſe confirmaretur, ipſe magnâ nobilium comitatus catervâ, adijt dictum Monaſterium & ipſe ſummum Pontificem maximo honore ſuſcepit atque ad ipſius Domini Ducis palatium adduxit; præſtitâque fide ipſi ſummo Pontifici ab eodem clariſſimo Principe ob reuerentiam ſanctæ Sedis Apoſtolicæ de eo conſeruando, pace primò res componere cum ipſo Imperatore (ſi qua poſſet) ea verò ſi negaretur, ferro ei occurrere ſtatuit; maximè quia magnanimi Principis Venetorumque populi dignitati viſum eſt ante omnia de pace agere; miſſiſque Oratoribus ad Fridericum Barbaroſſa Imperatorem, ad eam ſi poſſent obtinendam, quia humanum*

videbatur, pacem, nihil præſertim habituram nocumenti offerre, ſeruatâ ſemper libertate ſanctæ matris Eccleſiæ, ac dicti Summi Pontificis Alexandri Tertij dignitate; Fridericus Imperator in ſua tamen perſiſtens feritate longè ſpreuit pacem, Oratoréſque vacuos remiſit, di-
« *cens. [Si Dux veſter ac populus Venetus non tradiderint in manus*
« *meas Alexandrum Papam Tertium, tanquam noſtri rebellem, vti de*
« *publicis hoſtibus ſumemus de ipſis vindictam.] Quibus auditis fortiſſimus Dux priùs conſolatus eſt ipſum ſummum Pontificem, promittens eum defendere ac conſeruare. Paratâ igitur claſſe triginta galearum quàm citiùs fieri potuit Othoni Imperatoris filio confeſtim obuiam egreſſus eſt, qui pluſquam cum ſeptuaginta triremibus pugnaturus venerat; ſed cùm diu inter eos acerrimè pugnatum eſſet, Deo fauente, Dux clariſſimus & Veneti ſuperato hoſte victores rediere, complures ſecum captiuos adducentes, & in primis Othonem Domini Friderici Barbaroſſæ filium claſſis ductorem, quem potiſſimus Princeps in ſummi Pontificis tradidit poteſtatem. Datâ igitur facultate ipſi Othoni fandi, promiſit Pontifici & inuictiſſimo Duci adire Patrem ſuum Fridericum, & ad pacis fœdera ipſum inclinaturum. Quòd ſi non conſenſerit Pater, ſtatim vti captiuus reuerſurus promiſit; quod tàm ſummo Pōtifici quàm inclito Principi ac omnibus alijs placuit. Acceſsit ergo filius ad patrem, ipsúmque hortatus eſt pacem tàm cum ſummo Pontifice quàm cum Venetis inire; quod renuens dixit ſe tanquam captiuum Venetias velle redire; ob quam rem Fridericus Imperator paci conceſsit, conditionéſque humiliter accepit. Poſt hæc Fridericus, depoſitâ omni elatione, ſumptâ animi ſui benignitate Venetias venit, vbi tàm ab ipſo Pontifice quàm ab excellentiſsimo Duce & Venetis perbenignè ſuſceptus eſt; & in primo ingreſſu Eccleſiæ ſancti Marci Euangeliſtæ, redditâ per ipſum Imperatorem Fridericum debitâ reuerentiâ Pontifici, firmata fuit inter eos perpetua pax. Quibus peractis ſummus Pontifex pedem oſculandum*
« *Imperatori præbuit, & dum oſculabatur dixit. [Super aſpidem &*
« *baſiliſcum ambulabo, & conculcabo leonem & draconem.] Cui Im-*
« *perator dixit, [Non tibi, ſed Petro.] ſubiunxit Pontifex, [Et mihi, &*
« *Petro.] Poſt quæ ſermonem coram omnibus habuit, & Duci ac Venetis omnibus gratias egit, & innumera dona Reipublicæ ſuiſque Ducibus in perpetuum conceſsit.*

POSTERIVS

POSTERIVS OBONIS RAVENNATIS FRAGMENTVM A HIERONYMO BARDO IN OPVSCVLO de Nadali Ziani pugna editum. pag. LXXXVI.

*DVM ea quæ ſuprà diximus ab Orientali Imperatore & Venetiis gererentur, maximi interim in Italia bellorum motus exarſerant: quorum terrâ marique ſedatorum laus, quoniam ad Venetos refertur, eorum originem paulò altiùs recenſeri non indecens exiſtimamus. Defuncto igitur Adriano quarto Romano Pontifice, Alexander tertius ei legitimè ſubſtituitur, quem quidem Cardinales circiter viginti, quos tamen non pauciores octo ac decem fuiſſe conſtat, Pontificem legerant. Contra, Octauianum ex Romana nobilitate hominem tituli ſancti Clementis Presbyterum Cardinalem tres tantùm nominarant. Is cum ſuarum partium ſeditioſis fretus, vi atque armis ſe Pontificem exiſtimari contenderet, magnas Alexandro aduerſitates infligebat; cúmque Pontifex imparem ſe viribus Octauiano ſentiret, ne malum hoc graui Eccleſiæ detrimento longius produceretur, Fridericum Imperatorem ab Adriano Romæ paulò antè coronatum, qui tunc ad obſidendam Cremonam deſederat, obſecratum miſit, vt ſe ab iniqua Romanorum factione & Octauiani temeritate, vel armis quibus poſſet, vel ſaltem authoritate ſolâ defenderet. Ad quæ cùm Imperator reſpondiſſet, Alexandrum atque Octauianum Papiam accedere ſe velle, vt auditâ eorum altercatione verum ipſe Pontificem publicaret; ægrè paſſus Imperatoris proteruiam, cùm non ſatis tutò Romæ degeret, Anagniam tranſiit; contráque Octauianus Signiam occupauit, & Fridericus Pontifici ſubiratus, quod Papiam concedere ſpreuiſſet, duos ad eum Prelatos * * reiecti ab Alexandro ad Octauianum proficiſcuntur: hunc volentem atque hoc ipſum exoptantem, Papiam perducunt. Hîc eum ab Imperatore & ſuis omnibus vt Pontificem, adoratum ferunt. Quod vbi Alexandro innotuit, admonito priùs de more Friderico, eum atque Octauianum quem Victorem appellauerant, atque vnà complices excommunicauit. Romam hinc reuerſus, cum ſibi omnia infeſtiora expectatione offendiſſet, in Gallias proficiſci, hortatu præcipuè Ludouici Francorum Regis conſtituit. Haud ſum inſcius quoſdam Annales Philippum pro Ludouico habere, cùm Philippus eâ tempeſtate vix dum natus, vel certè infans eſſet. Erat autem ferè omnis Eccleſię ditio à Theutonicis quos Fridericus trans Appeninum miſerat oppreſſa. Iulium ergo Præneſtinum Epiſcopum Vrbis Vicarium reliquit. Ipſe terreſtri*

*itinere Terracinam profectus, naues ab Vvillelmo Rege Siculo ad hoc præparatas conſcendit, & ad Montem Peſſulanum pauliſper commoratus, mox Clarum montem ſeſe contulit; & Friderici atque Octauiani, & complicum vincula anathematis promulgauit. Per hoc temporis Fridericus in Italia crudeliſsimè imperat, & inter alia feritatis exempla Mediolanum ſolo adæquat: populum in ſex vicos partitus, denis ab vrbe paſſuum millibus circum diruta mœnia ſine munitione habitare iubet. Tùm Veneti & quia Pontifici animo fauebant, & vicinorum incommodo populorum permoti oblata occaſione, Patauinos Vincentinos ac Veronenſes, qua poſſunt vehementia adhortantur, vt Imperatoris præſidia ex vrbibus deturbent, & præter tributa nihil vlterius ad eum referrent. Qua re facilè impetrata, conſtituta die Germani Pataυio, Vincentia, Verona pelluntur: ſocietas hæc Veronenſis appellata. Quod cum Fridericus ex ipſis Germanis * * Veronam continuò cum exercitu mouit; cúmque eruptione facta fortiſsimè à Veronenſibus pugnaretur, ſuoſque paſsim cædi animaduerteret, receptui cecinit, & ſenſim reducto exercitu, in Papienſem ſeſe agrum recepit. Nec tamen irarum in Alexandrum Pontificem pertæſus * * dolis vafer, barbarus aggreditur, & miſsis ad Ludouicum Regem Legatis, Pontificem ad Diuionem Concilium euocat; quò demum ad diem dictum cum exercitu validiſsimo Octauianum perduxit, Scotiæ ac Bohemiæ Regibus eorúmque auxilijs ſtipatus. Eò, & Ludouicus, Henrico Anglorum Rege, eiuſque exercitu adſcito, relicto tamen ad Dolenſe Monaſterium Pontifice, qui è contrà Turonenſe Concilium celebraturus erat; nec illi ſe intereſſe dignum exiſtimabat quod ipſe non indixiſſet, ſublata omni mora perrexit. Fridericus ludificatum ſe ratus cum fames præterea exercitus vtrinque premeret, in Germaniam cum copijs omnibus re infectâ conceſsit; & Ludouicus intra Regni fines exercitum reduxit. Alexander intereà Turoni Concilium habuit, & Lucæ in Italia Octauianus Antipapa moritur, tot annos contentione incredibili aduerſus verum Pontificem debacchatus; cui vt malum malo accederet, iuſſu Friderici Guido Cremenſis, quem Paſchalem dixere, ſubrogatur. Is Diaconus ſanctæ Mariæ in Porticu Cardinalis in ſchiſmate Octauianum ſequutus fuerat. Sub idem tempus Cremenſes grauibus Imperatoris iniurijs concitati, tùm Brixiani, præſenti eos Epiſcopo plurimum ad hoc adhortante, & Bergomates Mediolanenſium exemplo ſibi metuentes, ipſique Mediolanenſes, ac Placentini Veronenſi ſocietati * * adauctis viribus Imperatoris, vim propulſaturi * * rebus præparabant. Romæ Iulius Vicarius * * cui ab Alexandro Ioannes S. Io. & Pauli Diaconus Cardinalis Preſbytero ſufficitur;*

hunc

hunc tantæ virtutis fuiſſe tradunt, vt Romanum populum pœnè omnem, & Eccleſiæ dicionem vniuerſam in Alexandri partes traduxerit. Conſules ex Gente Pontifici amiciſſima creari fecerit, quibus auctoribus Alexander per Legatos ** magnis eorum precibus ** Meſſanē primò vi ventorū delatus Vvillelmi Regis triremi Romam dein peruenit, Pontificatus ſiue anno ſexto, vel vt alij tradunt, ſeptimo, nec multò poſt Fridericus validiore quā priùs exercitu in Italiā traducto Lōbardis innoxius, in Bononiēſi agro caſtra cōmunijt. Hinc Lucam Guidoni Antipapæ, qui apud Etruſcos deſpectu, & ludibrio habebatur exercitus partē præſidio miſit: ipſe Anchonā Gręco Imperatori pertinacibus ſtudijs, quemadmodū ſuprà demonſtratū eſt, obſequentem, quam diutina obſidione vexarat, cum reliquis copijs profectus, eam grauiter oppugnare annixus eſt. Interim Germani quos in Etruriam diximus tranſijſſe, Guidonis auctoritate firmatâ, Romam acceſſere, vbi aduerſa Pontifici factio Friderici propinquitate & auxiliorum ope freta, omnia quæ Alexander ageret perturbabat. Admirari licet Poncificis animum, tot ac tantis fortunæ procellis inuictum; Emanuel namque Imperator Occidentalium Principum diſſenſionibus, occaſionem ſibi arripiendi alterius Imperij præſtitam ratus, per Oratorem ſuum callidum atque impigrum hominem Pontifici commemorat quæ & quanta Fridericus in ſuam, & Eccleſię Romanę perniciem molitus ſit quam indignus Imperatorem gerat, partim à Pontifice qui eius auctor ſit imperij damnatus; ſe tantæ calamitatis miſeratione adductum, & pecunię vim magnam præſidio Pontifici tranſmictere, & ſeſe actorum Friderici vltorem offerri, & Orientalem Eccleſiam Romanę ſubiecturum ſe polliceri; modò vtrumque Imperium iniuria vetcrum diſiunctum, ſibi vni legicimè concedatur. Hæc effatus Oracor pecuniæ ſummam haudquaquam Pontifici illis neceſſitatibus circumſeſſo aſpernendam in medium prouoluic. Tanca fuit Pontificis magnificentiſſimi conſtantia: tanta ſubtexti doli cognoſcendi prudentia, vt nullis artibus Emanuelis ad id moueri potuerit. ** Filius ei Vvillelmus ſucceſsit, & Lombardi abſentc Friderico, & res alias molieute, Mediolanum reſtituerunt. Romæ populus ad arma concitatus ** obſedit. Obſeſſi in Nepeſino & Sutrino agro degentes Germanos auxilio exiuere. Eorum aduentu inercdibilis Romanorum clades eſt edita, quos quidem hinc Oppidani, inde Barbari circumuentos cædebant: pauci per Algidum dilapſi euaſere. Hæc Romanorum calamitas Veronæ tunc maximè laboranti ſalutem attulit inſperatam; eâ namque omiſſâ Imperator quàm maximis poteſt itincribus Romam cum omni exercitu contendit, ne quam opprimendi Pontificis occaſionem prætermitterct:

poſitiſque ſub Mariȷ colle in Pratis, quæ Neroniana dicuntur, caſtris Vaticanum irrumpere conatur; & ab Inquilinis repulſus circumacto Vaticani colle ab altera Baſilicæ Petri regione ſigna infert: valuas templi facibus admotis amburit. Qua de re templi Cuſtodes de incendio ſolliciti, patefactis eum portis ingredi permiſere. Alexander relicta Lateranenſi ſede in priuatam domum ſitu munitam conceſſit, ibique aliquantulum commoratus * * perturbari, & populum ad iudicium de ſe ferendum ab Imperatore concitari, contaminarique animaduertiſſet * * & Beneuentum profugit; nec tamen Imperator ideò Româ potitus eſt; peſtis namque atrociſſima exercitum eius inuaſit, vt continuò Lucam, mox Papiam redire coactus ſit. Inde cùm in Germaniam mouiſſet, magnâ à Lombardis calamitate acceptâ, trans Alpes penetrauit. Per hæc tempora tres in Occidente ſoles conſpecti produntur, quorum medius euaneſcentibus cæteris ad occaſum peruenit, & * * cohorti Syriam præſertim quaſſauere, in qua vrbes plurimæ ingenti hominũ occidione proſtratę ſunt. Alexãdriam ad Tanarum fluuiũ, Friderico in Germaniam profecto, à Veronenſi ſocietate conditam fuiſſe conſtat * * nomine ſic appellatam, anno qui erat ſalutis noſtræ vltra mille ac centum octauus ac ſexageſimus, & Alexander tunc annos octo Pontificatum tenuerat. Quo tempore Emanuël Imperator tentandum rursùs Pontificem ſibi ratus auctâ pecuniâ iȷſdem mandatis Oratores ad eum mittit; ſed ne tum quoque peruincere id potuit quod aduersùs maiorum inſtituta contendebat. Alba per hos dies à Romanis funditùs deleta eſt: tumulum Alexandri intercedentis beneficio ſeruatum, & non multò poſt Guido Antipapa in Vaticano Germanorum præſidio ſeptus repentè interiȷt. Huic Ioannes Sirmienſis Abbas è Pannonia oriundus ſucceſſit & Calixti nomen ſortitus eſt, cui ſtatim Aymo Tuſculi Princeps oppidum tradere conatus ſuſcipiendi Flateonis oppidi ſpe allectus, cùm neque ab illis receptus eſſet, neque à Tuſculanis iugum Ioannis recuſantibus admitteretur, ad Alexandrum Verulis tunc degentem peruenit, iuráque omnia quæ Tuſculi haberet, quando ea ſibi retinere non poterat, Sedi Apoſtolicæ dono dedit. Pontifex ob frequentes Romanorum iniurias à Tuſculanis accitus eò deſcendit, & præſenti animo atque authoritate, quâ etiam in aduerſis plurimùm pollebat, omni Romanorum impetu repreſſo, cùm vrbem æquis conditionibus ingredi non poſſet, Anagniam reuerſus eſt. Imperator eo anno in Italiam cum exercitu reuerſus Alexandriam per hyemem obſedit, quam cùm ingredi cuniculis per inducias tentaſſet, fraude Barbari detecti. Oppidani ad arma concurrunt; ingreſſos circumſiſtunt atque obtruncant: cuniculum obſtruunt, & factâ eruptione, in hoſtes ad portas paratos impetum faciunt, eóſque in fugam vertunt. Fridericus auxilia ſociorum

ctorum veritus quæ Dertone coactâ reſcierat, turpiter cum exercitu profugit. Verùm ad dolos conuerſus paululùm ſubſtulit & de pace cum Veronenſi ſocietate agere cæpit. Induciæ à Lombardis facile conceſſæ: cúmque Veneti nihil niſi ſaluo Pontifice Romano *rebúſque Eccleſiæ agendum ſocijs ciuitatibus ſuaderent, peruicerunt vt Legati Pontificis ad Conuentum* Papienſem *accerſerentur.* Pontifex *Cardinales tres Apoſtolicæ Legationis titulo* Papiam *miſit. Cæterùm Friderico iniqua omnia (vt conſueuerat) poſtulante & nihil æquè admittente, diſſoluto Conuentu ad ſuas quiſque partes dilapſi ſunt.* In*ſequentibus annis præter crudelem Friderici in populos Eccleſiæ tyrannidem & varias Germanorum iniurias in eas ciuitates, quas in Etruria Romam vſque præſidijs retinebant, nihil memoratu dignum comperimus: mens tamen intereà Imperatoris perſequendi* Pontificis *ſcelere contaminata in omnia conſilia diuerſabat, vt nihil intentatum relinqueret quod Alexandro obeſſe exiſtimaret.*

HINC OBONIANAM SVAM EDITIONEM Vlmus orditur.

ADERAT *annus* Pontificatus *Alexandri iam ſextus-decimus, & ſuprà vndecies centenos quingentus ac ſeptuageſimus à ſalute noſtra vertebatur, cùm Friderici exercitus multò quàm vnquam anteà numeroſior per niues Majo menſe eliquatas commodum iter nactus eſt. Saltu Domuſſulæ ſuperato Comum tranſmittit: quò & Imperator qui eas* Papiæ *copias operiebatur, properè acceſſit irarum plenus & in furorem delendæ* Italiæ *exagitatus. Verùm tantus ardor in eorum animus exarſit, vt ſeſe vltrò huic multitudini paucioribus longè copijs, lato campo certatim opponerent. Mediolanenſes cogendi exercitus initium facere, quos ſequuti Nouarienſes & Vercellani, Brixiani item & Bergomates ſatis validâ manu Imperatori occurrunt. Fuſis demum Mediolanenſium equitibus ferè octingentis qui cupidiùs audaciúſque progreſſi victoriæ initium à ſe fieri geſtiebant, ijſque ad reliquum agmen reiectis, admirabili vtrinque pertinaciâ pugnatum eſt, pro Imperio Germanis, pro libertate Italis decertãtibus, cùm fortè* Imperatoris *Aquilifer temerè in hoſtem prolapſus & circumuentus interficitur, & vexillum à Lombardis aufertur. Quare inflammatus Imperator in eos qui ſignum rapiebant, globo facto, impetum fecit, dumque gladio ipſe acriùs inſtat, equo traiecto prouolutus ex omnium conſpectu repentè ſublatus eſt, quem deinde nuſquam apparentem vtrinque omnes confoſſum atque obtritum iactabant. Hic rumor & Lombardis ardorem adiecit, & Germanis metum incuſsit. Fit ingens eorum cædes: reliqui in fugam verſi pars Comum reuertuntur,*

pars in ſyluas dilapſi Lombardorum impetum effugiunt: nonnulli palantes ac vagi Ticino amne ſubmerſi: plurimi autem Papiam *armis amiſsis peruenere.* Imperator *biduo quæſitus & pro mortuo habitus, die ſextâ Papiæ conſpectus palàm eſt.* Is *inflammatiore quàm vnquam ad id tempus animo exagitatus & penè in furorẽ actus, copias ex fuga omnes in vnum collegit, & accito properè ex Germanis ſupplemento, ſimulatâ ad preſens iniuriarum obliuione, Lombardos omnes ad ſe ventitantes blandiſsimè alloquutus, animos hominum demulcebat, ne quis retrò ſe tam ardentibus animis repentinus tumultus oriretur.* Ipſe *vere appetente preparatus per hyemem omnibus ad* Pontificem *Anagniæ commorantem perſequendum, trans Appenninum primò ad Lucam cum omni exercitu conſedit, inde per Etruriam progreſſus confirmatis eorum animis quos præſidijs detinuerat, & deuaſtatis reluctantium agris, oppidiſque direpsis Romam pretergreſſus exercitu ſupra Tyberis & Anienis confluentem traducto, Anagniam rectâ properabat. Pontifex qui neque exercitu neque pecunia munitum ſe deprehendi periculoſum nimis exiſtimabat (Hunc enim non eſſe Attilam cui Leo* Pontifex *obuiàm inermis progreſſus ſeruatus eſſet, ſatis cognouerat.) effugio patenti interclusus ne ſe vltrò furenti faci obijceret, Anagniâ priuato habitu clàm ſeceſsit, quem cùm in Apuliam profectum Fridericus cenſeret, per ſingula fermè oppida deliteſcentem conſectatus, omnia ſibi ad Tarentum ſubegit, & Pontifici Alexandro terra marique grauiſsimo edicto interdixit. Erat hic annus ſuprà vndecies centũ ſextus ac ſeptuageſimus, &* Pontificatus *ſeptimus decimus. Cum nuſquam Pontifex appareret,* Imperator *exercitu per Apuliam in Hyberna dimiſſo, Laudonem quartum Antipapam qui* Innocentius *dictus eſt, Sirmienſi* Ioanni *ſubrogatum, quaſi vita functo Alexandro quem nuſquam locorum comperire erat, vel perpetuum Edicti metu à Pontificatu ſibi temperaturo, in verum Pontificem firmari ſatagebat, animóque vltionum & ſanguinis inſatiabili, bellum, quaſi confecto Pontificio bello, in Emanuelem Conſtantinopolitanum* Imperatorem *apertum ſibi declaratum hoſtem parare cœpit, continuóque Brunduſij coaceruatâ materiâ triremes quamplurimas poteſt compingendas curat: ipſe operi Princeps aſsidet atque inſtat, quæ per ſe minus poteſt, vt quemque ad ſingula opera idoneum cenſuit, penſatis æqua porsione laboribus & ſigillatim diſtributis Germanorum primoribus omni ſolertia adminiſtranda decernit. Non eo inficias ſatis ſuperque hunc librum excreuiſſe.* Propterea *ne modum excedamus, quæ reliqua ſunt in ſequentem librum transferemus.*

OBONIS RAVENNATIS HISTORICI Liber octauus.

IIS in Apulia hunc in modum conſtitutis Alexander intereà vbi omnia Italiæ loca ab Imperatorijs ſatellitibus luſtrari cognouit, ſicubi eum fortè quis deprehenderet, deſperatis rebus ſecum deliberabat, ſatius ne eſſet ad Vuillelmum Siciliæ Regem proficiſci, an in Gallias rurſum euadere, an Venetiam ſeſe conferre. Vuillelmi ad tantos Friderici exercitus vires imbecillæ & Patris in Sedem Apoſtolicam nullis dum calamitatibus obſeſſam inflati memoria, tenuè prætereà in aduerſis præſtitum auxilium ſuadebant ne illi ſalutem ſuam facile crederet. Alexander tam propinquo præſertim hoſte, tam pertinaciter ſeſe appetente profectionem in Gallias vt inanem & quæ præter fugæ diuerticulum nihil ei aduerſus Fridericum præſtitura eſſet, damnabat. Venetiam ciuitatem liberam & ob id minimè ſuſpectam, quam item amicam potius & ſuarum partium fuiſſe cognouerat, maxime adeundam probabat, vt prætentatis hominum animis vel defendi ſe à Venetis impetraret, vel ſaltem ad Veronenſem ſocietatem ijs vicinam quæ Friderico aduerſabatur tutò tranſiret. Cúmque id penitus conſtituiſſet ad Garganum Apuliæ montem ſubrepens à Veſta oppidulo Iadram liburnico nauigio delatus atque inde alio Venetiam ignotus acceſſit: ea nocte ſub veſtibulo Baſilicæ Saluatoris quæ in Riuo alto eſt, pernoctauit: in ſequenti die ad Monaſterium Diuæ Mariæ cognomento Charitatis diuertit. Id Marci Iuliani opera & impenſa nuper conſtructum fuerat. Hûc ingens hominum turba ſupplex confluebat, non ex inſulis modo quas in Venetis paludibus ſuprà enumerauimus, verum ex continenti plurimi ad famam eorum, quæ Chriſti parens Virgo miracula exhibebat, voti compotes, gratiarum agendarum & monumenti affigendi cauſa eò ventitabant. Fortè Pontifex priuati Sacerdotis cultu ad Aram ſacra facturus conſtiterat, cum vir aduena (Commodo huic nomen fuiſſe tradunt) eius effigiem contemplatus, quem & Romæ & Anagniæ à ſe viſum ſæpiſsimè & loquentem auditum meminerat, Pontificem eum eſſe, vel certe ſimillimum Alexandro Pontifici hominem eſſe cenſuit; cum verò à vocis quoq; ſono argumentũ expectaret, minime præcipitato iudicio, quam proximè potuit ad Sacerdotem perrexit. Is vbi præfari, vt moris eſt, cœpit & voce cõiecturam firmauit. Satis iam Commodo animum ad hoc ſtudioſiſsime intendenti conſtabat hunc eſſe Alexandrum verum, vt omni dubietate excuſsâ id omnino perſpicuum ſibi efficeret; ſtaturam denuo atq; effigiem & omnia corporis lineamenta ſedulò æſtimauit. Quibus comper-

tis ad Zianũ Ducem è veſtigio perrexit, remotíſque arbitris rem omnem aperit. Sebaſtianus exploratis omnibus, Henricũ Dandulũ Gradenſẽ Patriarcham & Vitalem Caſtellanũ Epiſcopum, quoſq; tunc Venetiæ inuenire fuit, Prælatos & Clerum omnem feſto die Virginis ad octauum Kalend. Aprilis ſupplicatione in * * ſummo manè conuocat, & præparato clàm propere Pontificali veſtitu ad Monaſterium Charitatis proſequente vniuerſa ciuitate quæ ad inſolentem hanc & momentariam ſupplicationem inſcia cauſæ confluxerat profectus, commonſtratum ſibi à Commodo Pontificem, reclinato genu adorauit, & Pontificali habitu veſtitum graui oratione cohortatus ad templum Diui Marci, gratulantibus cunctis, deduxit. Pontifex tantis honoribus inſperatò ſibi oblatis, ſpem ſalutis ſingularem & priſtinæ recuperandæ auctoritatis concepit. Ibi ad Aram templi maximam conſtitutus, oblatum ſibi candidum cereum inter alia Pontificis ornamenta, non vltimum Duci porrexit, & geſtandum publicis ſupplicationibus ſibi ac per tempora ſucceſſuris imperauit. Inde in palatium deductus, & in ſolio collocatus iteratâ Ziani oratione frequenti ſenatu habitâ confirmatus eſt. In ſequenti die Dux cum ſuis collocatus opportunitatem præſentem ad demerendos ſummorum inter Chriſtianos Principum animos inexpectatò ſibi oblatam explicat: quàm benè ac fœliciter cum ſua ciuitate actum ſit; vt ſibi Pontifex eum præcipuè refugij locum delegit: temperandum hinc Pontificis, inde Imperatoris de pace animum: defeſſum videri poſſe, tàm diutina inſectatione Fridericum, præſertim cum ſe nihil proficere animaduertat: eludi ſe à Pontifice & à Deo ipſo, qui Petri nauiculam, & ſi fluctibus agitari patitur, mergi tamen & naufragium pati enixè prohibet: Pontificem qui pacis auidiſſimus ſemper fuerit non reluctaturum; quæ ſi Venetorum opera fiant tanti tumultus ſuppreſſi, & pacatæ Italiæ æternam penes ſe laudem futuram. Vbi in hanc ſententiam ab omnibus itum eſt, Dux ad Pontificem profectus in hunc modum verba fecit: [Quandoquidem hoc nobis prouinciæ diuina prouidentiâ iniunctum eſt, vt Sedis Apoſtolicæ dignitatem inſtaurandam curemus, quæ te nobis ſeruandum ac protegendum obtulit; nos quidem (Pontifex maximè) hoc munus eo alacriore animo ſuſcipimus, quo te nobis maiore fiducia quam cæterorum cuiquam credidiſti; non enim tutam ſedem tantum; verùm quicquid in nobis eſt virium, quicquid induſtriæ, id tibi conſtanti animo largiſſimè pollicemur. At quoniam pacem bello potiorem eſſe nemo inficiatur; neque ideò bella geri vt diſcordias perpetuò foueamus, ſed vt pacem æquiorem conſequamur, eam tibi ac nobis vnà qui iam tecum vtriuſque euentus fortunam coniunximus, prius tentandam cenſemus, quàm vel inferamus Friderico bellum,

bellum, vel diſſenſionem hanc ſerpere diutiùs patiamur. Quòd ſi ad pacis Nuntium difficiliorem ſe Imperator præſtiterit, nos Deo propicio, cuius cauſam ſuſcipimus, tibi ac Sedi Apoſtolicæ nullo vnquam tempore ſumus defuturi.] Iis intellectis Pontifex Duci gratias egit, & collaudato, pacis tractandæ arbitrium & ius omne tribuit. Creati continuò ſunt Oratores duo, qui litteras & mandata ad Imperatorem perferrent. Hiſce literis Dux Friderico ſignificabat, Pontificem Alexandrum apud ſe eſſe, quem quoniam pacis ſtudioſiſſima ciuitas ſua ſemper fuerit, ad eam ſedulò eſſet hortatus, ſperaréque ſi ſe audiat, futurum vti breui inter eos conueniat; quòd ſi ſecus in animo haberet, ſe pro Pontifice in ſummam, vt decet, auctoritatem reſtituendo omnia pericula, Deo duce ſubiturum. Afferuntur caſtigandæ Pontifici literæ, quas legere conſtantiſſimè renuit; ſcire ſe (inquiens) qua in ciuitate ſpem ſuam defixiſſet, quibus item adminiſtrandam rem hanc demandaſſet. Tùm nuncius Pontifice inſpectante, literas cæra obſignare annixus, ab eo corripitur; duobus enim modis Veneti Duces multos ante hoc tempus annos, quemadmodum ſuprà docuimus, cærâ ſcilicet ac plumbo literas concludebant. Iuſſit ergo Pontifex plumbeo ſigno literas obſignari, neue aliter Zianus Dux, & qui deinceps illi ſucceſſuri vllas in vniuerſum literas obſignarent. Oratores ad Imperatorem profecti, & ab eo ſingulari humanitate complexi, cùm literas ei legendas reddidiſſent & mandata explicaſſent, ſic eis reſponſum ab Imperatore ferunt. [Vos equidem Oratores & amico atque hilari animo excepimus, & omni charitate complexi ſumus, vt ab eo Principe huc miſſos, quem quidem diligimus mirificè & amamus, eúmque nobis è contra in amore ac beneuolentia reſpondere, vt vehementer cupimus, ita & re ipſa velimus comprobari. Quare cùm infeſtum nobis Alexandrum eſſe neque ignoret, neque per literas & mandata diſſimulet; pax verò nobis niſi Pontifice ad nos adducto eſſe non poſſit; eum enixè hortamur vt Pontificem grauiſſimis catenis colligatum vſque adeò detineat, dum nos eum huc deductùm mittamus. Quod ſi ſecùs fiat, perſpicuum habeat, nos iniuriam hanc nullis conditionibus eſſe paſſuros. Claſſe etenim quam propediem paratiſſimam & munitiſſimam habebimus, experiemur ſit ne vlla vis hominum, quæ Cæſaris voluntati impunè aduerſetur;] cúmque Oratores id nequaquam facturum Ducem aſſeueraſſent, quin potius ſe cuiuis diſcrimini pro ſalute Pontificis obiecturum, contendente ad ipſum Friderico, nec de impietate quidpiam remittente, domum re infectâ reuertuntur. Dux priuſquam verbum alloquuti eſſent, ad Pontificem ire iuſſos, eo aſſidente audiuit; qui poſtquam ſigillatim omnia explicarunt, Pontifex deſertum iri ſe veritus animi anxius pendebat, & ad Ducem

conuerſus in conniuentibus oculis cultum ſedentis explorabat. Quod vbi Zianus aduertit, ne diutiùs Pontifex affligeretur, ſingulari omnium conſenſu fertur hunc in modum locutus. [Bene actum (Pontifex) nobiſcum eſſe cenſeo, quos de pace agentes, & æquiſsimam rem poſtulantes ſuperbum nimis ac inſolens Imperatoris reſponſum ad id ſpei perpulit vt noſtra opera, Deo auxiliū ferente, vel inuito Friderico pacem tutiſsimam conſequaris. Neceſſe enim illi futurum eſt, vel te apud nos inuiolatum omittere, vel ſi vlterius proſequatur, aut terra id, aut mari pertentet. Habes incontinenti ſocias Veronenſium ciuitates, quæ non modò reſiſtere Friderici exercitibus, verùm etiam propulſare illos, & in fugam vertere ac profligare didicerunt. Mare, noſtrū munus futurum eſt, & quod non minus forti quàm alacri animo ſuſcepturi ſumus, vt qui Deum nobis ducem & auctorem proponimus, talemque pro te ac Sede Apoſtolica pugnantibus ad futurum ſperamus, quali te ſtudio ſumus defenſuri? Metum perinde omnem excute, noſque tecum omnia ſubituros pericula confide.] Qua oratione confirmato Pontifice, & in ſpem optimam rurſus erecto; Dux in ſequentibus diebus naualia recenſeri iuſsit, & quæ labefactata eſſent, reparari vt cum res poſceret, naues præſtò eſſe poſſent. At Pontifex vt Venetis è contra quod poſſet officium præſtaret, ſtatutâ Quadrageſimæ die quæ lætitiam in ſacris præ ſe fert (ea tunc ad tertium Non. Aprilis celebrata eſt) Roſam ſingulare Pontificium munus Duci Veneto donauit. Sed iam Cardinales complures ad famam Pontificis Venetiam ſeſe contulerant, Vbaldus ſcilicet Oſtienſis, Gualterius Albanus, Conradus Moguntinus Archiepiſcopus, qui & Sabinus, Guilielmus Portuenſis, qui & ſanctæ Ruffinæ, Manfredus Præneſtinus, Epiſcopi: Ildembrandus duodecim Apoſtolorum Baſilicæ, Ioannes Neapolitanus ſanctæ Anaſtaſiæ, Boſo ſanctæ Pudentianæ titulo Paſtoris, Theodinus S. Vitalis tituli Veſtinæ, Petrus Bonus ſanctæ Suſannæ Preſbyteri: Hiacynthus S. Mariæ in Coſmedin, Arditio S. Theodori, Cynthius S. Adriani, Hugo S. Euſtachij ad Pantheon, Laborans S. Mariæ in Porticu, Raynerius S. Georgij ad velabrum, Diaconi Cardinales omnes: Archiepiſcopi item atque Epiſcopi frequentes. Intereà nunciatur Dertonates & Cremonenſes à Principibus ordinum præſidij quod Imperator Papiæ diſcedens impoſuerat, ſollicitatos, defectione à ſocijs factâ ad Friderici partes tranſiſſe. Res vt erat momenti haud aſpernandi, ſociorum animos mirificè perturbauit. Pontifex ergo Ziani hortatu ad confirmandos eorū qui in fide perſtiterant, animos per literas, ac Nuncios ad ſingulas quaſque ciuitates demiſſos, Dertonatium & Cremonenſiū leuitatem damnat: reliquorū conſtantiam ſummis laudibus perſequitur, hortaturque, ne ſe ac ſedem Apoſtolicam quę ampliſsimā in eorū virtute, ſi res

res poſceret, ſpem collocaſſet iniquiſſimo tẽpore deſererent. Pugnaſſe illos toties vt à Pontifice abſente iniuriam propulſarent: nunc præſente eo ineundum certamen longè acriùs eſſe & ſuæ cuiuſque fidei documenta præſtanda, quod vt alacrius eniterentur, ſe ad eos inuiſendos prope diem venturum. Iis ita conſtitutis Pontifex proſequente Venetorum Duce, & ciuitatis Primoribus, Ferrariam tranſijt, ibique pauliſper commoratus, cùm progredi vlterius ſtatuiſſet, exploratores à Ziano in Apuliam miſsi trepidis Nuntijs afferunt Imperatorem triremes quinque ac ſeptuaginta obarmaſſe: eis Othonem filium præfeciſſe: hunc ſuperato Maris dorſo in Illyricum tranſmeaſſe. Quare permotus Alexander, omiſſo quod inchoauerat itinere, Venetiam reuertitur Dux properè deductis nauibus, vt anguſtia temporis pati viſa eſt, triremes triginta ſubitario milite exarmat, & lectiſſimo quoque in naues impoſito, ad portus oſtium producit. Iucundum ſpectatu fuit neminem omninò fuiſſe qui ſponte nomen non dederit, ſed longè iucundius certantium verba exaudire, cum per ſe quiſque ſtuderet, vt prior ſcriberetur. Tantus fuit non nobilitatis modo, verùm vniuerſæ multitudinis propulſandarum à Pontifice iniuriarum ardor. Delectu habito, qui ſcribi raptim potuere notiſſimæ probitatis quiſque in naues quas diximus excepti ſunt. Abeuntem è Palatio Ducem Pontifex ſummo ſtudio adhortatus, & ad nauem proſequutus fertur; vtque intrepidis animis & procul omni ſpirituali metu decertarent, delictorum omnium indulgentiam claſſiarijs ſingulis pronuntiauit: Duci Enſem tradidit vindicandæ in libertatem Sedis Apoſtolicæ monumentum perpetuò geſtandum: eique ſimul & vniuerſæ claſſi proſperum pugnæ euentum imprecatus eſt. Idibus Maij Dux pro portu Veneto eum ad anchoras conſtitiſſet, præmiſsis leuioribus quibuſdam nauigijs ad explorandum Imperatoriæ claſsis curſum, prefectos triremium ad ſe conuocatos hortatus eſt ne vllam benegerendæ rei occaſionem prætermitterent; ad futurum eis namque Deum propugnatorem, cuius partes tuerentur, neue hoſtium eos multitudo terreret; eſſe enim viros maxima ex parte Germanos, nauigandi imperitos, nauale prælium nunquam expertos, nauſea & fluctuum agitatione confectos, & qui ſibimet impedimento futuri eſſent: ſuos animi & corporis fortitudine ſpectatos, ex omni re nautica rebus in eam claſſem congeſtis; quare vix mare ipſum procellis agitatum leges ferat, quin omnia pro votis adipiſcantur, Deo præſertim qui potens eſt omnium, auxilia ſuggerente. Leonidam Spartanum libeat ſibi memoraſſe, qui cum Perſarum exercitu, vt ſingulis ſuorum tot hominum millia eſſent aduerſa, quod vix credi eſt, nulla diuini auxilij ſpe fretus, conflixit tamen intrepidè: hac tamen cauſa ductus

vt eam patriæ gloriam relinqueret, Spartanos ex omni Græcia ſolos in Perſas irruiſſe, & cedendo defatigatos mortem oppetijſſe. Se Chriſti Vicarium Imperatoris iniuria, Mari, ac Terra exagitatum, & in vincula petitum defenſuros: in ſpe certa victoriæ morari poſſe, tàm paruam (qui ad Perſas comparet) Friderici manum adoriri; cui licet numero pares non eſſent, virtute tamen & animorum ardore, quæ res in bello potiſſima cenſeatur, vbi virtutem fortuna comitari didicerit antecellerent, ac longè ſuperiores apparerent; nec vereri ſe illos primò impetu perturbatos profligatum iri. Proinde ſuos quiſque cohortarentur, & quæ ipſe diſſeruiſſet eis delinearent, eóque animo inde ſoluerent, vt de reditu niſi partâ victoriâ non cogitarent. Diſſoluto Concilio ſuam quiſque triremem conſcendit, & Ducis imperata ediſſerit, omnibuſque in ſummum ardorem concitatis, ſigno dato ſublatis anchoris, remorum præſidio (ventus enim tenuiſsimus ab auſtro flabat) Iſtriam verſus certatim contendunt. Iſtria omnis vt dictum à nobis ſuprà eſt, portuoſa, & nauibus cuiuſque generis ſalutaris eſſe perhibetur, crebris ſinibus continentem excauantibus: crebris item promontorijs in pelagus prolapſis, & inſularum obiectu ab omni Venetorum flatu protectam ac tutam omninò ſtationem præbente. Huic oræ Zianus præſidium laturus properabat, tùm ne agri vaſtarentur, & ſi qua maior vis immineret, oppidis ſalutem offerret; tùm vt tutis ſtationibus hoſtem opperiretur; ſed iam Otho proſpera vſus nauigatione claſſem eò applicuerat, Iſtris omnibus formidoloſus, nemini tamen moleſtus; vt qui Venetiam ad exploratam victoriam, & tutam ciuitatis obſidionem (vt rebatur) properabat. Id cùm Duci nunciatum eſſet, mutato conſilio, expectandos hoſtes in alto cenſuit, qui comparatæ claſsis Venetæ ignari, inconſultius eſſent ſeſe pelago credituri. Accidit autem peropportunè vt Mare diebus illis tranquillum eſſet. Otho regijs animis inflatus, cùm ſibi nihil aduerſaturum perſuaſiſſet, commeatu ex omni Iſtria coëmpto, & in triremes impoſito, quo diutiore obſidione Venetiam, ſi Pontificem ea ciuitas dedere minùs vellet, vexare poſſet, Parentico ſoluit; cúmque prouectus aliquantum eſſet, illuceſcente die in Venetæ claſsis conſpectum eſt delatus. Quo ſpectaculo perturbatis omnium animis (neminem enim ſibi obuiàm iturum exiſtimarant) pars Othonem increpare qui inexploratò ex Iſtriæ orâ ſoluiſſet: pars in virtute ſpem ponendam clamitare, & prælio decernendum: claſſem Venetam dimidio inferiorem videri, quam facilè circumuenire eſſet. Eâ ſuperatâ debellatũ cum hoſte eſſe. Otho cohortatis omnibus arma expedire, & ſuis quemq; locis inſiſtere, & ad pugnam accingi iubet. Contra Zianus claſsis cornua, quã maximè poteſt, deducit: ijs ſingulos Legatos præficit: ipſe mediâ

fronte

*fronte conſiſtit, ſuíſque omnibus breui oratione cõmonitis, quid fieri vellet, ſigno edito, primus in hoſtes triremem concitauit, quem deinde ab vtroque cornu reliquæ cõſequutæ ſunt, in claſſem Imperatoriam impetum fecerunt; & clamore vndique ſublato prælium acre inierunt; nec Imperatorij contrà nauium multitudine freti, Venetorum paucitate ſpretâ ſibi defuere; Factúmque ideò eſt vt variâ fortunâ pugnatum aliquantiſper ſit. Verùm ſuperante virtute; Imperatorij paulatim cedere, & ſeſe prælio ſenſim explicare. Quòd cùm Veneti animaduertiſſent, redintegrato clamore; factâ in eos impreſſione, naues ad ſe ferreis vncis attractas ſingulas & binas, vt ſors tulerat, ſinguli expugnare adorſi, magnam in Germanis cædem paſſim edebant. Quo malo perterritus Otho de fuga conſilium capiebat; ſed cum triremis quam ſibi delegerat, vnà cum maxima claſſis parte vncis teneretur, effugio interclusſus, viuus in Ziani poteſtatem deuenit. Triremes quæ ſe fortè vncis expedierant, vel quas apprehendere non fuit; ſalutem ſibi fugâ petiuerunt: reliquarum propugnatores, abiectis armis, Venetorum fidem implorantes vitam promeruere. Captæ ſunt ex ea claſſe triremes octo & quinquaginta: depreſſæ duæ fugientes: Dux ſubmiſsis triremibus quibuſdam inſequi iubet. Ipſe ad Promontorium Salboy, quod à Pyrano oppido ſeptem millibus paſſuum diſtare fertur, cum victrici & captiua claſſe diuertit; ibi in tantum commoratus dum triremes quas emiſerat reuerterentur. Cùm ſe hoſtes curſu celerrimo proripuiſſent, & vanam eſſe inſectationem triremium Venetarum Præfecti cognoſcerent; ideóque ad eum biduo poſt reuerſi ſunt, præmiſsis victoriæ Nuntijs: ipſe expectato tempore Venetiam iter direxit, & Kal. Iunij victor in portum appulit; cui vniuerſa ciuitas gratulabunda obuiàm proceſsit. Eo die victrices & captiuæ triremes pro area Diui Marci conſtitutæ ſunt, & præda omnis exonerata: mox inter nauales ſocios æquis portionibus diſtributa. Otho captiuus cum ſuis Primoribus ad Pontificem eſt deductus. Pontifex Ducem exoſculatus, maris domitorem ac dominum ſalutauit, & annulum aureum digito detractum ijs verbis ornatum genua Pontificis amplexanti porrexit. [Hoc tu quotannis die craſtino [erat autem Aſ- “
cenſionis Dominicæ dies poſtridie illius diei futura] mare, veluti ſubie- “
ctam ſibi vir coniugem deſponſabis, idque cæteri ſucceſſores tui perpetuò “
ſeruanto, Sedis Apoſtolicæ ab iniqua Friderici impugnatione ſeruatæ & “
deuicti maris monumentum;] quod inſequentibus annis continenter repe- “
titum Veneti Duces ea celebritate factitant. Ad Othonem demùm conuerſus, Patris in ſe iniurias commemorat; & pertinaciam criminatur; oſtenditque quàm graue ſit aduersùs Dei Vicarium bella mouere. Hoc illi tot exercituum ſuorum cladibus quas modò à Lombardis, modò à peſtilenti morbo accepiſſet, perſpicuum eſſe potuiſſe; verùm pertinaci contentione*

non ſatis ei viſum, quòd Octauianum & reliquos hæreſis Principes fouiſſet, quòd ſe in Gallias profugum vi ac dolo inſectatus eſſet: Romam dein reuerſo arma ad Tybrim intuliſſet, populum Romanum, vt de Pontifice nullis hominum arbitrijs ſubiecto, iudicium ferret, concitare non eſſet veritus: Anagniæ demùm in ſeceſſu degenti tantos in caput exercitus duxiſſet: Pontifici *penès quem ius Imperij ſit, terra & mari Imperator interdixiſſet, catenas quoque (auditu, ne dum factu, rem indignam) quæ* Pontifici *captiuo inijcerentur poſcere non dubitaſſe: Deum tantæ rei indignitate commotum Venetos armaſſe, eique recenti incommodo, ipſa captiuitate claſſiſque iactura commonſtraſſe quales in Sedem Apoſtolicam eſſe debuerit. Profuſas ferunt ad hæc Pontificis verba Othoni lacrymas & veniam poſtulatam, quam cùm facilè ab humaniſsimo Pontifice impetraſſet, ſatis compoſita prioribus diebus oratione, dum captiuus in triremi eſſet.* [*Ego verò* [*inquit*] (Pontifex *Maxime*) *quamquam Patris imperio non obtemperare non poteram, inuitus tamen in te bella mouebam, vt qui admodum ſcirem ea ſuperis arma inferri, quæ in te capta eſſent. Nec ſum adeò mentis impotens vt per me non intelligam ea omnia quæ narraſti non ſecus eſſe ac cenſes. Verùm cùm hactenus prolapſi iam ſimus, nec reuocare præterita ſit, omnis in tua benignitate ſpes mihi libertatis conſtituta eſt, quam quidē non aliter expoſco, quàm ſi id tibi è contrà attulero, quod me dignū eſſe libertate commoneat, & ſuapte vi liberum faxit. Pacem iterùm quā tot annos vniuerſa Italia ſummo affectu liguriuit, breui ſum tibi, ſi me audias, pariturus. Ego ſingularem in omnes humanitatem tuam atque animi manſuetudinem & audiui ſæpiſsimè, & nunc in me captiuo experior, in quem nihil grauiùs reprehenſione ſtatueris. Hanc Patri meo nemo exactiùs me vno declarabit: nemo eam laude ampliore proſequetur: nemo ſecuriore ſententia apud Imperatorem commendabit; ſed nec perperam acta quiſquam hominum me liberiùs accuſabit, & quæ ritè agenda ſint in medium adducet. Noui è contrà Patris ingenium, & quibus potiſsimum rebus moueri queat. Si ergo hoc mihi per te liceat, me pacis nuntium & curatorem acerrimum offero ad Imperatorem iturum, iureiurando tibi pollicitus me etiam (quod ſuperi omen auertant) pace infectâ, hùc ad te in captiuitatem rediturum.* *Collaudatum pro tempore* Pontifex *in cuſtodiam dimiſit. Ipſe vniuerſalem delictorum omnium remiſsionem quam ſoluenti claſſi pronuntiarat, omnibus omninò qui Aſcenſionis die templum Diui Marci adijſſent, perpetuò promulgauit, adiecitque vt qui ad dies octo poſt eam diem veniſſet, ſeptimę admiſſorum omnium portionis ab omni ſupplicio liber eſſet. Id tùm victoriæ tùm propoſitæ pacis gaudio elatus ſumma alacritate Venetis largitus eſt. Verba demum* Othonis *ad ſuorum conſilium retulit, omnibúſque maturè diſcuſſis,*

ſis, aſſentiente ad hoc potiſſimum Ziano Duce, facultatem ei quam popoſcerat, propoſitis pacis conditionibus & in notas redactis, conceſſit. Otho igitur acceptis Alexandri & Venetorum poſtulatis, reditum iureiurando pactus ad Patrem proficiſcitur. In filij ſalute deſperata eorum conſcius quæ temerè atque impudenter auſus eſſet, tum demùm pertinaciam ſuam accuſabat, & bella quæ geſſerat, ſeque ipſum odio habebat. Eum itaque conſpicatus poſito mœrore omnia ſummi gaudij documenta profudit, & de pace agentem, & ſi ferox animus ab ea mirum in modum abhorrebat, benignè tamen & clementer audiuit. Is in hunc ſenſum loquutus fertur. [Non eſt, Pater, humani conſilij aduerſum ea contendere, quæ aliter atque aliter diuina moderatio ceſſura proſpexit. Ego quidem ab hoſte ſuperatus ad te venio, ſi inquam ab hoſte ſuperatus dici poſſum, quem Deus ipſe impugnauit. Nihil mihi humanæ opis defuiſſe certum eſt: triremium numero, propugnatorum copia ſuperior prælium inij: non me loci iniquitas, non ventorum impetus perturbauit; ſed Dei nutus, omnium moderator, fortunæ arbiter, victoriæ author indubius. Si quam ab Alexandro iniuriam tibi illatam cenſes, ſatis iam pœnarum perſoluit, toto orbe profugus & ad extremam calamitatem redactus. Noſce tuis è contrà cladibus fortunam eius. Impugnaſti eum ſecundo bello annos ſeptem ac decem: nunc ex meo caſu diſce mutari fortunam poſſe, & Deum in ſectati Pontificis vltorem ad iram in nos concitatum ipſo periculo cognoſce. Me quidem tuâ potiùs causâ quàm Alexandri beneficio adductum, credito ad pacem poſcendam hûc veniſſe; quamquam eum talem in me expertus ſum, vt vel inuitus cogar eius quoque commodorum rationis non obliuiſci; ingentibus officijs, humanitate incredibili, clementiâ ſingulari Pontificu deuinctus. Quem ſi (Pater) præſentem æſtimare queas, indignum tutè inſectatione vel puſilla confeſtim putes; tot enim ac tantu fortunæ procellis nobis authoribus conflictatus, tutiſſimo nunc loco & potenti conſtitutus, mari victos, animis Lombardorum ad ſe allectis, non grauius in me captiuum animaduertit, quàm vti ad ſe proficiſci non vetaret, pacemque illi ſi afferrem, alacri animo ſuſcepturum ſeſe affirmaret. Noſtra igitur (Pater) intereſſe crediderim pacem oblatam complecti, ne tantâ opportunitate abuſi Deum ipſum aduerſus quem decertamus, in nos vehementius pronocemus; metuendum etenim nobis duco, ne atrocius in dies continuato certamine in nos excandeſcat. Plerumque humanas vires horreſcimus & vim diuinam facilè feremus? neque enimuerò ea tantum quæ præ oculis ſunt, verùm ea item quæ futura credi poſſunt animo agitanda cenſuerim; neque adeò fidem fortunæ adhibendam, vt mutari non queat. Nihil eſt in ea rebus humanis fallacius; ſed neque occaſio eiuſcemodi eſt, vt cùm velis captandam rurſus ſe præbeat. Fortè id quod nunc vltrò ſe no-

“ *bis tenendum exhibet, ſi noſtrâ culpâ elabatur, non tam facile captu futu-*
“ *rum eſt. Arripienda eſt occaſio, non diuturniore morâ eludenda, ne cùm*
“ *velis eam ſeriò amplecti, ipſa in iocum ſeſe conuertat: memoriæ quoque*
“ *conſulendum cenſeo, & quæ deterius acta videantur æquis ac bonis è con-*
“ *trà facinoribus penſanda. Quid enim inſequens de te æuum putes, ſi pa-*
“ *cem æquam contemnas: ſi ii quem pacis inter Chriſtianos authorem expoſ-*
“ *cunt, bella vltrò foueas & ad pacem nullis pactionibus deſcendas? nec*
“ *iam eſt vt eam facile ac prius victoriam tibi proponas. Etiam num ſi ad-*
“ *uerſus ſolos homines pugnaremus;* Pontifex *ad hos confugit quorum vires*
“ *experti noſtro periculo terra & mari ſumus. Terra Lombardos habemus*
“ *infeſtos, quorum pertinacia ſtudia toties cognouimus, quoties cum noſtris*
“ *exercitibus congreſſi ſunt: mari Venetos excitauimus, quorum ea peculia-*
“ *ris diſciplina eſt, vt in re nauali plurimum & ſciant & poſſint. Hos ego*
“ *non ſine graui animi perturbatione commemoro; eorum namque tam par-*
“ *ua manu, vt mihi amplius dimidio inferior eſſet, non virtute noſtrorum*
“ *immunita, non animorum ardore extincto victus & in captiuitatem ab-*
“ *ductus iureiurando obſtrictus ſum, vt ſi te à pace alienum perſpexero, in*
“ *vincula continuò redeam.* In *vincula ego* Pater *pertinacium contẽtionum*
“ *cauſâ redeam? At mihi ſemel captiuum fuiſſe graue nimis ac moleſtum*
“ *eſt: fidem vitâ potiorem duco. Quare ſi me tibi liberum vis reddi, pacem*
“ *mihi, non* Pontifici *condonato? ſin ad carcerem remitti mauis, id tui arbi-*
“ *trij (* Pater *) eſto.*] *ſimulque in lacrymis deſijt. Hac oratione permotus* Imperator, *bono animo vt eſſet, reſpondit: pacem qualem vellet* Pontifici *afferret: id ſe illius libertati & ratiocinationi concedere; denuóque am- plexatus filium, traditâ ei datæ atque acceptæ pacis formâ Venetiam è ve- ſtigio reuerti iuſſit, & Oratores confeſtim ſe miſſurum, nec multò poſt ſe- ipſum eò venturum affirmauit. Otho ad* XVI. Kal. *Auguſti Venetiam applicuit, & quæ cum Patre egiſſet, quidve afferret declarauit. Quæ cùm* Pontifex *approbaſſet, pace vtrinque firmatâ, nihil iam præter Oratores qui Friderici nomine iuſiurandum præſtarent, expectabatur. Eos pridie feſti Magdalenæ ad* Pontificem *veniſſe comperimus. Erat autem ex ijs vnus* Imperialis *Comes, alter Archicamerarius, quorum nomina incerta ſunt.* Penes *hos iurandi poteſtas publicâ fide approbata erat. Vterque igi- tur Friderici verbo iurauit ſe omnia quæ Otho filius Venetiam attuliſſet, fide inuiolatâ ſeruaturum. Vicmanus item Magdemburgenſis,* Philippus *Colonienſis, &* Chriſtianus *qui Moguntinus dicebatur, Archiepiſcopi, effecturos ſeſe vti Imperator, vt primùm Venetiam appuliſſet, ſe ac ſuos omnes ad pacta obſeruanda ſacramento deuinciret, iureiurando firma- runt. Addubitare quippiam fortaſſis hîc poſſit, cur hoc loco* Chriſtianum *Moguntinum Archiepiſcopum dicamus, ſi paulò ſuperiùs hic idem titulus*

Conrado

Conrado Cardinali Sabino Epiſcopo adiectus legitur. Verùm cùm hoc ſchiſmatis culpâ contigiſſe certum ſit, alios Alexandro Pontifice, alios hæreſiarchis creantibus, non eſt vt duorum vnius atque eiuſdem Eccleſiæ Antiſtitum verum vtrumque exiſtimemus, vel vt cognomina falsò tradita cenſeamus. Eo die Petrus Zianus Ducis filius qui Friderico obuiam progreſſus fuerat ei ad Volane Padi oſtium occurrit, & ſingulari pompa exceptum Clodiam deduxit, vbi aliam item primorum ciuitatis manum à Duce ſubmiſſam offendit. Quibus vndique ſtipatus ad Monaſterium Diui Nicolai quod eſt in littore mari obiecto, feſto Beati Appollinaris die peruenit. Inſequenti luce ſummo manè Vbaldus, Guilielmus, Manfredus, Ioannes Neapolitanus, Theodinus, Petrus Bonus, & Hyacinthus, Cardinales, ad Imperatorem Pontificis nomine acceſſere. Et accepto abnegationis cuiuſcumque hæreſis aduersùs Alexandrum Pontificem coortæ ſchiſmatis, item Octauiani, Guidonis Cremaèis, Ioannis Pannonij, & Laudonis ſacramento, eum à vinculo anathematis ſoluerunt. Idem in cæteris qui Imperatorias partes ſequuti fuerant ſeruatum eſt. Quibus peractis Cardinales ijdem vt iniunctum eis fuerat, Imperatorem ad Diui Marci delubrum, vbi eum Pontifex operiebatur, deduxere; cúmque ad Pontificem pro foribus templi ſedentem acceſsiſſet, detecta ex humero fulgente clamyde, poſito eum genu adorauit. Mox ad pedes prouolutus, eóſque exoſculatus, fertur inſultanti Pontifici & propheticum carmen [Super Aſpidem & Baſiliſcum ambulabo, & conculcabo Leonem & Draconem.] enuncianti; non Alexandro, ſed Petro id tribuere, peruicaci dicto reſpondiſſe: Pontificem deinde & ſibi & Petro ceſſum ingeminaſſe; ac tum demum ad complexus mutuos & pacis oſculum admiſiſſe, conclamantibus vndique omnibus Deo laudem eſſe deferendam. Aſtabant ex ijs quos libet recenſere, præter eos quorum ſupra meminimus Prælatos, Vlricus Aquileienſis, Henricus Graden. Patriarchæ, Arnoldus Treuerenſis, Conradus Salburgenſis, Eberardus Biſuntinus, & alter Eberardus Magdeburgenſis, Archiepiſcopi: Vitalis Caſtellanus Epiſcopus, Conradus Vormacienſis Electus, Rodulphus Argentinus, Arnoldus Oſnaburgen. Artuicus Auguſten. Hanno Mindenſis, Sifridus Ceneten. Gerardus Concordien. Marinus Clodien. Leonardus Torcellanus, Epiſcopi: Vortuinus item Protonotarius atque alij Prælati complures, quorum nomina cùm nobis incerta ſint, ea pro certis tradere noluimus. Principum verò Sebaſtianus Venetiæ Dux, Florentinus Holandiæ Comes, Conradus Montisferrati, Theodericus Saxoniæ, Marchiones: Henricus Dieſſæ, Roſo Viceten. Comites: Theodericus Landesberch Marchio cum Dedo Comite fratre, Conradus Anconitanus, Albertus & Obizo Heſtien. Marchiones: Sichinella Taruiſij, Vbertus Blandrati,

Comites: Venetorum nobilium tantùm libet ſubnotaſſe duos Ziani Ducis filios Petrum & Jacobum, Aureum Magiſtrum Petrum, Marcum Maurocenum, Ioannem Enicum, Henricum Dandulum, Dominicum Memum, Henricum Hauigaioſum, Octauianum Quirinum: reliquos ſigillatim recenſere ſuperuacaneum duco & legenti iniucundum: omnis in ſumma ciuitas ad hoc ſpectaculum confluxerat. Inde ad maximum templi Altare progreßi Pontifex atque Imperator mutuis rursùm complexibus ſeſe inuicem deoſculati, præclarum & tot annos exoptatum ſanis mentibus ſpectaculum præbuere. Inſequenti Diui Iacobi luce Pontifex Friderici precibus adductus ſacra celebrauit. Quibus ritè abſolutis Imperator, vt omnia manſueti animi documenta præſtaret, Pontifici equum candidum vt moris eſt conſcedenti ad ephippia conſtitit, eáque miniſtri peditis officio functus continuit: mox & pedibus in equo reſedentem à dextera, Sebaſtiano Duce à læua proſequente per aream Diui Marci comitatus eſt. Kal. verò Auguſti pacis conditiones publicè enunciarunt. Ijs Pontifex ac Veneti pacem ſibi æternam pepigerunt. Veneti per omnia Imperij loca immunes effecti: Imperatorij per mare vſque ad Venetos identidem immunes: Venetorum fines ingreßi vectigal penderent. Vvilelmo Regi Siculo in annos quindecim pax data, Lombardis induciæ annorum ſex conceſſæ: quæ ſchiſmatis tempore in Italia Fridericus occupaſſet intra menſes tres ea omnia Pontifici reſtitueret. Hæc pactionum annotatu dignarũ sũma eſt. Veneti quæ de ſe pepigerãt, ſeparatu litterarũ monumentis tradidere. Quæ fuerant reliquæ conditiones communi ſcripto comprehenſæ ſunt, & in vnum redactæ. Tum verò Comes, fortè idem qui prius (nomen viri incompertum eſt) Imperatoris verbo iuſiurandum præſtitit, ſe, & coniugem ac liberos, & qui eorum Imperio parerent pacta omnia fide ſincerâ, ſine dolo malo ſeruaturos. Hoc idem Philippus Colonienſis, Chriſtianus Moguntinus, Arnoldus Treuerenſis Archiepiſcopi, & Conradus Vormacienſis electus Imperatoris Cancellarius iureiurando affirmarunt; adieceruntque ſtudium ſeſe omne ſedulò adhibituros, ne qua in re Imperator à pactionibus digrederetur; verùm eas conſtanti animo obſeruaret. Regis dein Siculi Oratores Salernitanus Archiepiſcopus, & Andrenſis Comes Rogerius quæ ad Vvillelmum attinebant Sacramenti nexu adiecto comprobarunt. Pontifex ijs tàm feliciter confectis, vt decreta quæ conſtituerat promulgaret, atque alia itèm ederet, concilium fertur ijs diebus indicere voluiſſe. Quod quidem nobis qua potißimum de causâ celebratum non fuerit, minimè conſtat; nec verò ſumus qui ambigua pro compertis afferamus. Eo tempore nihil à Venetis prætermiſſum tradunt, quod in Pontificis venerationem publicè potuit priuatimque excogitari; ſed nec Friderico

quidem

quidem ſummi honores defuêre cum inſita eis comitate; tùm verò vt non armis modò, ſed animorum quoque magnitudine, quorum peculiare eſt vt præter victoriæ titulum nihil ex hoſte petant; ſuperaſſe Fridericum, crederētur. In omnes ita officioſi ac liberales, vt vulgò paſſim iactatum ſit, nihil Venetâ hoſpitalitate elegantius aut lautius aut iucundius reperiri vſque poſſet; mox prouerbio VENETVM HOSPITIVM *ſit vulgatū. Imperator idipſum iter quo acceſſerat remenſus, Rauennam profectus eſt, & Brectanorium oppidum retinere primò conatus, cum à Pontifice de pacis conditionibus eſſet commonitus, ne tàm properè pacta infringere videretur, incepto deſtitit: id Pontifici enixè flagitanti reſtituit. Deinde cum ſoluiſſe Venetiâ Alexandrum reſciuiſſet, (quod inter eos priuſquam digrederentur conſtitutum fuerat) terreſtri eum itinere Anchonam verſus ſubſecutus eſt. Pontifex aliquandiù poſt Imperatoris diſceſſum Venetiæ moratus, cum Romam abire ſtatuiſſet, Senatum prius habere voluit; in quo præſentem Sedis Apoſtolicæ amplitudinem ex tanta calamitate Venetorum induſtriâ ereptam commemorauit: ſe & terra & mari conflictatum orbe interdicto ſpem primò tutæ apud eos ſedis concepiſſe, quàm non vanam deinde ipſo periculo expertus ſit: conflatam temporis momento claſſem: fuſos hoſtes: victoriam ſibi paratam; & pacem quam prius Imperator ſpreuiſſet, eorum operâ exortam.* Pro queis tam ingentibus meritis *gratiam ſibi parem aliam relaturum non eſſe, quàm ſi eos omnes ſacræ parentis Eccleſiæ liberos & propugnatores publicè appellet: Deum fore tàm ſtrenuè ac fortiter nauatæ operæ penſatorem: ſi quid prætereà à ſe exoptent, tanta eorum eſſe benemerita vt nihil æquè magnum poſtulatu effingi queat. Qua ratione habita ſingulos Senatorum ad complexus nominatim euocauit, & benignè quemque allocutus die quæ ſubſequuta eſt, triremes à Ziano Duce ad hoc præparatas omnium* Ponti*ficiorum capaces cum Cardinalibus & cæteris* Prælatorum *plurimis, tùm qui bellorum turbine agitati Venetiam refugerunt, tùm qui ad Pontificis formam eò ſeſe receperant, conſcendit; & Sebaſtianus ſuperioribus officijs minimè contentus, comitem ſe* Pontifici *& itineris ductorem exhibuit, quem die tertiâ incolumem Anchonam perduxit. Accidit verò vt eadem horâ mari* Pontifex, *& diuerſo itinere Imperator eò applicarent; quem ſcapha triremis ſuæ* Pontifex *confeſtim excipi & ad ſe deuehi iuſſit. Tùm puppes molibus obuerſæ & ſcalæ in terram iactæ: Pontifex primus familiarum turbâ (vt mos eſt) præcedente, egredi conſpectus eſt; quem Imperator, deinde Sebaſtianus Zianus Venetiæ Dux ſubſequuti, admirandum & nunquam anteà cogitatum ne dum viſum Anchonitanis ſpectaculum exhibuere. Eius*

ciuitatis populus ad portum obuiàm ijs profuſus duas vmbellas produxit, quarum alterâ Pontifex, alterâ Imperator tegeretur. Qua re conſpectâ Alexander, vt Venetiæ Ducem optimè de Sede Apoſtolica recenti facinore meritum quibus poſſet ornamentis decoraret, Vmbellam ei tertiam afferri imperauit. Inde Imperatore à dextera, Sebaſtiano à læua ſumpto, ipſe medius Anchonam ingreſſus, Vmbella geſtandæ ius perpetuum Venetis Ducibus tribuere ſeſe declarauit. Hinc partitis inter ſe itineribus, ne tanta multitudine grauis nimirum ſingulis locis eſſet, Tontifex Duce Venetiæ ſibi comite aſſumpto, longiore tractu, verùm commodiore, Imperator cum ſuis viâ diuersâ Romam profecti ſunt. Quò vbi ad conſtitutam diem ventum eſt, Populus obuiam Pontifici progreſſus, vt omnia ſingularis lætitiæ documenta prę ſe ferret, vexilla octo & tubas * * * *

FINIS.

INDEX
RERVM PRAECIPVARVM,
QVAE IN OPERE CONTINENTVR.

ALEXANDER Tertius anno 1176. morabatur Anagniæ. fol. 21. ſtatuit proficiſci in Lombardiam. fol. 179. 203. recedit Anagnia. fol. 123. 181. 205. & per Apuliam tranſiens cum xiij. Triremibus Venetias proficiſcitur. fol. 104. & quare. fol. 106. 123. Cardinales in Lombardiam ad Federicum mittit. fol. 112. 180. 204. 205. apud Veſtam moratur. fol. 112. ad Inſulam Pelacroſam peruenit. fol. 181. & Iaderam Cardinalibus comitatibus. fol. 182. & menſe Martij 1177. Venetias. fol. 182. 183. 205. 206. celebrat pontificaliter in Eccleſia S. Marci. fol. 184. 206. 223. Duci Venetorum Roſam donat. fol. 54. 184. An Enſem dederit. fol. 27. 28. 78. An Cereum. fol. 55. 78. An Vmbellam, Sellam auream, & tubas, &c. fol. 78. Ferrariam petijt. fol. 26. 84. 156. 183. An cum Duce. fol. 26. Colloquium habet ibidem cum Lombardis, & Oratoribus Imperatoris. fol. 184. 207. Pro cõfirmatione pacis Venetias eligit. fol. 185. 211. Reuertitur è Ferraria Venetias. fol. 211. 185. Sermonem habet ad Populum. fol. 184. 223. Vicit Federicum, & quomodo. fol. 74. ab anathemate abſoluit. fol. 187. 222. Concilium habet Venetijs die 14. Auguſti 1177. fol. 30. 190. 138. Anathema dicit pacem non ſeruantibus. fol. 232. recedit

Venetijs Anagniam tranſeundo per Apuliam. fol. 158. 162. 194. 234. Pace inita cum Romano Populo Romam ſolemni ritu ingreditur. fol. 113. 198. 234. Vbi Concilium generale indicit. fol. 235. Alexandriam in Epiſcopalem Ciuitatem erigit. fol. 174. In Vigilia S. Matthæi anno 1177. Annũ XVIII. Põtificatus expleuit. fol. 192. An ex Anagnia fugerit. fol. 20. 21. Vndè originem habuerit fabula de fuga Alexandri, & Ziani Ducis victoria. fol. 163.
Alexandria in honorem Alexandri Tertij ædificatur. fol. 199. Cur appellata Palearum ibidem, obſidetur à Federico. fol. 167. liberatur. fol. 18. in Ciuitatem Epiſcopalem erigitur. fol. 174.
Ancona obſidione liberatur. fol. 201.
Andreas Dandolus, & eius Chronica. fol. 44. 53. 65. 76.
Archiepiſcopus Moguntinus pro Pontifice. fol. 114. obſidet Albanum Montem, & Viterbienſes. fol. 235.
Aſſiſium capit Federicus. fol. 201.
Aſtulphus Rex Longobardorum à Pipino ſuperatur. fol. 174.
Authores aliquot vitarum Summorũ Pontificum incerti. fol. 87.
Baronius Cardinalis quibus libris vſus fuit. fol. 101. 152. à calumnijs vindicatur, vt in reſponſionibus ad Vlmum.
Belæ Regis Vngariæ declaratio circà libertatẽ Eccleſiarũ. fol. 195.
Benedictus XIII. Pſeudo Papa bis abiurauit ſchiſma. fol. 139.
Bonincontrus quis fuerit. fol. 46.
Bononia electa pro colloquio inter Alexandrum, & Federicum. fol. 179. 183. 206. 155.
Boemiæ Regis filius ob ſymoniam cedit Eccleſiæ Salzeburgenſi. fol. 228.
Boſo Anglicus Cardinalis Author actorum Adriani Quarti, & Alexandri Tertij. fol. 87. 94. non diſſentit à Romualdo. fol. 121. & ſeq.
Brictinorium ad Romanam Eccleſiam deuolutum. fol. 190. 193. à Federico occupatur. fol. 194.
Calixtus Pſeudo Papa Tertius, & vltimus contra Alexandrum. fol. 221. diffidatus ab Imperatore. fol. 194. 225. abiurauit ſchiſma. fol. 159. Veniam petit. fol. 237.
Capitenſis Hiſtoria contraria ficto Oboni. fol. 34. 35.
Cencius Sabellus Camerarius Papæ, eiuſque liber. fol. 8. & ſeq.
Cereum album in datum Duci Venetorum ab Alexandro Tertio. fol. 55. 78.
Chronicon Caſſinenſe corruptum. fol. 152.

Chro-

INDEX.

Chronicon incerti Authoris reprobatur. fol. 55. Oboni contrarium. fol. 55.
Chronica Veneta Andreæ Dandoli. fol. 44. vide Andrea.
Clugiam Federicus quando peruenerit. fol. 29.
Columnæ Venetias ex Conſtantinopoli aduectæ. fol. 53.
Conſtantia Rogerij filia. fol. 137.
Cremona Federico adhæret. fol. 181. 205.
Crux Dominica capta à Soldano reſtituitur. fol. 203.
Deſiderius Rex à Carolo Magno ſuperatur. fol. 174.
Eccleſia S. Mariæ de Charitate Venetijs, à quo fundata. fol. 25.
Emanuel Imperator Conſtantinopolitanus à Soldano ſuperatur, & quare. fol. 179. 203.
Epiſtola Fiderici ad Alexandrum vti ficta exploditur. fol. 29.
Federicus Primus contra fidem datam deuaſtauit Mediolanum. fol. 106. ob peſtem ex Italia receſſit. fol. 21. Quinta vice anno 1173. in Lombardiam remeat per Secuſiam. fol. 166. 199. 102. Aſte ſe illi dedit 166. & Taurinum 199. Alexandriam obſidet. fol. 167. 199. Societas Lombardorum ſe illi opponit. fol. 168. obſidio diſſoluitur. fol. 169. 200. Agit de concordia cum ſocietate. fol. 170. 200. 211. 113. cum Alexandro, & Cardinalibus. fol. 171. 201. Cum Rege Siciliæ, & Imperatore Conſtantinopolitano. fol. 173. 213. Profligatur propè Comum à Lombardis. fol. 101. 175. 202. Cumani adhærent Federico. fol. 176. Secunda vice agit de pace cum Pontifice. fol. 177. 203. Securitatem præſtitam Anagniæ iureiurando cõfirmat. fol. 181. Cremona Federico adhęret. fol. 181. 205. Terdona ibidem. Suſpectam habet Bononiam. fol. 83. 181. 206. An fuerit Brunduſij anno 1177. fol. 23. 81. Proficiſcitur Clugiam, & Venetias. fol. 185. 222. Iurat pacem. fol. 186. 188. 221. 225. Abſoluitur ab anathemate. fol. 186. 222. Ante fores S. Marci Pontificem eius pedes oſculans veneratur. fol. 187. 222. Freno ducit Pontificis equum. fol. 187. 223. Promittit ſe pacem ſeruaturum. fol. 192. Reſtituit Terram Comitiſſæ Matildis, & Brictinorium. fol. 193. oſculatis Pontifici pedibus Venetijs diſcedit Rauennã. fol. 193. 233. 126. Brictinorium contrà pacem occupat. fol. 194. Tuſciam ſibi obedientem recipit. fol. 201. Anconam cum Venetis obſidet. fol. 201. Spoletum, & Ducatum, Marchiam, & Aſſiſium capit. fol. 201. Sinè Papæ conſenſu Venetias ingredi non permittitur. fol. 184. 211. 215. Ad popoſam progreditur. fol. 203.

a 2 Terram

Terram Comitiſſæ Matildis ad annos xv. obtinet à Pontifice. fol. 214. 215. ſedet ad dextram ſolij Papæ. fol. 214. ſuum errorem confitetur. fol. 215. Alexandrum in Papam recognoſcit. fol. 215. in Alemaniam redijt. fol. 234. Oratores ad Guillelmum Secundum in Siciliam miſit pro confirmatione pacis. fol. 236.

Federici Secundi aliquot res geſtæ conformes geſtis Federici Primi. fol. 163.

Firmum à Ducibus Federici Primi dirutum. fol. 111.

Fortunatus Vlmus profitetur ſequi Hieronymum Bardum à quo tamen diſſentit in agnoſcenda ficti Obonis Hiſtoria. fol. 6. 7. & ſeq. In loco quo Federicus morabatur anno 1177. fol. 81. in numero Cardinalium, qui elegerunt Octauianum. fol. 15. in fictis litteris Federici Primi. fol. 81. errat in ſupputatione annorum. fol. 86. inſcriptionem in tumulo Ziani Ducis corrumpit. fol. 47. 51. reprehenditur in toto opere.

Gotifridi Viterbienſis carmina explicantur. fol. 74. Non concordat cum Boſone. fol. 103.

Henricus Imperator periurus. fol. 106.

Henricus filius Federici Primi pacem iurat. fol. 226. 232.

Hieronymus Bardus cuius fidei ſit. fol. 4. Acta Alexandri fabulis inquinat. fol. 12. Mendax. fol. 43. & 44. diſſentit à picturis in Aula magna Venetiarum. fol. 81. ab Vlmo. fol. 6. & 81. & in opere cum Vlmo reprehenditur.

Incerti Authoris fragmentum Hiſtoricum diſcutitur. fol. 52. Alexandrum ex Gallia in Angliam iuiſſe falſo narrat. fol. 52. & plura fingit, licet contraria ficto Oboni. fol. 53.

Indulgentiarum diploma quod aſſeritur conceſſum Eccleſiæ S. Marci reprobatur. fol. 68. & 28.

Innocentius alias laudo an fuerit Antipapa ſub Alexandro Tertio. fol. 22.

Ioannes Bremenſis qui ſit. fol. 61.

Ioanna filia Regis Angliæ quo tempore nupſerit Guillelmo Secundo. fol. 154. 204.

Ioannes Præfectus Vrbis Alexandro fidelitatem iurat. fol. 235.

Iuſtiniana familia Veneta. fol. 53.

Lombardi ſuſpectos habent Venetos. fol. 217. pacem inter Alexandrum, & Federicum iuramento confirmant. fol. 188. 226.

Ludouicus Rex Francorum pro Alexandro Tertio. fol. 24.

Marchiam Anconitanam Federicus occupat. fol. 201.

I N D E X.

Marcus Antonius Amulius Cardinalis picturis Vaticanis præeſt. fol. 72.

Mediolanum à Federico dirutum reædificatur. fol. 199.

Miletus Author qui ſit. fol. 59.

Moguntinus Archiepiſcopatus conceſſus Chriſtiano Cancellario. fol. 148.

Monaſterij Sancti Quirini in Bauaria priuilegium anni 1178. fol. 161.

Nicolai Cardinalis de Aragonia liber. fol. 85.

Obo presbyter Rauennas fictus Author. fol. 4. 7. 31. exempla duo Obonis inter ſe diuerſa edita à Hieronymo Bardo, & vndè habita. fol. 5. 7. 9. 26. Venetijs conficta. fol. 11. Cur Obonis fragmenta tantum edita. fol. 11. & ſeq. animaduerſiones in Obonis fragmentum. fol. 13. & ſeq. errat in numero Cardinalium, qui Alexandrum Tertium elegerunt. fol. 14. Octauianum vocat tituli S. Clementis, cum eſſet S. Cæciliæ. fol. 15. narrat eundem electum à tribus in Pſeudo Pontificem, cum fuerit electus à duobus. fol. 15. Federicum aſſerit Cremonenſibus amicum, cum tunc eſſet inimicus. fol. 16. Colligitur non ſcripſiſſe ſub Alexandro Tertio ex quo geſta Alexandri deſcribens ſequitur aliorum Annales. fol. 16. 18. Ignorat annum quo Alexander ex Gallijs Romam redijt. fol. 16. an benè enumeret annos. fol. 18. Montem malum vocat Collem Marij, cum tamen ſub Sixto Quarto vocari ſit ceptus Mons, ſeù Collis Marij. fol. 17. 91. Ignorat quid fuerit actum ſub Alexandro Tertio pluribus annis. fol. 18. fingit Federicum voluiſſe aggredi Alexandrum Anagniæ commorantem ſtatim poſt amiſſum Exercitum apud Comum; fol. 19. ac Brunduſium profectum fuiſſe cum tamen eſſet Papiæ. fol. 23. 81. fingit Enſem Duci Venetorum à Pontifice donatum, & tamen tunc temporis non erat in vſu donatio Enſis. fol. 27. fingit pugnaſſe cum Venetis. fol. 28. negat Cõcilium fuiſſe celebratũ Venetijs. fol. 30. narrat fuiſſe creatos quatuor Pſeudo Pontifices, cum fuerint tres. fol. 22. narrat Alexandrum Ferrariæ permanentem cum Lombardis ad bellum inſtructis redijſſe Venetias tunc temporis quo fingitur Federicus illam aggredi ſtatuiſſe vicina claſſe 75. Triremium. fol. 27. Callidè præterit eorum narrationem, in quibus Authores antiqui inter ſe non conueniunt. fol. 29. narrat Federicum fuiſſe deductum Clodiam die 21. Iulij, in qua morabatur

turdie 20. fol. 29. diſcordat à diplomate Indulgentiarum Sancti Marci. fol. 28.68. à Sabellico. fol. 26. à picturis Venetis. fol. 81. ab alijs Hiſtoriarum fragmentis editis ab Vlmo, vt ſuo loco eſt obſeruatum.
Octauianus S. Cæciliæ Cardinalis. fol. 89.
Otho filius Federici quo tempore fingatur Venetias rediſſe. fol. 57.
Pacis capitula inter Alexandrum, & Federicum. fol. 24.
Pandulphus. fol. 43.
Patriarcha Aquileień, & Gradeń Venetijs. fol. 100. 139.
Petrus de Vineis an ſcripſerit vitam Federici Primi. fol. 75.
Petrus de Corbaria dictus Nicolaus V. bis abiurauit ſchiſma. fol. 139.
Petrus Clodienſis qui ſit, ab Obone diſſentit. fol. 60.
Petrus Ferrectus Milenſis Epiſcopus. fol. 57.
Petrus Diaconus Caſſinenſis. fol. 92.
Picturæ in Aula Regia Pontificum Romæ. fol. 70. in Aula Veneta examinantur. fol. 42. quo tempore pictæ. fol. 43. à quibus. fol. 44. Inſcriptiones ſub picturis fictæ. fol. 45. Aula Veneta, in qua pictæ ſunt quo tempore cœpta ſit fabricari. fol. 4.
Pomposè locus. fol. 213.
Procuratores S. Marci duo, poſtea quatuor. fol. 36.
Principes Imperij pacem iureiurando confirmant. fol. 188. 222. abſolutioné ab anathemate obtinent ipſi, & ſequaces. fol. 188. 222. 228. eorumdem litteræ de confirmatione pacis. fol. 190.
Rayno Comes Tuſculanus. fol. 88.
Riccobaldi Hiſtoria, quæ. fol. 60.
Robertus Scriptor. fol. 103.
Romualdi Archiepiſcopi Salernitani Chronicon. fol. 199. defenditur. fol. 115. Orator Guillelmi Secundi Regis Siciliæ cum Alexandro proficiſcitur Venetias. fol. 115. non diſcordat à Bolone Cardinale. fol. 121. 136. 154. 155. 156. nec à litteris Alexandri. fol. 136. vbi federit coram Pontifice. fol. 142. 184. facultas deferendi Crucem. fol. 128.
Roſa Duci Venetorum donatur. fol. 184. antiquior donatione Enſis. fol. 27.
Romani pro Viterbienſibus. fol. 235. obedientiam præſtant Alexandro. fol. 113. 198. 234.
Sabellicus meminit ficti Obonis. fol. 12. Bardo contrarius. fol. 26. 76.

Saler-

I N D E X.

Salernitano Epiſcopo conceditur facultas deferendi Crucem. fol. 228.
Salboi inſcriptio examinatur. fol. 61.
Sebaſtianus Zianus Dux Venetorum an Ferrariam iuerit cum Alexandro. fol. 24. 131. an Romam. fol. 162. an Othonem filium Federici vicerit. fol. 24. 78. inſcriptiò in eius Tumulo corrupta. fol. 47. 51.
Sigonij error. fol. 104. 105. 125.
Silueſtri Papæ Secundi fabula. fol. 71.
Spoletum eiusq; Ducatum occupat Federicus. fol. 201.
Taruiſini ſuſpecti Lombardis. fol. 192.
Tauro cur caput amputetur Venetijs. fol. 52.
Terram Comitiſſæ Matildis Federicus reſtituit. fol. 193. eam ad annos xv. obtinet à Pontifice. fol. 215.
Terdona Federico adhæret. fol. 181.
Veneti Federico fœderati. fol. 24. 28. 50. 211. an cera, vel plumbo litteras obſignarent. fol. 26. 56.
Veneti populares ſeditionem excitant contrà Pontificem. fol. 216. 217. & ſeq. Dux aſſentitur. fol. 217. mox pęnitet. fol. 219. an cum Federico pugnauerint. fol. 28.
Verſus qui aſſeruntur extitiſſe in patriarchico Lateranẽſi. fol. 62.
VVillelmus Secundus Rex Siciliæ Alexandro fauet. fol. 21. 145. 205. eius Oratores pacem cum Federico ineunt. fol. 186. 188. 226. eumdem alloquuntur. fol. 289. Litteræ Federici ſuper pace. fol. 231. recuſat ducere in Vxorem filiam Federici. fol. 202. eius Nuntij ſuſpectos habent Venetos. fol. 220. recedunt Venetijs. fol. 233.

F I N I S.

Errata			Corrige
In titulo		Operis ſcriptum	præſcriptum
In Indice		De Olugia	De Clugia
pag.	verſ.		
2	14	Victoriæ rationem	Victoriæ narrationem
6	2	ſæpiùſq.	viſitur, ſæpiùſq.
9	14	non eſſet de	non eſt de
9	16	diuerſaros	diu verſatos
11	24	interfuerit	interfuerunt
14	1	vt ſupra	& ſupra
15	25	ad Cantuarienſem	ad Cantuarienſem
15	29	coronodia	coronidis
16	17	oſcitantur	oſcitanter
17	23	M. D X I.	M. D. I.
17	54	continentur	continenter
18	13	Ethuria	Ethruria
18	32	anno	ad Maium anni
19	3	M. C L X X V.	anno M. C. L. X X V.
23	21	crederet Alexander	crederet. Alexander
23	22	appetēte Profectionē	appetēt profectionem
24	5	effingam	affingam
24	17	hiſtoria	hiſtorias
24	33	eius	huius
27	28	vendiesre	venditare
29	18	artificij	artificis
30	7	Obo ſe	Obo ait ſe
30	7	afferre recte	afferre. Recte
30	22	deſiderare	deſiderari
30	33	vixit	vicit
30	35	quantum eleuare	quantus Vlmus eleuare
32	9	percurrant narrationibus. —	percurrant, ipſe res qualcūque vellet eorum narrationibus
33	13	abfuerit	abfuerint
33	29	indicatum	indicium
33	38	formidari	formidare
34	7	de fide	fide.
34	26	incertum	inſertum
34	33	exiſtimabat	exiſtimat
35	20	prius	pius
35	27	officioſe	officio ſe
35	40	deinde	dein
37	16	M C C X X V I I I.	M C C X X V I I I I.
38	3	Si tamen	Vt tamen
38	5	redijt	adijt.
38	24	depictis cōflagrarūt. ex vna cū aula anno M. D. L. X X V I. adiectæ	depictis (conflagrarūt ex vna cū aula anno M. D L. X X V I.) adiectæ
39	24	eius idoneos	Eius rei idoneos
39	27	V I I I C X.	D C C C X
39	29	I X C L X X V I.	D C C C C L X X V I.
39	34	V I I I C X.	D C C C X.
39	35	I X C L X X V I.	D. C C C C L X X V I.
39	36	ædificij	adiacenti ædificij
40	36	cum eo anno	cum anno
41	11	Epigraphes	Epigraphæ
41	29	M C C L X X X	M C C C L X X X.
43	27	(V I)	(I I I)
43	39	admittere. Ita iam	admittere. Iam
44	5	deſiderantur;	deſiderentur
44	7	M. CC. L X X V I.	M. C C X V I I.
44	9	Iacobo	Iac-bo
44	9	ære	vere
44	22	conſentiunt? nam	conſentiunt: nam
45	36	accomodare	accomodari
46	3	adhibuit	exhibuit.
47	3	Veteris	Veteri
47	21	Aprilis	Aprili
49	6	ſi vocabuli	.Si Vocabuli
49	29	(moribus)	moribus
51	5	dicimus	diximus.
51	9	Coraldus	Caroldus
51	35	deſcribimus	deſcribemus
52	25	Patriarca	Patriarchæ
53	54	accipit	accepit
54	21	indicat	inducat
56	35	bulla ex his	Bulla his
57	3	haher	habet
57	23	nec poſt	nec multo poſt
58	31	vt loquar	vt vere loquar
61	15	aſſentiantur	aſſentiatur
61	18	nec ſi	ne ſi
62	26	I X C X I V.	DCCCCLXXXXIIII.
62	30	I X C X C V I I.	DCCCCLXXXXVII.
63	18	milleſimo	milleno
63	27	reuelatur	releuatur
63	36	Frangipanio	à Frangipanio.
65	2	ex ſcriptoris	exſcriptoris
65	16	vt furtiuas	& furtiuas
66	15	literas	literis
68	25	I. Ernandus	F. Ernandus
68	27	Simectus	Simeotus
68	28	Baſilius Helias	Helias
69	3	Theodorus	Theodinus
69	30	per quam	perquam
70	9	vlterius	alterius
70	16	Parentini	Parentio
71	21	qus ea	quaſi ea
72	24	maxime	maximi
72	28	alieus	alteus
72	33	pium	Pium
74	26	conſiliumque	Conciliumque
75	6	reſtiturum	reſtiturum
75	8	præſtitit.	præſtitit]
75	9	Frangipanius;	Frangipanius [
75	28	aliqui	aliquot
77	6	Imperatore primum	Imperatore donatum primum
77	37	ideo	ideò
79	9	gratiſsimarum	grauiſsimarum
79	29	nam probatorum	nam cum probatorum
80	18	proferat	præferat
80	38	mendacijsque	mendacijque
81	33	proferendas	perferendas
82	13	t abularum	tabularum
82	22	in ſequenti	inſequenti
83	5	reperiatur	reperiretur
83	39	ex ſcriptore	exſcriptorem
84	38	eam vim	ea vim
85	16	in diem	in idem
85	30	vita	vitas
85	39	dicimus	duximus
86	10	Scriptor. Actor	Scriptori Actorum
86	19	hu iusq.	hucusque
86	22	leguntur:	leguntur]
86	32	dum in	dum de
88	24	ſubiectus	ſublectus
88	38	viribus	iuribus
90	24	eſique prætermiſiſſe	neque prætermiſiſſe
92	5	Ababei.	Abbati]
92	22	anno I V.	anno M C X L
95	26	Principibus	Fratribus
98	2	fuit	facit
98	6	Illyricum	in Illyricum
100	10	notsuerit	notauerit [
100	12	Pontificis.	Pontificis]
101	2	inferiori	interiori
101	3	potuerit	patuerit
101	13	impoſterum	in poſterum
102	1	videri	videre
102	28	Monachuſqui	Monachus qui
103	26	M. C. L. V I I.	anno M C L X X V I I

		Errata	Corrige
103	36	& ficto	etiam ficto
104	13	ſicuti	ſicubi
105	6	vero cum	vero eum
105	25	Caciam	per Caciam
106	3	ruſus	verſus
106	7	Salemitano	Salernitano
106	13	equitans	equitaturis
106	21	Pontificia	Pontificij
107	5	Prouinciæ	Prouinciam
107	22	veriſimili	veriſimilitudine
108	8	nihil omnium	nihilominus
109	15	anni M. C. L. XXVI.	anni MCLXXVI.
111	2	ait Ciuitatem	ait eam Ciuitatem
111	26	terdecim	tredecim
112	5	faceſſerunt	faceſſunt
112	10	Baronij apud	Baronij [apud
112	11	Veſtam, concedere	Veſtam] concedere
113	4	quid	quod
113	20	inter XXV.	inter diem XXV.
113	25	abeſſe debuit	abeſſe non debuit
113	27	forent ?	forent.
114	27	confarcinandia	confarcinandis
115	5	atque Cardinalis	atque Eminentiſsimi Cardinalis
115	5	nec quiſquam	nec quicquam
117	33	videmoa	vidimus
118	21	MCLXXVII.	anno MCLXXVII.
118	22	applicaturque	expliceturque
118	28	Martij ante	Martij triduo ante
118	29	tamen mirandum	tamen magis mirandũ
118	31	MCLXXVIII.	MCLXXIII.
118	34	IV. ſtante	IV. die ſtante
119	6	diſcendarum	dicendarum
119	16	nominatus	notatus
119	27	Fraogipanius. Quo- modo	Frangipanius quomo- do
121	13	re ſpiciamus	reſpiciamus
122	26	Siculo Rege conſen- ſurus non erat	Siculi Regis conſenſu acturus non erat.
122	32	diſceſsit	diſceſsit [
122	33	iturus idq.	iturus] idque
122	34	Domini ante	Domini [ante
122	34	Natiuitatis efficitur	Natiuitatis] efficitur
123	1	vt Pontifex	& Pontifex
123	2	progrediatur	progreditur
123	3	proprie	per ſe
123	15	ſic maris	ad maris
123	32	illi	ille
123	38	à Sicilia	è Sicilia
125	1	Pontifex	dum Pontifex
125	1	ijs	ia
128	15	diè	diem
129	8	detineri ? Sane	detinere ? [Sane
129	9	menſis ita Pontifex loquitur . De	menſis (ita Pontifex loquitur) De
130	3	etiam	&
130	13	prouide	gerendo
130	29	totum	tutum
130	30	vt paulo	& paulo
132	7	Proceribus amplifi- catur late	Proceribus : Amplifi- catur autem
133	11	alla	alia
133	32	potuerant	potuerunt.
134	15	verbijs	verbis
134	23	alio	aliquo
134	36	confingere	confingunt
134	37	bonorum	bonorum
135	3	Pontificis, atque Imperatoris	Pontifici, atque Impe- ratori
135	19	Colonienſis nomine	Coloniẽſis Archiepiſc. Capellanũ nomine

		Errata	Corrige
136	20	id vno	id 20 vno
136	32	exprimere cõſueuerat	exprimi conſueuere
138	21	XIX.	19
138	22	XVI.	16
139	9	aut	&
139	28	vexillis cruce	vexillis & cruce
139	31	Eccleſiæ	Eccleſiaſtico
140	10	hiſtoria	hiſtoria ?
140	19	id à nobis	id nobis
140	23	poſtremis	de poſtremis
142	22	anteibat	anteibant
143	10	enim	etiam
143	27	intermiſſis	intermiſtis
143	36	apparent	apparet
144	21	expers	expes
145	1	excãdeſcat [Denique	excandeſcat . Denique
145	13	poſteriorum	poſterorum
145	30	iuerit	iuuerit
146	4	præcipuæ	præcipua
146	9	exclusionem	excuſsionem
146	33	non minus	non modo
147	9	ſolet . Interea	ſolet [Interea
147	9	verba ſunt. Chriſtia- nus	verba ſunt) Chriſtia- nus
147	21	perinde hæc	perinde quaſi hæc
148	35	obſeruatione	Bellarmini obſerua- tione
149	3	Hæc vna	Gemina
149	15	abditas: Aimonij	additas: Aimoini
149	17	ſupplementum	ſupplementum
149	33	conuinceretur	conuincitur
150	1	Aimonio	Aimoino
150	7	Romualdi	Romualdum
150	10	apponemus	opponemus
150	30	deceſsiſſe. Octauianus	deceſsiſſe (Octauianus
150	32	eſſet ; & anno	eſſet) & anno
151	6	Sunt	ſiut
152	24	illuſtribus	Igitur in illuſtribus
152	30	Etenim	Eſt enim
154	4	fuiſſe	fuere
154	34	inchoabitur	inchoabatur
156	5	inſtantia	inconſtantia
156	16	quæ	qui.
157	14	Ferraſienſis	Ferrarienſis
157	31	præuiſa	prouiſa
159	9	die XIX.	die XXIX.
160	19	diſtuliſſet ? cum	diſtuliſſet, cum
161	34	intelligi gereretur	intelligeretur
162	13	deſederit ille:	deſederit, atque inde in Apuliam ſit profe- ctus ille
163	14	M. C. XX.	M. CC XX.
166	16	præceſſerunt:	prætenſerant
167	1	fædere	Federicus
167	1	ipſum	ſeipſum
167	5	vniquæ	iniquæ
167	35	immodico	modico
170	20	Halario	Nazario
170	28	Cremonenſes	Cremonenſibus
170	31	prius	poſt
170	35	reindicauit	vindicauit
172	13	quod ipſorum	quod aduentus ipſorũ
172	1	de ea corpore	de corpore
173	14	& dictis [illegible]	& ijs dictis
174	13	Aſtalphus	Aſtulphus
174	19	Alex.	
174	22		
175	24	milliaria	milliario
176	14	in	per
176	24	ſpolia vniu.	ſpolia vero vniu.
177	11	& R.	Atque Ar.

		Errata	Corrige
177	25	Patres	Fratres
178	12	& pariter	pariter
178	13	laudantes	collaudante
178	20	fouerint	fouent
181	8	Anagniam præſtis.	Anagniam indubitanter præſtit.
181	30	propititio	propitio
182	32	quam	quartum
183	7	Vicomacienſi	VVormacienſi
186	9	pactis	partis
186	14	præceptum	prædictum
186	26	ancti	Sancti
187	9	pacis expect.	pacis bonum expect.
188	20	VVarſienſis	VVormacienſis
188	21	Ar.	ſeu VVort.
189	3	Artematr	Arteman.
189	18	ex	de
190	1	XVIII.	XVIIII.
191	1	VVicminus	Ph Colonien. Archiep. VVic.
191	4	I. Marchio de Luitri	T. Marchio de Luſiz
191	5	de Diuina	de Diuna
193	4	& vt ex	& ex
193	28	Hic	Hu.
194	6	deinde Troiam	Deinde per Troiam
197	17	& reuocando	de reuocando
197	18	Romano Pontifici	Romanorũ Põtificum
199	11	Breuiciorum	Brebitiorum
199	26	poſtea	poſtmodum
200	7	imaginariam	eis imaginariam
202	9	ætate	æſtate
202	9	Cumanen.	Cumarum
203	8	& eius curiam	dele
203	23	Vcouij	Yconij
203	40	Illuſtriſſimo	Illuſtri
204	8	Croianum	Troianum
205	18	Comeſtabuli	Comeſtabulo
205	24	per Troiã, Sipõtum	per Troiã & Sipõtum
206	23	arbitratur	arbitrabatur
206	23	de communi	de eorum communi
208	19	perpetrare	patrare
209	21	ſtatum	fratrum
209	29	noſtra reman.	noſtra integra reman.
210	29	Gozo	Goezo

		Errata	Corrige
211	7	pro iſtis	præſtitis
211	10	itaut à Duce	vt a Duce
211	20	atque	vſque ad
211	38	diſtincte	diſtinctionem
213	2	apponere	opponere
213	17	vſque ad	ad minus vſque ad
214	35	R. Mathildis	Mathildis
215	11	& hic	& ſic
215	32	illico	illuc
220	11	Seneſcalium	Seneſcalcum
220	17	nos quidem	nos autem
220	39	aff. ctebant	plurimum affectabãt.
221	27	in anima iuret	in anima mea iuret
222	3	inibi	ibi
222	5	ſuis galeis	ſuis in galeis
222	8	octaua die	octaua ſcilicet die
222	11	Marci deuotus	Marci ſummo mane deuotus
222	21	ſimile	ſimiliter
223	34	palatium	ad palatium
223	40	eminenti	eminentiori
224	3	Epiſcopum	Archiepiſcopum
224	30	intra manſuet.	intra noſtræ manſuet.
225	37	Sanctis	Sanctorum
227	14	quæ	quod
227	16	Imperatorem	Imperium
228	30	diſpoſitione	diſpenſatione
228	27	intrati	intruſi
228	37	ſalutare	ſalutaturi
229	35	noſter	enim noſter
230	4	& eius	& eidem
230	9	in numerum	in numero
231	6	quomodo	quod à modo
231	31	Huorminum	VVortuuinum
232	38	& B. B.	& B. Mariæ ſemper Virginis
233	38	vt	&
235	10	eiuſdem	dele
235	28	Logius	Ligius
236	17	conſtuliſſet	contuliſſet
236	20	coppam	cuppam
236	28	executioni	ſtatim executioni
236	34	ſi quæ	ſi qua

252 726 AN: 1411715

779

IV
D/4